


⁴³ Hernandez Cur Ph. 10. 3.



DISP. XLXIX
De Temporalibus Christi Juribus.

CAP. I.
Nomen Christi habuerit in regem temporalem
Super aliis Regibus.

Iniquam, nam ecclesiam ipsum regendam, et hoc ubi in tempo-
ralibus dicendi constat Christi non habuisse, diuinitus in eo dicit, nam
indivinitus factum habuisse, quatenus scilicet ad spirituales bonis conda-
cabat: constat enim illud suo vicario communiaverit, et ad spirituales ju-
isdictionem omnino necessarium fuisse. Denique dicit super aliis Regibus,
et aliter habuerit in regem spirituale regnum scilicet Judaeorum, non
est haec in hoc dicitur.

Negat Abulensis in cap. 21. Mat. 9. 3. Vnde dicit lib. 2. doctrinal
fidei. cap. 16. et 17. et alii plures in quibus. Suarez, et varii videntur.
Fundamentum est quod non apparet Christi regnum temporale quod titulo
habuerit: non quod ecclesiam regat, alioquin suo vicario in istis reli-
giis, quod non fecit: non ut habens gratiam unionis, alioquin si dicitur
humanitatis eam habuerit, ut non habent in regibus super omnes quere
creatus, quod incongruum.

Affirmat S. Anton. 37. tom. 3. cap. 2. Abulensis de Po-
testate Ecclesiae cap. 4. Turrescramentus, Navar. Dur. Flestensis, quibus
Subscribunt Mol. tom. 1. de Just. disp. 28. Suarez hic disp. 48. Fel. 2.
Vazquez disp. 81. cap. 2. Salazar Proverb. 18. Mendocia in 1. Reg.
cap. 2. nu. 10. et plerisque Decentiorum.

Paulus haec sententia. 1. quod non leviter inscripturas indicat
Mat. 28. ver. 18. dicit Christus: Dato est mihi omnis potestas in caelo, et
in terra. Omnis autem potestas proprie capitur (sicut quibus non habet
in eo modo capitur debet) operam includit omnem potestatem, quae iuxta
suam providentiam Dei de se emanare potest. Sed potestas tempo-
ralis regis eius non est, quod dicit Christus. Apocalyp. 19. vocat Christus
rex regum, istum ad spirituales, et temporales et in 1. cap. dicit
Principes regum terrae: ne igitur aliter nequialiter dicamus istum dicit
vocat rex regum diverse sensus, prolati, dicimus, necesse est vocem
Dixit etiam de temporalibus illis, scilicet dicit. Nullo alio scripturae
loco quod facile potant de spirituali regno explicare.

2. quod sicut multi Patres possunt dicitur de regno spirituum
si intelligi, alioquin tamen perdifficile. Nam Athanasius sermo. in
Evangelio

DISP. XLIX
De Temporalis Christi Jure.

Cap. I.
Nam Christus habuerit ius ad remotionem Regni temporalis
Super aliis Regibus.

Primum inquam, nam actualiter ipsum regnandi, et totum orbem in tempo-
raliter dicendi constat Christum non habuisse, directio dicitur, nam
indivisa talium habuisse quantum scilicet ad spirituale, bonum conde-
cebat: constat in illis suo vicario commanuerit; et ad spirituale per-
binationem omnino necessarium fuit. Denique dicitur super aliis Regibus,
et utrumque habuerit ius ad spirituale Regnum scilicet Judaeorum, non
est locum hoc discutendum.

Negat Abulensis in cap. 21. Mat. 9. 3. Qualesque lib. 2. doctrinal
fidei cap. 16. et 17. et alii plurimi quod fuerit, et vargas videndi.
Fundamentum est. 90. non apparet Christus regnum temporaleque titulo
habuerit. non 90. ecclesiam caput, alioquin suo vicario ius stud reli-
quisset, quod non fecit: nec ut habens gratiam unionis; alioquin si dicitur
humanitatis eam habuerit, utrumque habent ius regis super omnes peccato-
res, quod implicat.

Afirmat S. Anton. 3. p. tom. 7. cap. 2. Abugny de Pa-
litate. Etia cap. 4. Turresemata, Navar. Dur. Flestierij, quibus
subscribitur Mat. tom. 1. de Just. disp. 28. Suarez hic disp. 48. Sect. 2.
Vargas disp. 81. cap. 2. Salazar Exord. 18. Mendos in 1. Reg.
cap. 2. nu. 10. et plerique Decentiorum.

Placet haec sententia. 1.º 90. non leviter inscriptura indicat
Mat. 28. Vox 18. dicit Christus: Dato est michi omnis potestas in caelis
in terra. Omnis autem potestas si proprie capiat. (ut quibus non habet
in eodem capi debet) operatur includit omnem potestatem, quae iusto
suorum providentia Dei Deo convenire potest. Sed potestas tempo-
ralis regis eiusmodi est 90. dato Christi. Apocalyp. 19. vocat Christus
Vox regum, illius et spiritualis, et temporalis in 1.º cap. dicit
Princeps regum terre: ne igitur aliquid nequitiae dicamus, itaque dicitur
Vox rex regum diverso sermo potestas; dicimus neutrum est vocem
Dux etiam de temporalis illo sumendum. Nullo alio scripturae
loca 90. facile potest de spirituali regno explicare.

2.º 90. licet multi Patres possint dicitur de regno spirituum
si intelligi, aliquid tamen parum difficile. Nam Athanasij sermo in
Evan

^{don}
[a-162-4^a-15]

136.

H-34-29

GS-S

222

R. A. P. Fr.
HYACINTHI HERNANDEZ
DE LA TORRE,
CVRSVS INTEGER
PHILOSOPHICVS.
TOMVS TERTIVS.

N.º 21.240



PHILOSOPHICVS

AD MENTEM
SVBTLISSIMI

JOANNIS DAVY SCOTTI
IUXTA METHODUM ET SERIEM
HUIUS FLORIBISSIMAE
ACADEMIAE CAENAVAGUSTANA
SECVLO CONCINNAE

AVRORE
SOLIS IVSTITIAE MATRI
ABSQUE CALIGINE LABIS ORIGINALI
CONCINTE DICATAE

AVCTORE
R. A. P. E. H. A. C. I. N. T. H. O. H. E. R. N. A. N. D. E. Z.
Lectore in Indole, Caesariographae Divisio Exam-
inatioe Spaciae & alios proinde & regis
ex Provinciali & Capite

TOMVS TERTIVS.

Printed and Published by R. B. A. G. N. I. A. N. G. L. Y. P. A. N. D. S. O. N.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

POSTQVAM secundum Tomum, abstrusas Metaphysicæ, & Perhiermeniarum difficultates examissim ambientem, communi vsuræ mandavimus, non impari animorum plausu, commendationevè, quam primus ingenia demulcentem; ingenti voluntatis affectu, Tertium iam iam tibi defero, æqua lance, pari studio, simili solertia, ac posteriores, absolutum. Etenim, etsi totam Philosophiæ amplissimam Sphæram non circumdet; præcipuam tamen, nobilissimamque eius partem, Physicam videlicet, pertingit. Cuius egregiam dignitatem, eximiaque encomia apprimè efferunt, commendantque Authores. Plenæ messis manipulos colliges apud Conimbricensium, Complutensium, Mastrij, Poncij, aliorumque Recentiorum referatissimos Campos; qui in Physicorum Procœmiis, huius Celsissimæ Scientiæ Augustam dignitatem omnibus numeris concelebrant. Octo Libris, passim: Octo Libri Physicorum Aristotelis, sive de Physica Auscultatione, nuncupatis, Univerſa, quæ in Philosophia Naturali comprehenduntur, brevi calamo perstrinxit Philosophorum Antesignanus; quibus erudita Commentaria, ferè innumera Doctorum infinita cohors in Scholarum proventum adhibuit.

Nos igitur Veterum Philosophorum Placita sollicito animo recensentes, Aristotelicam mentem singulari studio, & dexterrate eviscerare satagemus, ipsam elucidando, & aperiendo per varias, diversasque quæstiones, hac tempestate in Scholis nervosè agitari solitas, grandi Auditorum emolumento. Ordina-

causas, & proprietates rerum naturalium disputat. Ab hoc nimirum Tract. ut est apud omnes in usu, incipimus cum Philosopho Physicam, illumque cum ipso in octo libros, qui Physicorum appellantur, dividimus.

Licet aliqui variè sentiant in assignando obiectum materiale adæquatum totius Philosophiæ Naturalis, seu Physicæ; tamen communior opinio inter Philosophos, quam amplectitur Scotus, sustinet, obiectum materiale adæquatum totius Philosophiæ esse corpus substantiale naturale in tota sua latitudine (naturale enim non sumitur hic, prout supernaturali contraponitur, & de quo agitur in Theologia, sed prout constat natura, in sensu, in quo accipitur hic natura, scilicet quatenus est principium motus, & quietis, &c. ut videbimus infra) nempe prout comprehendit tam corpora simplicia, quam mixta; tam perfecta, quam imperfecta; & tam corruptibilia, quam incorruptibilia. Sic Philof. ipse, & cum eo Scotus 6. Metaph. quæst. 1. §. his visis, num. 11. vers. Sed hæc ratio videtur, ubi hæc habet: *ulterius eadem substantia corporea* (loquitur de substantia corporea sub ratione quantæ, sive quantitatis, quemadmodum relinquit propugnatum pertinere ad Mathematicam) *non contracta ad inferius, sed alio modo* (hoc est, sub alia ratione formalis) *considerata, scilicet in quantum*


habens formam, quæ est principium determinatæ operationis, & motus, & quietis (hæc est natura, ut videbimus infra) *habet multas passiones sic sibi inhærentes, & scibiles per viam sensus: ergo quoad illas erit alia* (supple scientia) *speculativa, quæ dicitur Physica, sive Naturalis.* Et quod hoc sit obiectum adæquatum Physicæ, patet, quia ultra quod totam adæquat, conveniunt ei conditiones obiecti adæquati, ut faciliè animadvertere poterit quisque ex dictis in Log. tract. 1. disp. 3. sect. 1. & in Met. tract. 1. disp. 1. sect. 1.

Hinc, & ex verbis Scoti allatis ex mente Philof. clarè infertur, quod obiectum formale quo, seu ratio formalis *sub qua* attingitur corpus substantiale à Philosophia, sive Physica est *naturalitas*, sumpta naturalitate pro illo, per quod substantia corporea, quæ est natura, constituitur formaliter in esse naturæ, quod innuit Scotus per illa verba relata, videlicet: *Ulterius eadem substantia corporea... alio modo considerata, scilicet in quantum habens formam, quæ est principium determinatæ operationis, & motus, & quietis, &c.* Quod potest suaderi etiam rationibus, quibus de logica probavimus ipsius obiectum formale ubi supra sect. 2. & de Met. etiam ubi supra vers. *Ex quibus infertur, servatis servandis.*

Quod Philosophia, sive Physica sit scientia, & merè speculativa,

constat similiter, ex rationibus, quibus de logica probatum est tractat. I. disp. 4. sect. 1. & de Met.

tract. I. disp. I. sect. 2. servata semper in omnibus proportionibus.



LIBER PRIMVS PHYSICORVM.



IN primo libro Physic. agit Philos. de Principijs rerum naturalium in fieri, ac de concurrentibus ad mutationem naturalem, necnon & de principijs entis, seu compositi physici naturalis in facto esse. Principium namque varias habet acceptiones, ut satis ex se liquet; solum illas afferam breviter infra, quæ ad nostrum institutum in lib. præsentis attinent, cæteris brevitate gratia relictis, quia ad Nos ut in præsentis non spectant. Prius nimirum pertractabimus de Principijs in communi, & postea suo ordine per disp. aliquas de eis in particulari, necnon & de principio, sive de toto per se substantiali.

DISPUTATIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS NATURALIS in communi.

HÆC sunt revera præcipua munera, quæ de principijs

entis naturalis in communi tractari solent, videlicet, quid sit, sive in quo ratio principij consistat, & quot sint entis naturalis principia, sive totius per se substantialis, de quibus in præsentis disputandum venimus.

SECTIO I.

AN RECTE AB ARISTOTELE describantur principia entis naturalis?

MULTIPLICITER à Theologis, & Philosophis usurpatur principium. Primum, pro eo, quod alteri præsupponitur. Secundum, pro eo, ex quo aliquid est, vel quoad esse entitativum, vel quoad cognosci. In hac principij acceptione, licet omnis causa sit principium respectu sui effectus, quia quilibet effectus fit, aut est ex sua, vel à sua causa; tamen non omne principium est causa, respectu cuius est principium; quia ad causam ultra hoc requiritur dependere.

B

dear.

4
 dentia principiati à principio, ob quod estò filius æternus sit à Patre, iste non est causa illius; benè verò principium. Collige ex his, duo requiri ad principium. Primum, quod sit aliquomodo prius illo, cuius est principium. Secundum, quod inter principium, & illud cuius est principium detur aliqua cónexio, defectu cuius homo natus heri v. g. nō est principium hominis hodiè nati.

Uterius, principium ita sumptum dupliciter potest dici, vel quia exercet aliquam causalitatem in principiatum, vel quia dicit essentialiter habitudinem ad illud, taliter quod principiatum neque potest esse, neque intelligi, aut explicari sine principio, vt terminus à quo motus, vel mutationis, sine quo ista nec potest esse, nec intelligi, neque explicari.

Rursus, principium aliud est extrinsecum, & intrinsecum aliud. Extrinsecum est, quod se habet extra rem, cuius est principium, vt causa efficiens, exemplaris, & finalis, de quibus, non in presenti, sed in sequenti lib. agit Philosophus. Principium intrinsecum est illud, ex quo res, sive principiatum conitat essentialiter, sive componitur, tam in fieri, & vt est mutatio, quam in facto esse, & vt est existens, & permanens. Dixi essentialiter, quia licet res constet partibus integralibus, quæ quidem principia integralia illius

appellari possunt; tamen ista non sunt principia rei, quam integraliter componunt, vt in presenti accipiuntur principia à Philosopho. & cum illo à Scholasticis communiter, vt benè advertit Scotus hic quæst. 19. num. 3. vers. *Quantum ad primum*. His suppositis.

ITA DESCRIBIT Philosophus. & cuncti cum eo principia entis naturalis: *Quæ neque ex se, neque ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt*. Illam supponit Scotus hic quæst. 17. vt constat in expositione tex. ad istam quæst. num. 7. tex. 42. vers. *Et hoc 2. rationabiliter*. Et quæst. 19. specialiter num. 12. vers. *Ad obitvam*. Dixi describit, & non definit; quia hæc non est rigorosa definitio. Primum, quia omnia principia copulative comprehendit. Secundum, quia traditur per negationem, vt ex se patet.

Ad plenam igitur, & perfectam descriptionem, principiorumque intelligentiam noto 1. ex Scoto quæst. 17. num. 6. vers. *Quantum ad secundum*, quod illa particula exposita in descriptione potest significare, sive dicere plura, nimirum potest dicere circumstantiam ordinis, vt quædo dicimus, *ex nocte fit dies*, vel circumstantiam partis integralis, *vi domus fit ex lateribus*, vel circumstantiam subiecti, *vt statua fit ex are* (& nullo ex his modis præcisè sumitur in dicta principiorum descriptione) vel potest dicere circumstantiam partium essentialium,

lium, vt elementum componitur ex materia, & forma substantiali: & hoc modo sumitur in præsentia à Philosopho.

Quod præfata descriptio sit exacta, patet, quia omnibus, & solis principiis rei, sive entis naturalis convenit; quia nullum principium sit ex alio; cum nullum habeat partes essentielles physicas, alias iam non esset primum principium, sed principiatum. Deinde, omnia entia naturalia fiunt, & constant essentialiter ex ipsis. Quod vt pateat, standum est in illo, quod eruditè adnotat Scotus hic quæst. 19. num. 3. vers. *secundo notandum*, nempe quod ens naturale potest dici tripliciter. Vno modo largè, vt accidens, sive dispositio dicitur ens naturale, quia nec supernaturale, nec violentum est, neque neutrum respectu subiecti: & huiusmodi ens naturale vocatur *secundùm naturam* lib. 2. tex. 10. Secundo modo dicitur ens naturale, vt materia, & forma substantialis; & hoc improprie; quia tam materia, quam forma, non naturalia, sed naturalia dicuntur, vt videbimus in 2. lib. Tertio modo, & proprie dicitur ens naturale compositum ex materia & forma; & dicitur naturale, quia constat principiis, sive partibus essentialibus, quarum quælibet est naturalis: sicuti accidens v. g. quod proprie non dicitur ens accidentale, nisi compositum constans accidente. Ex quibus

clare conlat, omnia entia naturalia, nempe composita substantialia fieri ex principiis, scilicet *in facto esse*, ex materia & forma, & *in fieri*, sive vt transmutatio est, ex illis & privatione, vt examinabimus infra.

Deinde sciendum est, quod *ly. & omnia ex ipsis fiunt* positum in descriptione, non debet intelligi taliter, quod omnia numero, & specie composita fiant ex quibuslibet numero, & specie principijs; neque taliter, quod compositum quodlibet fiat ex omnibus numero, & specie principijs simul sumptis; quia licet equus v. g. possit fieri ex qualibet materia prima; quia omnes sunt eiusdem speciei, non tamen ex qualibet forma substantiali; quia non ex forma leonina, neque ex anima rationali, &c. neque hic numero equus potest fieri ex numero materia, neque ex numero forma alterius equi; sed debet taliter intelligi, quod hoc specie compositum fiat ex materia, & hac specie forma: & hoc numero compositum ex hac numero materia, & ex hac numero forma.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
contraria.

SIT primum argumentum: causa efficiens est principium sui effectus; nam vt expendimus supra, licet non omne principium sit causa, tamen omnis causa est

principium; sed vna causa efficiens fit ex alia, maximè si causa fit vnivoca: ergo iam vnum principium fit ex alio.

Confirmatur: forma est principium, vt cuncti cum Phil. fatentur; sed fit ex materia, quæ etiam apud omnes est principium; quia forma educitur ex materia: ergo, &c.

Resp. ad argumentum dist. mai. causa efficiens est principium extrinsecum sui effectus, conc. intrinsecum, nego, conced. min. & disting. consequens: ergo vnum principium extrinsecum fit ex alio, conc. vnum principium intrinsecum fit ex alio intrinseco, nego conseq. Similiter respondetur ad confirmationem, proportione servata; quia materia non est principium intrinsecum formæ, siquidem non est pars essentialis illius: & hic non agit Philof. de principijs extrinsecis, nisi in sequenti libro, & in præfati de intrinsecis, quæ reverà nullo ex principio intrinseco fiunt.

Instabis: tam materia, quàm forma constant genere, & differentia: ergo genus, & differentia sunt principia intrinseca illarum; atqui materia, & forma sunt principia intrinseca totius: ergo iam principia totius fiunt, & constant ex alijs principijs intrinsecis: ergo non est exacta Philofophi descriptio.

Resp. conc. antec. & dist. con-

seq. ergo genus, & differentia sunt principia intrinseca illarum metaphysica, conc. physica, neg. conc. min. subsumptam, & dist. consequens primum, sicuti antecedens, & nego vltimam consequentiam. Cum in his libris solum pertractetur de rebus physicis, quomobrem libri physicorum dicuntur, solù describit Philosophus principia physica; ac proindè dütaxat principia physica intendit excludere cõstitaëtia principia physica entis naturalis, ac si diceret: principia physica entis naturalis sunt, quæ neque ex se invicem, neque ex alijs principijs physicis fiunt: ergo dicta instantia nihil contra descriptionem Philofophi probat.

Sit 2. argum. Philof. lib. 5. de Generatione cap. 6. sic ait: *de ratione principij*, (supple est) *vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa; sed implicat dari aliquid creatum, cuius non sit superior causa: ergo entis naturalis non dantur principia intrinseca.*

Resp. Philof. in loco allegato solum loqui de primo principio omnium rerum creatarum, quale est ens à se, cuius nulla datur superior causa; in præfati vero loquitur de principijs intrinsecis entis naturalis, quibus non negat causam superiorem efficientem, nisi principia physica intrinseca.

Sit 3. arg. materia, & forma fiunt ex alijs principijs intrinsecis

cis physicis; sed materia, & forma sunt principia entis naturalis: ergo principia fiunt ex alijs principijs intrinsicis physicis. Prob. mai. fiunt ex partibus integralibus: ergo, &c.

Resp. neg. mai. Ad eius probationem dist. antec. fiunt ex partibus integralibus integraliter cōc. essentialiter, neg. & etiam cōseq. Partes namque integrales valde improprie dicuntur principia, ut ex Scoto manet notatum supra vers. *Rursus principium*; & in præfenti loquitur Philos. & omnes cum illo de principijs proprie dictis, quæ quidem sunt illa, ex quibus res essentialiter fit: & ista negat Philos. ipsis principijs entis naturalis.

SECTIO II.

QUOT SINT PRINCIPIA ENTIS naturalis.

AD quæstionis resolutionem observo ex Scoto infra allegando, dupliciter posse considerari ens, seu compositum naturale, nempe in fieri, & in facto esse. In *facto esse*, est ipsum totum, aut ens naturale, quatenus productum est iam, & extra suas causas efficientes existit. In *fieri* consideratum est ipsum transmutari materiæ, sive transire de privatione formæ ad formam.

SIT I. CONCLUSIO: principia entis naturalis in facto esse sunt

duo, nec plura, nec pauciora, scilicet materia, & forma. Loquimur enim de ente naturali, quod est compositum generabile, & corruptibile. Concl. est expressa Scoti hic quæst. 19. num. 5. vers. *Tertia conclusio*. Hæc sunt Doctoris verba: *Cuiuslibet rei naturalis, quæ est composita ex materia, & forma, sunt duo principia, & nō plura, neque pauciora; & loquor de compositis generabilibus, & corruptibilibus*. Probatur conclusio: illa, quæ intrinsicè, & essentialiter componunt physicè ens naturale, sunt illius principia, & non alia; sed materia, & forma ita componunt illud, & nihil aliud præter istas: ergo, &c. Probatur min. compositum substantiale physicum, quod est ens naturale, solum fit ex per se acta, & ex per se potentia physicis, tanquam ex partibus essentialibus physicis illius: sicuti compositum metaphysicum ex actu, & potentia metaphysicis; atqui sola materia est per se potentia physica, & sola forma per se actus physici: ergo sola materia, & forma componunt essentialiter ens naturale: ergo istæ tantummodò sunt illius principia physica intrinsicè.

Si respondeas, quod etiam fit ex vnione physica; quia posita vnione inter materiam, & formam datur ens naturale, nempe compositum, & illa ablata, non datur.

Contra, quia vnio solum est
con-

conditio sine qua non possunt partes, scilicet materia & forma componere ac constituere totum, ut omnes communiter fatentur; sed conditio, ut aliquid sit, non est quid essentiale illius: ergo unio non est pars essentialis entis naturalis, siue compositi physici: ergo neque principium illius. Prob. min. approximatio ignis ad lignum v. g. est conditio sine qua non potest ignis comburere lignum; sed quia est conditio, ut ignis comburat, non est quid essentiale in igne ad comburendum: ergo conditio, ut aliquid sit, non est quid essentiale illius.

Ut in assignandis principijs entis naturalis in fieri, omnis ambiguitas & æquivocatio tollatur, noto, quod pro ente naturali in fieri potest intelligi ipsam ens naturale, siue compositum substantiale, quatenus sit: & si hoc modo consideretur, certum est, quod principia intrinseca illius sunt eadem, quæ in facto esse; quia easdem partes essentielles habet dum est in fieri, ac dum est in facto esse; at hæc consideratio totius in fieri, quoad assignanda principia illius, est eadem, ac consideratio eius in facto esse; quia utraque considerat illud, ut constat partibus essentialibus, quæ illud in facto esse constituunt.

Vnde, pro ente naturali in fieri non intelligunt communiter

Philosophi ens naturale, prout constat materia & forma; quia ut sic, num consideretur in fieri, num verò in facto esse, illius principia intrinseca solum sunt materia & forma, ut adnotatum manet, & docet Scotus allegatus; sed intelligunt pro ente naturali in fieri transmutationem materiae ad ens naturale, siue compositum substantiale. In hoc namque sensu compositi naturalis in fieri quærit Doctor Subtilis principia intrinseca illius in eadem quæst. allegata, in qua etiam assignat principia eius intrinseca, quatenus constat materia & forma, num ut sic consideretur in facto esse, num verò in fieri. En verba Scoti Subtilis in dicta quæst. num. 2. vers. *Oppositum arguitur*. Sic scribit: *In quæstione movebuntur duo dubia. Primum est verum cuiuslibet rei naturalis sint tria principia? Et secundum, verum cuiuslibet transmutationis naturalis sint tria principia?*

Ut autem assignet principia transmutationis naturalis in eadem quæst. num. 8. vers. *Quantum ad secundum*, notat, & Nos cum illo, quod (his verbis) aliquid potest dici dupliciter principium intrinsecum. Vno modo, quia est pars integralis, vel essentialis ipsius. Alio modo, quia est necessarium requisitum ad cognitionem ipsius, ita ut illud aliud non possit cognosci, definiri, imaginari sine ipso, & sic dicimus, quod motus est principium nature, quia sine motu non potest cognosci natura,

natura, saltem definitivè. In ista igitur acceptione principij intrinseci.

SIT 2. CONCLUSIO: principia entis naturalis in fieri, sive transmutationis naturalis sunt duo positiva solummodò, & vnum negativum, & sic tam negativa, quam positiva numerata, solum sunt tria, & non plura, nec pauciora; nempe materia, forma, & istius privatio. Etiam est Scoti allegati à nu. 9. verf. *Secunda conclusio*. Prob. concl. illa quæ generatio requirit essentialiter, & sine quibus nequit definiri, nec cognosci sunt principia illius, vt supra manet ex Scoto notatum; sed generatio, vt est transmutatio, requirit essentialiter tria prædicta, & nequit cognosci, neque definiri sine illis: ergo, &c. Prob. min. quælibet transmutatio requirit essentialiter subiectum, quod transit, seu transmutatur, quod quidem est materia in generatione substantiali, & terminum à quo transeat, & terminum ad quem transeat, sive quem acquirat, qui reverà sunt forma, quæ acquiritur, & istius negatio: ergo generatio, vt transmutatio est, ista tria dicit essentialiter, & sine illis neque intelligi, neque definiri valet. Deindè, nihil amplius requirit essentialiter, & istis duataxat intelligi & definiri potest, vt ex se patet: ergo præter tria dicta nullum aliud principium intrinsecum habet.

Circa quod noto, quod in presentiarum non pertractamus de transmutatione activa, quæ est respectus agentis, sive transmutantis ad transmutatum, neque de transmutatione passiva, quæ est respectus transmutati ad transmutatam, vt diximus in Met. disp. 7. sect. 1. ista enim cum sint relationes extrinsecus advenientes, non habent principia physica intrinseca; quia non sunt composita physice; sed agimus de transmutatione, prout est ipse transitus in fieri materiæ ad formam, quam acquirit.

ARGUMENTA CONTRA PRÆ-
dictas conclusiones enervantur.

SIT primum argumentum contra primam conclusionem: datur compositum naturale, quod fit, & coalescit ex triplici principio: ergo falsa est nostra conclusio. Antec. prob. in homine v. g. (idem tenendum de quolibet vivente sentiente) datur materia, forma corporeitatis in nostra Scotica sententia, & insimul Anima rationalis; sed ista sunt tria principia, nempe vna materia, & duæ formæ substantiales prædictæ: ergo, &c.

Resp. neg. antec. ad eius probationem conc. mai. & neg. min. Quia forma corporeitatis, licet sit substantialis est dispositio materiæ ad recipiendam Animam rationalem; dispositiones autem, licet

licet sint formæ in se, nûm accidentales, nûm verò substantiales, se habent ex parte materiæ in composito substantiali, & respectu formæ substantialis recipiendæ; quia ista non recipitur in materia vt cumque, nisi in materia disposita, & neque disposita vt cumque, hoc est, ad quamlibet formam, nisi in materia disposita ad illam formam, quam recipit. Vnde, quando Scotus assignat materiam, tanquam vnum solummodò principium entis naturalis, assignat materiam cum omnibus dispositionibus requisitis ad formam entis naturalis; sed vna ex dispositionibus ad animam rationalem, quæ est forma constitutiva hominis, est forma corporeitatis: ergo ista respectu hominis se tenet ex parte materiæ: ergo non debet enumerari vt principium intrinsecum hominis, nisi vt dispositio principij, quod est materia.

Instabis: mortuo homine, remanet corpus, quod quidem est ens, siue compositum naturale, vt potè constans materia, & forma corporeitatis, quæ est forma substantialis: ergo forma corporeitatis est principium intrinsecum entis naturalis; atqui non est materia: ergo est principium aliud à materia: ergo in homine enumerari debet vt principium aliud à materia: ergo tria dantur principia in illo.

Resp. ad antec. conc. quod re-

manet corpus, & illud, nempe esse ens naturale, dist. completum, & perfectum, neg. incompletum, & imperfectum, conc. etiam illud, vt potè constans materia, & forma corporeitatis, & dist. illud, quæ est forma substantialis, vltimata, & perfecta, neg. non vltimata, & imperfecta, conc. & vterius dist. consequens: ergo forma corporeitatis est principium intrinsecum entis naturalis completi, & perfecti, neg. incompleti, & imperfecti, conc. Min. subsumptam dist. etiam: atqui non est materia incomposito incompleto, & imperfecto, conc. incomposito completo, & perfecto subdist. non est materia, neque istius dispositio, neg. non est materia, & est istius dispositio, conc. Consequens primum dist. etiam: ergo est principium aliud à materia compositi incompleti, & imperfecti, conc. completi, & perfecti, neg. & similiter secundum consequens, & tertium. Non indiget solutio maiori explicatione, qua constat ipsa solutio in forma, & solutio ad argumentum.

Si hæc solutio non placuerit, noto ad aliam exhibendam, quod in homine, sicut in quolibet alio vivente sentiente, datur duplex compositio physica, duplex forma, duplexque compositum, vnum completum, quod est ipse homo, & aliud incompletum, quod est corpus organicum: & dicitur incompletum, quia forma, qua com-

poni-

ponitur, est incompleta, id est, subordinata alteri formæ perfectiori, & dispositio materiæ ad illam, quæ dicitur forma specifica, seu dans speciem, quæ in homine est anima rationalis. His notatis.

Resp. secundò ad argumentum neg. antec. ad eius probationem neg. suppositum maioris, nempe quod compositum humanum, prout illa duplici forma constat, sit vnum compositum solum, sed duplex, aliud organicum, & aliud specificum, diversa, forma constans vnumquodque, vnum inadæquatum, & incompletum, & aliud adæquatum, completum, & vltimum: & si vocatur vnum compositum est autonomistice, quatenus perfectius compositum, videlicet specificum, & completum continet aliud organicum, & incompletum, quatenus supponit profamiosiori. Sic respondet P. Blasius à Benjamea; sed contra illam possunt efformari alicuius ponderis instantiæ, ob quas adæquatorem iudico primam.

Sit 2. argum. in quolibet mixto dantur elementa: ergo præter formam mixti dantur formæ elementorum: ergo in quolibet mixto dantur quinque formæ substantiales, ac per consequens sex principia, nempe forma mixti, quatuor formæ elementorum, & materia.

Resp. dist. antec. dantur elemen-

ta virtualiter solum, conc. formaliter, neg. & etiam vtramque consequ. In suo loco probavimus, quod elementa non manent formaliter in mixto, nisi solum virtualiter.

Sit 3. argum. contra 2. concl. Scotus hic quæst. 19. num. 9. vers. *Secunda conclusio*, hæc habet: *Ex quo sequitur, quod transmutationis naturalis sunt duo principia realiter distincta, & non plura, scilicet materia, & forma: ergo iuxta Scotum non sunt tria, scilicet materia, forma, & istius privatio, ut dicimus in conclusione.*

Resp. Scotum allegatum velle solum duo esse principia positiva, & idèd dicit solum esse duo realiter distincta; quia solum inter entia positiva datur distinctio realis, ut dixi in Metap. tract. 3. disp. 3. sect. 6. à vers. *Sit 2. conclusio*. Non enim negat Scotus dari tria numerando negativum inter positiva, imò ait materiam non sufficere ad transmutationem, nisi sit privata. Audi Doctorem subtilem in eodem vers. *Sed alterum istorum qualitercumque se habens non sufficit ad transmutationem, scilicet materia, quam oportet esse privatam, &c.* Quod expresse docet vers. sequenti respondendo ad rationes in contrarium. Hæc habet: *Concedo, quod materia, & forma sunt principia compositi; sed materia, forma, & privatio sunt principia transmutationis, capiendo principium secundo modo, pro eo, sine quo*

quo aliquid non potest cognosci, & desinere: quia transmutatio desinitur per formam, materiam, & privationem.

Sit 4. argum. privatio non est ens reale positivum, neque datur, dum adest generatio, aliàs cum datur iam tunc forma ista, & eius privatio existerent simul, quod est contradictio; sed principium generationis debet esse quid reale positivum, & existere, sive dari, dum existit generatio: ergo privatio formæ in materia nequit esse principium generationis, sive entis naturalis in fieri.

Resp. conc. mai. quoad geminam partem, & dist. min. quoad eadem utramque partem: si principium sit physicè influens, conc. si tale non sit, sed præcisè terminus à quo transmutationis, neg. & etiam consequ. Imò ex eo quod terminus ad quem transit subiectum, sive materia sit quid positivum, terminus per se à quo debet esse privatio termini ad quem; quia si subiectum non præcedat privatum termino ad quem, supponitur habens illum, ac per consequens non potest transmutari ad ipsam, sive acquirere illum, quia nihil acquirit, quod iam possidet. Deindè, sicut dum datur generatio sive transmutatio in fieri, incipit esse terminus ad quem, debet desinere esse terminus à quo; eo quod tales termini sint contradictoriè oppositi.

Sit 5. arg. in generatione naturali non solum transmutatur materia à privatione formæ ad ipsam formam privatam, verum etiam ab vna forma ad aliam, ut patet in ligno, cuius materia transit à forma ligni ad formam ignis: ergo potiori iure debet poni principium transmutationis naturalis forma derelicta, tanquam terminus à quo, quam privatio formæ acquisita, vel saltem debet poni etiam forma amissa, & sic iam annumeratur quatuor principia transmutationis, quod etiam est contra nos.

Resp. dist. antec. non solum transmutatur à privatione, verum etiam à forma, per se ab utraque, neg. à privatione per se, & per accidens à forma, conc. & neg. utramque partem disiunctivæ consequentiæ. Ut aliquid sit principium respectu principiatum, debet se habere per se ad illud, & non per accidens; & forma corrupta non est terminus à quo per se transmutationis materiæ, nisi valdè per accidens; quia poterat talis forma non præcedere in materia, sed alia, v. g. forma ligni, dum istius materia transmutatur ad formam ignis, vel poterat nulla præcedere, saltem divinitus: ergo forma corrupta non solum non est principium transmutationis tanquam terminus à quo potiori iure, quam privatio formæ, quæ acquiritur, verum neque absolutè est principium illius

illius: ac perinde tenet nostra conclusio quoad omnes partes.

Sit 6. arg. illa sunt principia per se rerum naturalium, ex quibus sunt, seu fiunt tanquam ex causis intrinsecis primis; sed fiunt ex materia, & forma, & non ex privatione: ergo, &c.

Resp. dist. mai. rerum naturalium in facto esse, conc. transmutationis, & sumpto principio pro illo, sine quo principiatum nequit cognosci, nec definiri, neg. Similiter dist. min. & neg. consequ. Solutio patet ex supra dictis, & notatis.

Sit 7. arg. principium debet esse prius principiato; sed forma est posterior generatione, vel saltem non est prior: ergo, &c.

Resp. conc. mai. & neg. primam partem minoris, secundamque dist. vel saltem non est prior, tempore conc. natura neg. & etiam consequentiam. Vt enim materia transmutetur de non habere formam ad illam habendam, requiritur, quod forma uniat materia, sed ut forma uniatur materię debet esse prius natura, quam uniatur: ergo & quod transmutetur materia.

Noto pro complemento difficultatis, quod corruptio, ut est transmutatio deperditiva, continet etiam tria principia, scilicet formam, quę acquiritur, materiam, & privationem formę, quę corrumpitur, seu deperditur: & te habent e contra, ac in generatio-

ne; nam in corruptione forma, quę deperditur, est terminus a quo, & istius privatio est terminus ad quem; quia in corruptione transit materia de habenda forma ad illam non habendam.

Deinde noto, quod creatio, cum sit productio rei ex nihilo, terminus creatus habet pro principio extrinseco causam e eantē. At verò ut est aliquomodo mutatio, habet duo principia, scilicet entitatem creatam, & istius negationem; quia per creationem nullum subiectum transmutatur; sed solum datur transitus de non esse ad esse entitatis creatę. Anihilatio habet eadem principia, sed e contra; quia res annihilata transit de non esse ad esse.

DISPUTATIO II.

DE MATERIA PRIMA.

INTER principia entis, sive compositi naturalis, nec non & naturalis transmutationis primum locum in ordine obtinet materia prima; quia ipsa est subiectum, ex quo formę substantiales educuntur per generationem; pariterque est subiectum, quod per generationem transmutatur de termino a quo ad terminum ad quem, ob quod cuncti DD. postquã de principijs entis naturalis in communi; ut de eis in particulari agant, a materia prima exordium sumunt, quam

rectam methodum assequentes post precedentem hanc de materia prima disputationem apponimus.

SECTIO I.

AN DETUR MATERIA PRIMA?

NON agimus in presenti de materia metaphysica, quæ sub vna consideratione est prædicatum metaphysicum, quod dicitur genus, & sub alia iuxta Philos. est individuationis prædicatum, de quibus in logica disputavimus; sed modò agimus de materia prima, quæ est vna pars compositi substantialis formarum substantialium receptiva. De qua sciendum est, quod per varios respectus; quos dicit, sive propter diversa munera, quæ exercet, multipliciter dividitur, sive (vt propriè loquar) nominatur. Appellatur nimirum materia ex qua, in qua, & circa quam. In qua dicitur per ordinem ad formam; quia in illa recipitur, & existit. Materia ex qua appellatur per ordinem ad totum: quia ex illa componitur tanquam ex parte materiali: & hoc modo etiam appellatur in ordine ad formam materialem; quia ex illa tanquam ex materia educitur. Dicitur denique materia circa quam per ordinem ad agens; quia istud circa illam operatur.

Communiter dividitur mate-

ria in primam, & secundam. Prima est, quæ ultra habere munera, quæ assignavimus, negat aliam, in qua recipiatur, vel ex qua componatur. Materia secunda dicitur ipsum compositum substantiale, quod revera appellatur materia, quia in ipso recipiuntur accidentia, & cum illis constituit, seu componit concretum accidentale. Et dicitur secunda, quatenus supponit aliam, scilicet primam, ex qua componitur.

SIT CONCLUSIO: datur materia prima. Supponit Scotus conclusionem hinc quæst. 6. num. 11. vers. *Nunc ad rationes*. Et in quæst. 17. per totam, & quæst. 18. à num. 5. & quæst. 19. à num. 4. vers. *Secunda conclusio*. Et quæst. 20. per totam, aliisque in pluribus locis. Est communis apud omnes, vno, vel altero dempto, ex Philos. lib. 1. Physic. & 8. Met. Supposito, vt certum, agens naturale non posse naturaliter creare, neque annihilare, quod quidem non solum naturaliter, verum supernaturaliter fieri non valere probavimus in Theolog. tract. de Creatione Disp. 2. Sect. 3. Subsect. 10. & Sect. 4. Prob. 1. conclusio: dum ignis v.g. comburit lignum, non creat ignem, neque lignum annihilat; sed remanet ignis, & lignum non remanet: ergo remanet aliquid, à quo expellitur forma ligni, & in quo forma ignis producta introducit, & remanet, alias lignum annihilaretur, & crearetur

retur ignis vt patet ex natura creationis, & anihilationis fuse explanata in Theolog. tract. de Creatione: ergo illud, quod remanet erit subiectum commune prædictis formis, siquidem potest illas successivè habere; atqui nihil aliud est materia prima: ergo datur.

Eadem veritate supposita, nempe agens naturale non posse naturaliter creare, neque annihilare, probatur efficaciter in nutritione viventis. Arguo sic: dum vivens crescit, & augetur, aliquid alimenti deperditur, vt ex se patet; sed non deperditur totum, taliter quod annihiletur: ergo remanet in vivente aliquid alimenti, quod recipit in se formam viventis; atqui antea habebat in se receptam alimenti formam: ergo illud alimenti, quod remanet in vivente, est subiectum commune formis alimenti, & viventis, istas successivè recipiens: ergo est materia prima.

Denique prob. concl. ipsa experientia, qua cognoscimus, quod dum ignis v. g. generatur ex ligno appposito, revera nequè lignum redigitur in nihilum, nequè ignis ex nihilo fit: ergo necesse est, manere aliquid ligni, ex quo præexistente fiat; atqui hoc præexistens non est forma ligni; quia ista corrumpitur, vt patet experientia: ergo est subiectum, in quo erat prius forma ligni, & postea est ignis for-

ma: ergo datur materia prima.

Respondent aliqui admittendo subiectum commune receptivum formarum substantialium, quod certè (asserunt) non est materia prima, sed quatuor elementa scilicet ignis, terra, aqua, & aer, quæ licet vnita inter se, sunt simplicia secundùm hos Authores, sicuti materia prima apud nos.

Vltra quod non facilè capi potest, quomodò sint quid simplex, vt materia prima, cuncta elementa simul, cum distinctis valdè naturis constant; arguo contra dictam solutionem: quando ignis v. g. disponit lignum, vt illud comburat, & producat ignem, disponit illud producendo in eo calorem, vt nos docet experientia: ergo hanc dispositionem nempe calorem (idem dicendum de siccitate) debet introducere ignis in illa parte ligni, vbi non est forma ignis; nã pars, quæ iam est ignis non indiget illa: ergo iam datur aliqua pars in ligno, quæ non est elementum ignis, & in qua recipitur forma ignis; atqui hæc pars non sunt alia tria elementa; quia fatentur ipsi nihil entis corrupti remanere, dum aliud elementum generatur: ergo erit aliud subiectum commune, quod dicitur materia prima.

SECTIO II.

QVID SIT MATERIA
prima?

HANC descriptionem materiae primae tradit ex Phil. Subtilis D. hic quaest. 20. in expositione text. num. 35. vers. *Et ponit Aristoteles, materia prima est primum subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit plerumque.* Convenit omni, & solitariae; quia licet compositum substantiale sit subiectum formae accidentalis, ex quo fit aliquid, nempe concretum accidentale (idem dico de materia totius artificialis, servatis servandis, & de elementis, & alijs huiusmodi) ac per consequens materia prima conveniat cum illo per hoc, quod est esse subiectum, ex quo fit aliquid, cum insit, quae est una ex particulis descriptionis; differt ab illo per istam aliam particulam, non secundum accidens, siquidem ex toto solum fit concretum accidentale: & etiam ab hoc, & elementis (& alijs, ut caro, & sanguis, &c.) differt per hanc aliam primam; quia omnia praedicta iam sunt secunda subiecta, eo quod alio consent, nempe ipsa materia prima: ergo convenit soli materiae primae.

Deinde convenit omni; cum nulla sit, cui non conveniat esse

primum subiectum; siquidem nulla supponit aliam materiam, sive subiectum, in quo sit recepta. Insuper, ex qualibet fit totum substantiale, quod quidem non est secundum accidens, nempe non secundum formam accidentalem, nisi secundum substantiam, id est, secundum formam substantialem, quam ut primum subiectum recipit. Neque est aliqua materia prima, quae si corrumpitur totum, quod componit, non resolvatur ultimo in ipsam, id est, materia ultimo remanet; quia ista nunquam corrumpitur.

Ex dicta namque descriptione clarissime inferitur, multa praedicta propria, & specialia competere materiae primae. Tamen esse substantiam incompletam constitutivam compositi substantialis, quod per illam particulam, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens, denotatur, non est quid speciale materiae primae, sed quid genericum, seu quasi genericum, conveniens etiam formae substantiali; nam etiam forma est substantia incompleta constitutiva compositi substantialis.

Hoc quod est, posse educi ex materia formas substantiales, est minus speciale materiae primae; cum nulli alteri conveniat, quod sufficienter explicat Philosophus per *primum subiectum ex quo*; quia non solum est subiectum ex quo materia prima, quatenus ex illa tanquam ex subiecto componitur totum

totum substantiale, sed etiam quia forma substantialis educitur ex illa tanquam ex subiecto.

Materiam primam esse indifferentem ad distinctas formas substantiales, & consequenter ad diversa substantia cōposita componenda etiam est prædicatum specialissimum ipsius, quod denotat Philos. per illas duas particulas, scilicet *ex quo aliquid fit, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*; quia utrumque requiritur ad indifferentiam prædictam, nempe quod ex illa fiat compositum, & quod si istud corrumpitur, non corrumpatur materia, sed quod remaneat, ut aliud cōponatur cum forma, quæ introducitur, dum corrumpitur quæ præerat.

Deinde, ex eo quod ex materia prima fiat compositum, tanquam ex subiecto, sequitur ipsam esse receptivam formarum substantialium, esseque ab istis informabilem, quod idem est: & hoc etiam est prædicatum specialissimum materiæ primæ.

Uterius, prædicatum speciale materiæ primæ est esse priorem forma prioritate naturæ, quod colligitur ex eo quod sit subiectum ex quo educitur forma; quia hoc est esse causam materialem formæ, & quævis causa est prior suo effectu prioritate naturæ, ut videmus in suo loco. Nec obest, quod causa non sit, adhuc materialis animæ rationalis, quæ forma substantialis est, siquidem

anima rationalis non educitur, sed creatur; quia hoc solum debet intelligi respectu formarum substantialium ab agente naturali, sive causa secunda producendarum, quales sunt formæ substantiales materiales.

Item, esse principium passivum operationum compositi non est prædicatum speciale materiæ (modo ergo non resolvitur, ut operationum vitalium, & sensitivorum, sit subiectum receptivum sola materia, vel ut etiam forma, vel ut. totum, ut distinctum ab illis, nam suo in loco examinabimus) sed commune materiæ, & formæ, saltem animæ rationali; quia ista etiam est subiectum receptivum intellectionis, & volitionis. Et non valet dicere istas non esse operationes compositi, sed solius animæ rationalis; nam illas producit compositum ratione partis formalis inclusæ in illo, nempe animæ rationalis, ob quod operationes compositi dici debent.

Denique, esse impenetrationis principium, nec est prædicatum speciale, nec genericum, aut quasi genericum materiæ primæ; quia nullatenus convenit materiæ primæ esse tale principium. Hoc namque est specialissimum quantitatis, quæ à materia prima distinguitur, quod omne probatum manet in Metaphysica.

Et noto, quod in materia prima idem formalissimè sunt omnia

nia hæc munera, nempe esse indifferentem ad componendum diversa composita substantialia, & esse indifferentem vt à distinctis formis substantialibus recipiat diversos effectus formales, denominetur, & informetur: & patet, quia idem sunt in forma substantiali constituere, siue componere compositum substantiale, tribuere materiæ effectum formalem, informare, & denominare illam. Quod constat, quia nequit vnum intelligi, quin intelligantur & alia. Deinde, quia omnia illa nihil est aliud, quam formam vniui materiæ: ergo similiter omnia prædicta erunt formalissimè idem in materia.

Vndè iuxta apposita, solum potest procedere difficultas de constitutivo formali materiæ primæ inter hoc, quod est esse subiectum, ex quo possunt educi formæ substantiales, & inter hoc, quod est esse subiectum, ex quo possunt fieri composita; quia ex prædicatis specialibus materiæ hæc solummodò distinguuntur formaliter inter se. Circa quod.

SIT CONCLUSIO: constitutum formale materiæ primæ non est aptitudo, vt ex illa educantur formæ substantiales, sed aptitudo ad componenda diversa composita substantialia. Conclusio est conformis Philof. & Scoto, vt patet ex descriptione materiæ supra data, & explanata, quia in descriptione non dicitur, quod

materia est primum subiectum ex quo educitur aliquid, licet possit æquè interpretari iuxta hunc sensum; & dicitur expresse, esse primum subiectum ex quo fit aliquid: ergo quia sentiunt hoc quod est fieri, seu componi ex illa, tanquam ex primo subiecto, ens, siue compositum naturale esse prædicatum essentialius illis.

Et probatur: hoc quod est esse educibile ex materia prima, non convenit omni formæ substantiali: ergo neque materiæ convenit aptitudo, vt ex illa educatur respectu cuiuscumque formæ; licet respectu omnis compositi substantialis conveniat illi, vt fiat ex ea. Deinde, respectu omnis formæ substantialis est materia prima, sicuti & respectu omnis totius: ergo essentialius est, vt fiat ex illa totum substantiale, quam quod ex illa educatur forma. Autec patet in anima rationali, ex quo omnia alia dicta in argumento sequuntur.

SECTIO III.

*VIRVM MATERIA PRIMÆ
habeat propriam existentiam.*

HIC affolet diffuso examine inquiri. Vtrum materia prima sit pura potentia omnem excludens actum? A qua superse- deo difficultate; nam si ad questionem de nomine non reduci- tur, vt frequens est apud nonnul-

ios recentes Thomistas, tota revera quæstio pendet ab hac alia, quam in præfenti sect. examinamus: cū tota debeat sub hoc cardine niti, videlicet, an materia existens, vel existat existentia sua propria, sicuti forma sua, & quælibet alia res existens: vel existat existentia aliena, nempe formæ, ut cuncti sustinent Thomistæ?

Quia si materia prima habet propriam existentiam, sicuti forma, nequit dubitari, quod licet sit pura potentia physica, prout pura potentia physica excludit omnem actum physicum, sumpto actu physico pro forma physica, siquidem materia in sua entitate nullam includit formam physicam, nulli erit dubium, non esse puram potentiam, ita ut non dicat, seu includat in sua entitate actum entitativum, prout actus entitativus est actualis existentia, ut satis ex se patet.

Deindè, cum materia prima constet suis prædicatis metaphysicis generico, & differentiali; siquidè est substantia incompleta, sicut & forma physica, & ab ista essentialiter distincta, quis poterit rectè, dubitare, materiam primam habere proprium actum metaphysicum, licet sit pura potentia physica in sensu prædicto, sumpto actu metaphysico pro prædicato metaphysico specifico, & differentiali? Sicuti de forma physica, de qua, estò sit purus actus physicus,

prout iste contradistinguitur à potentia physica, quæ est altera pars compositi physici; quia constat ius prædicatis metaphysicis generico, & differentiali, nullus ambigit, formam physicam habere, seu dicere propriam potentiam metaphysicam. In nullo discrepat paritas.

Uterius, si materia habeat propriam existentiam sicuti & forma, nequit dubitari, quod sicut forma physica, dum adhuc non est producta, & non existit physicè, sed est possibilis, licet ex sua essentia, & quidditate sit purus actus physicus, esse puram potentiam obiectivam; quia ista non est aliud, quàm possibile physicum, hoc est possibile nondum productum: ita similiter materia, dum adhuc non est producta, extracta à statu possibilitatis, & actu existens, licet sit actus entitativus, sive estò habeat actum entitativum proprium, prout actus entitativus nihil est aliud, quàm esse actu existens propria existentia, revera erit pura potètia obiectiva; prout pura potentia obiectiva, est esse possibile, & nondum existens: ac per consequens, dum iam est existens non erit pura potentia obiectiva, sed actus entitativus. Insuper, licet materia prima, dum existit, non existat existentia propria, sed aliena, nempe formæ, ut dicunt Thomistæ, adhuc dum existit, non erit pura potètia obiectiva; quia tunc

iam non est merè possibilis, sed existens; sed tamen cum in hac suppositione nō existat per suammet entitatem, sive per suam propriam existentiam, adhuc ipsa per suam entitatem nō erit actus entitativus, scilicet actū existens, nisi per existentiam formæ, vel alterius: quare in tali suppositione, cum ex se non existat, adhuc poterit dici pura potentia ex se, quatenus scilicet pura potentia sumitur pro non existere per suam entitatem, neque per propriam existentiam, nisi per existentiam alienam.

Omnia prædicata adducimus, ut quæst. de nomine evadere possimus simulque, ut penitus sciamus in quo sensu materia prima sit pura potentia, omnem actum excludens, & quo modo includat actum, necnon & sub qua consideratione ipsa sit actus, tam in sententia Thomistarum assentionem, non existere propria existentia, sed existentia formæ, quam in nostri Doctoris sententia tenentis, materiam primam existere propria existentia. Quare, ut supra notavimus tota hæc difficultas (omni quæstione de nomine ablata) utr. & quomodo materia prima sit pura potentia omnem excludens actum, & utr. aliquem actum includat, & quomodo? pendet omnino ex ista alia, quam in præsentis sect. disputamus. Circa quam.

SIT CONCLUSIO: materia pri-

ma non existit existentia formæ, sed propriam habet existentiam, qua existit. Ita Scotus lib. 7. Met. quæst. 5. & in 2. Dist. 12. quæst. 1. per totam, quarum quæstionum doctrinæ confirmant, quæ manent dicta de materia prima, nempe, quomodo sit actus, & quomodo sit potentia. Hæc conclusio potest efficaciter suaderi rationibus, quibus in Met. Disp. 2. sect. 2. & 3. defendimus existentiam cuiuscumque rei non distingui ab ipsius essentia; nam hoc probato, rectè concluditur materiam habere distinctam existentiam ab existentia formæ; quia habet distinctam essentiam. Sed adhuc independentem ab his.

Prob. 1. concl. à Scoto allegato, ex pluribus muneribus, quæ materia prima exercet, quæ sine existentia exercere non valeret: quia materia prima est subiectum mutationis substantialis; & subiectum recipiens formas, est causa materialis earum, ex cuius potentia educuntur, estque pars physica compositi substantialis: ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, & independentem ab ea, saltem dependentia à priori. Antec. est certum apud omnes tenentes materiam esse distinctam à forma. Conseq. prob. quia mutatio non fit nisi in subiecto existente in rerum natura, & sub utroque termino à quo, & ad quem manentem nec forma recipitur, & sustentatur

ratur in subiecto, neque educitur ex illo, nisi subiectum existat prius natura, quam illa: nec compositam constituitur, nisi ex partibus realiter inter se distinctis, & prius natura existentibus; nam quod est prius, nullo modo potest accipere existentiam à posteriori: ergo materia prima, propria existentia existit, & non existentia formæ.

Huic apud Scotistas validissimo argumento respondent Thomistæ, materiam præexistere ante productionem formæ, quæ producitur; quia ante quam ista producat, & recipiatur in illa existit existentia formæ, quæ per productionem alterius corrumpitur, & secundum illam priorem existentiam concurrere ad productionem novæ formæ.

Sed contra: quævis causa debet necessario existere in illo primo instanti, in quo effectus ab illa proveniens existit, aliàs effectus posset provenire, & produci à causa non existente; sed in illo primo instanti, in quo existit forma producta, iam non existit forma destructa, aliàs naturaliter possent ambæ existere simul in materia: ergo in illo primo instanti, in quo fit, & existit forma producta, non existit existentia formæ præcedentis: ergo materia nequit causare existentiam novæ formæ existendo per existentiam formæ præcedentis, aliàs vt non existens causaret, quod implicat.

Huic instantiæ respondent, quod in instanti generationis existit materia per existentiam formæ subsequenter.

Contra: forma succedens non potest tribuere existentiam materiæ prius natura, quam illam informet; quia informatio est medium, quo materiæ communicatur existentia formæ, dato, quod per illam existat; atqui informatio præexigit subiectum existens prioritate naturæ; quia est unio actualis formæ cum subiecto, & unio præsupponit extrema existentia saltem prioritate naturæ: ergo materia in instanti generationis nequit existere per existentiam formæ succedentis: ergo cum neque per existentiam formæ præcedentis, vt manet probatum, dici debet nullatenus existere per existentiam formæ, sed per propriam existentiam.

Instantiæ isti respondent, quod materia prius natura, quam forma, existit in genere causæ materialis; & forma prius natura, quam materia in genere causæ formalis.

Sed cōtra: in nullo genere causæ potest effectus secundum esse reale, & existens præcedere suam causam: ergo repugnat materiam existere prius in genere causæ materialis, & formam in genere causæ formalis. Prob. antec. existentia, quæ per vos, convenit prius materiæ in genere causæ

materialis, vel convenit ipsi per se ipsam independenter à forma in quocumque genere, vel non: si primum, habetur intentum: si secundum, ergo existentia effectus erit in causa ratio, vel conditio necessariò requisita ad causandum ipsum effectum: ergo existentia formæ à se ipsa dependebit: ergo se ipsam præcedet, & in se ipsa recipietur, quæ omnia impli- cant contradictionem.

Contra 2. quia materia in nullo genere causæ potest existere, nisi in genere causæ materialis: & licet possit in alio genere, per unicam existentiam debet in quocumque existere, similiter & forma in suo genere: ergo dato, quod materia in aliquo genere existat priùs forma, in quocumque genere existit priùs, & similiter forma priùs materia: ergo se ipsam contradicit dicta solutio. Antec. patet: quia quidquid existit, licet sit in pluribus generibus, eadem existentia existit in omnibus generibus, in quibus est: ergo, &c.

Respondent alteri, quod licet causalitas causæ efficientis supponat necessariò existentiam in ipsa causa ad existentiam effectus; quia actiones sunt existentium, & subsistentium; tamen causalitas causæ materialis, & causæ formalis hoc non exigit; sed satis est, asserant, quod in illo priori talis causa sit extra nihil essentia, & in eodem instanti temporis simul cum composito,

& per istius existentiam existat: cuius ratio est, quia genus causæ materialis præsertim est genus potentialitatis, & ideò nequit exerceri per existentiam, quæ quidem est ultima rei actualitas.

Contra 1. non minùs indiget materia existentia ad suam causalitatem exercendam, quàm causa efficiens: ergo nulla est solutio. Prob. antec. 1. quia in illo instanti, in quo egreditur forma ab agente, tanquam à causa efficiente, debet illam recipere, & sustentare materia, quæ est ipsius causalitas; sed non minùs requiritur existentia in virtute activa, ut ab illa egrediatur forma, quàm in passiva, ut in illa recipiatur, & sustentetur: ergo.

Prob. 2. antec. ideò in causa efficiente requiritur existentia, quia ut non existens, est nihil, nõ repugnans esse, & quod est nihil licet nõ repugnet esse, quãdiù est nihil, non potest aliquid producere; sed etiam materia prima, ut non existens, est nihil non repugnans esse; & quod est nihil, licet non repugnet esse, quãdiù est nihil, nihil potest recipere: ergo par est utriusque ratio.

Confirmatur hæc ultjma instantia: quia sicut si causa efficiens, ut est nihil non repugnans existere, posset producere formam, licet nunquam produceretur, nec existeret, posset producere formam, quod est absurdum; siquidem, & si nunquam produceretur,

tur, nec existeret, semper esset nihil non repugnans existere; ita similiter materia prima, si ut est nihil non repugnans esse, posset recipere formam, licet nunquam crearetur, nec existeret, posset recipere formam, quod idem est inconueniens; quia similiter, estò nunquam produceretur, nec existeret, semper esset nihil non repugnans esse: ergo, &c.

Insto 2. contra dictam solutionem: in illo priori, in quo materia secundum suum esse essentia realis, & in quo non existit existentia formæ, causat formam in genere causæ materialis, & compositum, intelligitur esse extra causam efficientem, quantum ad illud esse essentia realis: ergo intelligitur existens: ergo cum illo tunc non intelligatur existens existentia formæ, intelligitur existens propria existentia. Antec. est certum; quia ab initio mundi fuit creata à solo Deo: deinde, quia in sequenti instanti ad illud, quod dicitis, non creatur. Prima consequ. sequitur; quia nihil intelligimus, neque re vera est aliud, rem aliquam existere, quam esse extra suam causam, vel suas causas productivas secundum suum esse essentia realis. Nihil namque aliud requiritur, ut quælibet res existat. Quomodo ergo sit potentiale genus causæ materialis, diximus iam supra, & quod talis potentialitas non excludit actum

entitativum, nempe existentiam.

Prob. 2. ex alio munere physico, ex quibus in prima probatione asseruimus exercere materiã, scilicet manere sub utroque termino mutationis, vel sub forma corrupta, & sub forma de novo producta, qua de causa dicitur à Philosopho ingenerabilis, & incorruptibilis. Arguo sic: si materia prima non haberet propriam existentiam, sed existeret existentia formæ, non esset ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo non existit existentia formæ. Prob. antec. si existeret existentia formæ, dum generatur, forma generaretur, & dum forma corrumpitur, corrumpetur: ergo. Prob. antec. tunc aliqua res generatur, quando ab aliqua causa efficienti tribuitur existentia, per quam physicè & realiter existit in rerum natura; & tunc corrumpitur, quando talis existentia destruitur; sed si materia existeret existentia formæ, quando producitur forma, tribueretur materia ab ipsa causâ producete formam, existentia, per quam materia existeret physicè, & realiter à parte rei; & quando corrumpitur forma, destrueretur, à causâ corruptente formam, dicta existentia: ergo materia esset generabilis, & corruptibilis: ac per consequens, non esset ab initio creata à solo Deo; sed in tempore crearetur, & destrueretur, siue generaretur à

causis secundis, semper & quando produceretur, & destrueretur in materia aliqua forma.

Respondent nonnulli Thomistæ, quod licet materia existat existentia formæ, dum in illa producitur forma nova, & præcedens corrumpitur, materia nec producitur, nec corrumpitur à causa producente vnam formam, & corrumpente aliam; sed quin corrumpatur, & producat de novo, retinet semper suam essentiam sub utroque termino mutationis.

Sed contra: essentia sine existentia est possibilis: ergo si dum corrumpitur vna forma, remanet essentia materiæ sine existentia, solum remanet possibilis: ergo corrumpitur: deinde, quando tribuitur illi existentia extrahitur à statu possibilitatis ad statum realis existentia; sed non aliud est rem producere: ergo quando agens producit novam formam, producit etiam materiam: ergo solutio tradita contradictionem includit.

Alteri Thomistæ respondent, materiam etiam quoad esse existentia permanere sub utraque forma, nempe sub corrupta, & sub producta de novo; quia existentia eius conservatur absque ulla interruptione per subsequentem formam eo modo, quo idem lumen productum ab vno agente luminoso conservatur successivè

ab alio simili agente absque interruptione: quapropter (asserunt) non generatur, nec corrumpitur materia quoad existentiam.

Contra: repugnat, quod existentia, qua aliquid existit, destruat, & quod non destruat etiam illud, quod tali existentia existit: similiter repugnat, quod producat, & quod non producat illud, quod existit tali existentia; sed eo quod producat vna forma producitur existentia, qua materia existit, & eo quod destruat alia forma destruitur: ergo in mutatione substantiali destruitur, & producitur materia ab agente producente vnam formam, & aliam destruyente: ergo dato, quod per existentiam formæ existat materia, falsum est, quod permaneat quoad esse existentia sub utraque forma, quin destruat, & producat ab agente vnam formam producente, & destruyente aliam.

Exemplum luminis non est ad rem; quia lumen procedit à corpore luminoso in genere causæ efficientis; & cum effectus in hoc genere habeat esse realiter, & entitativè distinctum à causâ efficiente, non repugnat, quod effectus ab vna causâ productus, ab alia cõsimili conservetur; at verò existere provenit ab existentia, tanquam à causâ formali, & effectus formalis nihil est aliud, quam forma communicata subiecto: ergo impos-

possibile est, quod destruat^r una
existentia, & producat^r alia,
quin res existens per illas de-
struat^r etiam, & producat^r: er-
go semper tenet instantia.

Prob. tertio concl. eadem actio-
ne, & ab eodem agente produci-
tur essentia rei, & eiusdem exis-
tentia; sed materia prima (inquit
Subtilis Doctor citatus) est ter-
minus creationis; forma verò ma-
terialis est terminus generatio-
nis, sive educationis: ergo existi-
entia materiae est omnino diversa
ab existentia formae. Min. apud
omnes est certa. Mai. prob. actio
terminata ad essentiam produ-
cendam, vel productam, tendit ad
eam constituendam, vel constitu-
tam extra causas; nec essentia rei
potest concipi, vt sit terminus
actionis agentis, nisi posita extra
causas, & existens; quia existere
nihil aliud est, quam extra causas
esse, sive sistere: ergo eadem actio-
ne, & ab eodem agente produci-
tur essentia rei, & eiusdem exis-
tentia.

Huic argumento respondent
Thomistae, maiorem esse veram,
vbi essentia existit propria exis-
tentia, vti est de forma, & com-
posito; non verò vbi essentia
existit existentia aliena, vti est es-
sentia materiae; in hoc namque
casu (dicunt) eadem actione produ-
citur essentia rei, & vnio ipsius
cum existentia aliena, qua existit.
Quod exemplificant exemplo hu-
manitatis Christi D. in Verbo,

non habentis existentiam pro-
priam, vbi non existentia, sed es-
sentia humanitatis cum vnione
ad Divinam existentiam fuit ter-
minus productionis illius.

Contra: vnio materiae ad for-
mam, vel est creata, vel educta, vel
resultans. Non creata, quia recep-
ta, & dependens à subiecto. Si
educta: ergo sicuti dicebamus, erit
terminus educationis, & nō crea-
tionis, & sic semper vrget argu-
mentum. Si resultans, cum sit di-
stincta realiter à materia, & non
possit resultare ab illa vt possi-
bili, iam supponit eam existen-
tem: ergo in priori ad vnionem
cum forma iam supponitur exis-
tens: ergo non existentia formae,
sed propria. Quod adducunt de
humanitate Christi D. falsum cen-
setur, videlicet existere existen-
tia increata Verbi, imò hoc ad-
huc patitur nonnullas difficulta-
tes, vt tenet Scotus in 3. Dist.
6. quaest. 1. videndas tamen, faven-
te Deo in Theolog. tract. de In-
carnat.

Prob. 4. concl. non opponitur
essentia materiae primae habere
propriam existentiam: ergo non
est illi deneganda. Prob. ant. ma-
teria prima est substantia incom-
pleta indifferens ad plures for-
mas substantiales, vt ex ipsa edu-
cantur, & cum ipsis vniantur, con-
stituatque diuersa specie cōposita
substantialia; sed nulli ex his præ-
dicatis opponitur propriam ha-
bere existentiam: ergo &c. Prob.

min.

min. in primis non opponitur isti, *substantia incompleta*, vt patet in forma substantiali. Deinde neque isti alio, *indifferens ad plures formas*, &c. ergo. Prob. hæc vltima pars: non opponitur hoc, quod est habere propriam existentiam indifferentiæ ad plures formas accidentales, vt patet in composito v. g. ergo neque indifferentiæ ad plures formas substantiales.

Insta semper contra Thomistas hac ratione supra attacta, videlicet causans effioienter existentiam rei, esse id quod producit rem. Si enim producit materiam, vt præcisè producit materiam non dat illi existentiam, quid producit? Si dicas, quod ipseus essentiam: ergo essentiam ponit extra causas: ergo essentia materiæ est extra causas posita effioienter à suis, vel à sua causa productiva, & formaliter per se ipsam; sed nihil aliud est existere, quam esse extra causas: ergo per se ipsam existit formaliter: ergo non per formam.

SATISEIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum ex authoritatibus tam SS. Patrum, quam Philosoph. qui docuerunt, esse, & existere à forma derivare materiam. Arist. namque 2. Phys. tex. 12. 1. de Generat. 22. 2. de Anima 36. & 5. Met. tex. 15. ait, quod forma dat esse rei; & D. Dionys. de Divinis nominibus

cap. 3. existere substantialiter vocat perfectissimum effectum, significans per hoc, esse effectum formalem formæ, & non materiæ; quia aliàs effectus esset nobilior causa. Deinde, Conimbricenses testantur esse commune axioma inter Peripateticos, existentiam esse vltimam actualitatem omnis formæ.

Respondetur, Patres, & Philosophos loqui, non de esse, & existere entitativo, & transcendentali, quod est commune omnibus rebus, vt entia realia sunt, sed de esse specifico completo in determinata specie prædicamentali: & in hoc sensu D. Dionys. existere substantialiter vocat effectum perfectissimum; at si loquatur de existere entitativo, ac transcendentali, vocat illum effectum nobilissimum, quatenus inter omnia attributa essentiæ rei convenientia, hoc videtur præstantius; quia existentia est vltima actualitas eius: & existentia rei propriè dici nequit effectus essentiæ, nec nobilior ea; quia nec realiter, nec formaliter diiungitur ab illa, sed tantum vt modus intrinsecus illius, de quo in Metaph. tract. 3. disp. 2. lect. 2. & 3. Vnde dicitur perfectior essentia solum in hoc sensu, quatenus essentia ex vi vocabuli non significat rem extra causas, sed intra, & in esse possibili; existentia verò significat eam extra causas, & in esse actuali in rerum natura: qua

quare existentia solum habet rationem effectus respectu agentis, essentiam rei in rerum natura producentis. Axioma verò illud, quod existentia est vltima actualitas omnis formæ, similiter intelligi debet de existentia completa, & in specie determinata. Vel debet intelligi, quod est vltima actualitas omnis rei; quia nulla res est actualis, sed possibilis, sine existentia.

Sit 2. argum. forma est causa formalis materiæ; sed si materia non existit existentia formæ, nullatenus potest esse causa materiæ: ergo, &c. Prob. min. quia non daret illi neque essentiam, neque existentiam: ergo non erit causa illius.

Resp. dist. mai. est causa formalis materiæ, hoc est, est forma informans materiam, conc. hoc est, dat materiæ aliquid essentialē, seu actualitatem entitativam, sive intrinsecam illius, nego, & etiam consequentiam. Impropriè namque appellatur forma causa materiæ; nam licet dicatur causa formalis illius, non est quia ex illa, tanquam ex forma resultat, nec constituitur, sive componatur materiæ, quod ad causam formalem propriè dictam requiritur: & sic propriè totius solummodo est causa formalis forma; sed tamen impropriè dicitur causa formalis materiæ, quatenus tribuit illi suam effectam formalem, quod non

est dare illi existentiam, sed illam constituere in illo esse specifico, quod habet forma: sicuti albedo v. g. potest dici causa formalis accidentalis parietis, quia parietem informat, & dat illi esse album. Adde, quod etiā materia est causa materialis formæ, & proprius; quia non solum recipit illam, quod non est aliquid tribuere formæ; sed etiā quia ex illa educitur cum sua existentia: vnde potius dici valet, quod aliquomodo materia, dat formæ existere, tanquam causa materialis, quàm forma materiæ, tanquam causa formalis.

Sit 3. argum. materia est prior forma secundum essentiam: ergo si nō pendet à forma secundum existentiam, naturaliter poterit existere sine forma; atqui hoc est falsum: ergo dependet à forma secundum existentiam; sed non in genere causæ efficientis: ergo in genere causæ formalis: ergo existit per existentiam formæ.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. conc. primā min. subsumptam, & nego consequ. Materia enim ex se benè potest existere absque vlla forma. Totum enim substantiale est prius quantitate: quantitas prior figura, & neque illud sine quantitate, neque sine figura potest existere ista. Non posse autem naturaliter, non stat ex parte materiæ, sed ex parte agentis naturalis, quod quidem

non potest expellere vnā formā à materia, nisi introducendo aliam, hoc est, non potest corrumpere, siue destruere vnā formā, nisi producendo aliam in ipsa materia.

Imò hac ratione roboratur nostra concl. quia si materia est priòr forma secundum essentiā, est priòr secundum essentiā posita iam extra causas: ergo est priòr secundum existentiā; quia, vt dicebamus, existentiā nihil est aliud, quàm essentiā posita in rerum natura, siue extra causas.

Sit 4. argum. si materia existeret, aut existeret per se ipsam, & ex se, aut cum alio, scilicet forma: si cum alio: ergo non existit proprio actu, sed actu alterius: si per se ipsam, & ex se: ergo erit individua, vel individuata, quia omne, quod est, idèd est, quia vnū numero est: si est individuum: ergo adhuc à forma habebit suum esse. Et patet, quia individuū ponitur in prædicamento; sed quidquid ponitur in prædicamento, habet esse à forma: ergo. Si est quid individuatum, vel hoc erit per formam, vel per compositam, & ita semper infertur, ex se non habere existentiā.

Resp. ad antec. dilemmatis, quod materia existit per se formaliter, & existit cum forma, hoc est, vnita formæ. Illud consequens, non existit proprio actu,

dist. proprio actu entitativo, id est, propria existentia, neg. proprio actu, sumpto actu pro forma substantiali constituenti compositum cum materia, & sumpto proprio pro identificato realiter, conc. Ad illam consequ. ergo erit individua, vel individuata, resp. quod est individua, & si pro individuata intelligant individuari per individuationem distinctam realiter ab ipsa materia, dico, non esse individuatam; si verò intelligant individuari per prædicatum metaphysicum solum formaliter ex natura rei distinctum ab ipsius essentiā, assero, esse individuatam. Et nego illam consequentiā, ergo adhuc à forma habebit suum esse. Ad cuius probationem cōcedo, quod individuum substantiæ ponitur in prædicamento, vt diximus in Met. tract. 4. disput. 10. sect. 1. & neg. illam min. scilicet, quidquid ponitur in prædicamento habet esse à forma, & etiam consequ. subintellectam. Ad illud, si est quid individuatum, diximus iam, quod si per individuatum intelligant aliud, quàm individuum, non esse individuatam.

Instabis quod est individuum substantiale, habet esse in certa, & determinata specie rerum; sed materia prima non est in certa, & determinata specie rerum: ergo non est individuum substantiale. Prob. min. materia prima est indifferens ad plures

species, sicuti ad plures formas specie distinctas: ergo non est in certa, & determinata specie.

Resp. conc. mai. & neg. min. Ad eius probationem ditt. antec. est indifferens ad plures species, hoc est, vt ipsa sit hæc, vel illa species, neg. vt ipsa concurrat cum pluribus formis specie distinctis, vt causa materialis ad plures species compositorum, sive ad plura composita specie distincta, conc. & nego consequ. Materia namque prima constat ex suis prædicatis metaphysicis generico, scilicet *substantia*, per quod convenit cum alijs substantijs creatis, & differentiæ, per quod ab omnibus alijs distinguitur, & non potest alijs contari: ergo est in certa, & determinata specie, sicuti quælibet alia res individua completa, vel incompleta physice.

Adhuc instas: si materia haberet propriam, & determinatam existentiam, nihil remaneret in illa, per quod specie distingueretur à forma: ergo non esset in specie certa, & determinata. Prob. antec. vtraque esset ens substantiale incompletum physice ordinatum ad constitutionem essentialem compositi substantialis; vtraque haberet suum vltimum actum existentie propriæ; & vtraque foret determinatæ speciei: ergo non distinguerentur specie.

Resp. neg. antec. Ad cuius pro-

bationem conc. antec. & nego consequ. Licet coveniant in omnibus prædicatis, tanquam in prædicatis genericis, adhuc tamen distinguuntur in his, quippe, quod materia se habet vt pars materialis indifferens ad plura composita specie, receptiva formæ, &c. & forma tanquam pars determinativa, specificativa, & receptibilis in materia, &c. quæ prædicata diversa rationis sunt: ac per consequens constituunt duas species distinctas, & determinatas; ex quibus vna efficit speciẽ materiæ primæ, & alia speciẽ formæ substantialis.

Sit 5. argum. si materia propriam haberet existentiam, darentur plures existentie in composito, quarum vna esset potentialis ad aliam; sed hoc implicat: ergo. Plures adducunt probationes pro minori propositione Complutenses, quas omittimus; quia ex dicendis hic, & in alijs quæstionibus, & præcipue in illa, an totum substantiale per se distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, facile solvi possunt.

Ad argum. resp. conc. mai. & neg. min. Imò contrarium repugnat, eo quod compositum constet rebus realiter inter se distinctis: & sic tribus existentijs realiter inter se distinctis constat, nempe existentia materiæ, existentia formæ, & vnionis existentia.

Sit 6. argum. existentia formæ vnitur immediatè materiæ; sed existentia reddit existentem rem, cui vnitur; ergo, &c.

Resp. conc. mai. & neg. suppositam minoris, scilicèt quod existentia distinguatur realiter à re existente, vel quod possit aliqua res existere per existentiam à se realiter distinctam, & ipsi vnitam. Nullius rei essentia distinguitur ab ipsius existentia, vt asseruimus in Met. vbi supra: vndè, licèt forma existens vnatur materiæ, ac proindè existentia illius, quia idem formalissimè sunt, non ex eo vna existit per aliam, sive per illius existentiam; aliàs etiam poterat dici, quod forma existit existentia materiæ, imò vrgentiùs; quia materia præsupponitur formæ, & non solum vt possibilis, sed vt extra causas, quod est idem, ac existens, vt manet probatum; & etiam quia materia sustentat formam. Quod similiter patet in forma accidentali, ad quam compositum est in potentia, & tamen nõ reddit illud existens, imò vt in illo recipiatur, debet ipsum supponere existens.

Instabis: ex duobus entibus in actu, nequit fieri vnum per se; sed hoc fit ex materia, & forma; ergo cum ista sit ens in actu, nequit materia esse talis; atqui quod existit existentia propria est ens in actu; ergo materia non propria, sed existentia formæ existit.

Resp. dist. mai. ex duobus entibus in actu, id est, ex duobus entibus actu proprijs existentijs existentibus, neg. id est, ex duobus entibus in actu, si vtrumque sit per se actus vltimatus, nempe formæ substantiales vltimate, conc. etiam min. Similiter suppositum consequentiæ, scilicèt, quod forma sit ens in actu, imò & actus substantialis, & dist. consequens; ergo nequit materia esse ens in actu, hoc est, ens actu existens propria existentia, nego; id est, actus informans, conc. Etiã min. subsumptam modo dicto, & neg. consequ. Aliud namque est esse ens in actu, & aliud actus informans: ens in actu est omne, quod actu est in rerum natura extra suas causas, scilicèt productũ (si non sit à se, vt Deus) & huiusmodi est materia; actus verò informans est quælibet forma, & ex duobus huiusmodi nequit fieri vnum per se; benè verò ex duobus actu proprijs existentijs existentibus, quorum vnum sit potentia, sive in potentia ad recipiendum aliud, ab ipsoque informandum, & aliud sit actus informans, & determinans indifferentiã, seu potentialitatem alterius, nõ ad existendum, sed ad hanc speciem compositi.

Sit 7. argum. existentia est propter operari; sed materia prima non operatur; ergo non habet existentiam.

Nimis probat argum. scilicet quod materia nullatenus existit, neque per propriam, neque per alienam existentiam; quia si materia non operatur, & propter hoc præcisè datur existentia: ad quid igitur erit in materia existentia, sive propria, sive aliena?

Ad argum. resp. dist. mai. in principio operativo, conc. in principio non operativo, neg. conc. min. & neg. conseq. Non minus requiritur existentia ad recipiendum, quam ad operandum. In materia enim requiritur existentia ad recipiendum formam, & ut ex duabus fiat, seu resulter compositum substantiale, sive unum per se.

Sit 8. argum. materia est pura potentia: ergo ex se nullum habet actum: ergo neque existentiam: ergo existit existentia formæ. Antec. prob. autoritatibus D. Aug. & Philosophi.

Et primo ex ipso M. gno P. Aug. lib. 12. conf. cap. 6. dicente: *Si vellem prorsus omnino informis cogitare, & non poteram; citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formam, & nihil.* Et paulo infra: *Si dici posset nihil, aliquid est, & non est, hoc eam dicerem.* Ex quibus verbis sic efformant argumentum: eandem implicantiã involvit hæc prædicatio, *nihil aliquid est, & non est, ac ista, materia prima, prout præ-*

cindit à forma est quid actuale; sed prima non est admittenda: ergo neque secunda: ergo ex D. Aug. manet probatū antec. nempe materiam primam esse puram potentiam.

Deindè, ipsum antec. probatur ex Phil. lib. 1. Phys. tex. 78. citato à P. Benjumea: *res naturales fieri ex non ente in actu, ente tamen in potentia, & similia verba continet 1. de Generat. cap. 3. & 7. Met. tex. & comm. 8. dica autem materia, qua secundum se nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud illorum, quibus ens determinatur; sed si materia prima esset ens actuale extra causas, vel esset quid, hoc est substantia, vel quantitas, vel aliquid ex prædicamentis, quibus ens determinatur: ergo, &c. Denique 8. Met. tex. 3. *materia verò voco, qua nō hoc aliquid ens in actu, potestate tamen est hoc aliquid.* Et pluribus alijs in locis materiam appellat puram potentiam, & negat esse ens actuale: ergo, &c.*

Resp. ad argum. dist. antec. materia est pura potentia obiectiva, hoc est, excludens actum entitativum, sive actualitatem extra causas, vel existentiam, neg. est pura potentia subiectiva, vel susceptiva excludens quemlibet actum physicum informativum, sive quamlibet formam physicam, tam substantialem, quam accidentalem, conc.

Si-

Similiter dist. primum consequens, & neg. duas ultimas consequ. Materia enim est mera potentia ad recipiendas formas; quia ex se sive in sua entitate nulla includitur; minimè autem est pura potentia ex se ad existendum, dum à suis causis est extracta iam à statu possibilitatis, & in rerum natura producta: tunc enim ex se per suamet entitatem est existens formaliter, sicut qualibet alia res producta, & non per existentiam formæ, ut manet probatum.

Ad autoridades, quibus probant antec. resp. & primò ad primam D. Aug. ubi S. Doctor vocat materiam *propè nihil*, quæ verba deficiunt authoritati; & appellare illam *propè nihil*, non est asserere materiam esse nihil; imò in eodem 12. confes. cap. 3. ait: *Non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil*: ergo est aliquid ex D. Aug. sed intentum Beatissimi Doctoris est, materiã esse tam exiguã, sive modicæ entitatis, & perfectionis, quod sit *propè nihil*.

Ad secundam autoritatem resp. ex eodem, quod conditio illa, *si*, nihil ponit in esse, & sic ait Aug. *si nihil posset dici aliquid est, & non est, hoc eam dicerem*; atqui de nihilo non potest dici, quod est aliquid, & quod non est aliquid: ergo nec de materia prima poterit dici, quod

est aliquid actuale, & quod non est aliquid actuale, cum ex eò quod sit causa intrinseca actualis compositi, debeat esse aliquid actuale; & deindè, quia esse aliquid, & non esse aliquid, cum sit contradictio, nequit verificari de materia prima, neque de aliquo alio secundum idem esse, nisi secundum diversa esse, quomodo non est contradictio: & sic tenet S. Aug. materiã esse aliquid actuale existens potentiale ad recipiendas formas; & esse nihil actuale informans, sive nihil formæ physica, sive substantialis, sive accidentalis.

Ad autoridades Philos. ex 1. Phys. 1. de Generat. & 8. Met. & alias similes resp. ex Scoto in 2. dist. 12. quæst. 1. §. *sed contra*, à nu. 3. vers. *Respondeo ut prius*, Philosophum non negare ibi materiã primam esse ens actuale habens propriam entitatem, & existentiam distinctam ab entitate, & existentia formæ; sed præcisè negare esse ens actuale ex se, hoc est, actuatum, sive informatum, quod etiam concedimus nos huiusmodi esse habere à forma, seu per formam. Et quando ait, quod materia non est ens in actu, sed in potentia, debet intelligi in actu physico, sive in esse actuato, aut informato, sed in potentia ad formam physicam recipiendam, includens tamen in se actualitatem, sive existentiam, ratione

cuius potest esse in potentia ad recipiendas formas physicas actuales.

Ad aliam auctoritatem ex 7. Met. respondet Scotus in eadem quæst. allegatus §. sequitur secundo, num. 18. verf. *Ad argumentum primum*, his verbis: *Dico, quod illa propositio non facit ad propositum: quia Arist. non dicit eam ex intentione, sed arguendo ad partem falsam pro opinione antiquorum: quod patet primo ex processu litteræ, quia postquam dixit, quod nec est quid, nec quale, &c. subdit Sic quidem intendentes accidit materiam subiectum esse, sed impossibile. Sed non est modus Arist. subiungere, sed impossibile, sue determinationi.* Ex quibus sequitur evidenter Philosophum nobiscum coherere.

Sed dato, quod Arist. loqueretur in propria sententia, etiam respondet Subtilis Doctor immediate post verba adducta: *Est tamen quod sit verum; auctoritas tamen solvit argumentum: ponit enim illa, quibus ens determinatur, & distinguitur: distinctio autem, vel determinatio fit ab actu actuâte, & distinguente, qualis est forma: & nihil huiusmodi est materia.* His manet enervatum præcipuum Thomistarum fundamentum, & explicatum quomodo materia prima sit pura potentia.

Ad id quod dicitur in 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

SECTIO IV.

AN, QUOMODO, ET QUAS formas substantiales appetat materia prima?

DUPLEX assignatur appetitus, elicited scilicet, & innatus. Elicited est actus quidam productus à potentia vitali appetitiva, supposita cognitione de obiecto appetibili, quo actu elicited appetens appetit obiectum appetibile. Hoc appetitu nullatenus posse materiam primam appetere formas, nec aliquid aliud, est indubitatum apud omnes; quia ista, nec est vivens, nec cognoscitiva, nec productiva, non solum appetitus elicited, verum neque alicuius alterius operationis. Unde, difficultas solum procedit de appetitu innato, qui est inclinatio naturalis rei in perfectionem propriam, sibi connaturalem, seu debitam.

Inter præfatos appetitus hoc intercedit discrimen, nempe quod elicited distinguitur realiter ab appetente; cum sit actus ab ipso physice productus. Innatus vero, cum sit inclinatio quardam naturalis, est passio realiter identificata cum appetente. Hoc namque appetitu appetit ignis v. g. esse sursum, & lapis deorsum, ut supponit V. M. Maria de Agreda in locis allegatis in

Theo-

Theolog. tract. de Voluntate Dei
disp. 1. sect. 3.

Circa quos appetitus noto, quod quilibet potest dici desiderij, & complacentiæ, aut gaudij. Desiderij dicitur respectu rei non possessæ; gaudij verò respectu rei possessæ, sed tamen propriè loquendo, innatus nequit dici gaudium, sed quies, vt advertit Scotus 1. Met. quest. 1. nam. 7. §. & vers. *Ad primum argum.* & num. 8. *ad secundum.* Potest etiam quilibet efficax, & inefficax appellari. De appetitu elicito efficaci, & inefficaci in presenti non curamus; quando verò sit efficax, aut inefficax, & in quo vnusquisque consistat, habetur in Theolog. tract. de Voluntate Dei, disp. 3. lect. 1. per totam. Appetitus autem innatus dicitur efficax, quando appetens habet omnia requisita ad rem, quam appetit consequendam; & inefficax, quando talia requisita non habet, qui appetitus, cum in materia idem sit, ac potentia passiva ad formas recipiendas, quatenus dicitur efficax, dici potest etiam proximus, & remotus quatenus inefficax.

SIT CONCLUSIO: materia prima appetit innatè omnem substantialem formam præsentem, & absentem, perfectiorem, & minus perfectam, imò & corruptam, non solum sub ratione formæ in comuni, verumetiam

sub ratione speciali talis formæ; quas non appetit determinatè omnes simul habendas, sed vagè vnã, vel aliam. Conclusio quoad omnes suas partes est Scoti 1. Met. quest. 12. nu. 2. vers. *Ad questionem*, adductus à P. Benjumea, qui verba Doctoris recenset in hunc modum: *Primo modo considerando potentiam illam, dico, quod nulla est in materia prima nisi naturalis, quia naturalem inclinationem habet ex se, vt sit cuiuscumque compositi pars, & quacumque forma perficiatur, nec potest contra, nec supra inclinationem in aliquo composito esse.*

Idem docet in 1. dist. 1. quest. 1. §. de quarto articulo, num. 6. vers. *Ad vltimum dico*, & vers. vltimo, vbi exprimit, quod dictus appetitus est vagus, sive indeterminatus ad quamlibet. Hæc sunt Doctoris verba: *Materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideo sub quacumque quiescit, non violenter, sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quacumque.*

Prob. 1. concl. quantum ad id, quod est appetere omnes prædictas formas, non solum sub ratione communi, verumetiam sub ratione speciali talis formæ. Arguo sic: quodlibet ens appetit innatè quod est sibi connaturale, & sui perfectivum, sub omni illa ratione sub qua est per-

perfectivum; sed qualibet forma substantialis est connaturalis, & perfectiva materiæ, tam sub ratione communi formæ, quam sub ratione speciali talis formæ: ergo &c. Mai. ex se patet, quia in nullo alio potest appetitus innatus consistere, ut docet Subtilis Doctor allegatus pro conclusione, & in 3. dist. 17. q. vnic. §. *Istam questionem*, num. 3. vers. *Sed quid de naturali*, & sequenti, & in 4. dist. 49. quæst. 10. n. 2. §. & vers. *Respondeo ad primam quæst.* Prob. min. idèd aliqua forma est connaturalis, & perfectiva subiecti, quia naturaliter potest subiectum habere illam, præstat illi suum obiectum formale, & maximè si nequit subiectum existere, si vè conservari naturaliter sine illa; sed omne hoc habet forma respectu materiæ, tam sub ratione communi, quam sub speciali: ergo quævis forma substantialis, & sub utraque dicta ratione est connaturalis, & perfectiva materiæ.

Prob. secundò: omne incompletum, seu imperfectum, appetit naturaliter, si vè innatè compleri, & perfici; sed complementum, & perfectio materiæ, quæ est ens incompletum, & imperfectum, est ipsa forma, & forma quævis substantialis, & ut talis forma: ergo &c.

Prob. tertio ex Philos. 1. Phys. text. 81. ubi ait: *Materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum;*

& *fœmina virum*: ergo nequit iuxta Philosophum negari nostra conclusio.

DILUVNTVR ARGVMENTA.

SIT primum argumentum: si materia prima appeteret omnes formas etiam in speciali, vel appeteret formam, quam habet, vel quam nò habet; sed neutram appeterere potest: ergo non appetit illas sub ratione speciali. Prob. min. quoad primam partem, scilicèt non appeterere formam, quam habet: nullus appetit quod possidet: ergo. Deindè, privatio est causa appetitus. Deniquè, contrarium docet Philos. text. 81. ergo materia non appetit formam, quam possidet.

Prob. etiam min. quoad secundam partem, nempe non appeterere formam absentem, & primò sic: nequit materia prima habere formam absentem, nisi per expulsionem illius, quam habet; sed nequit istius appeterere destructionem: ergo neque formam absentem. Min. est certa, quia formam, quam habet appetit, & quiescit in illa, per nos. Mai. etiam constat; quia utramque simul nequit saltem naturaliter habere. Còseq. prob. nequit forma absens recipi in materia, quin destruat eam, quã habet; atqui dum vna res appetit aliquid, appetit etiam omne illud, quod est connexum cum

ipſius conſequutione: ergo ſi materia appeteret formam abſentem, appeteret ſimul deſtructionem præſentis.

Prob. ſecundò min. quoad ſecundam partem: ſi materia appeteret formam, quam non habet, cauſa præſertim talis appetitus eſſet privatio talis formæ, vt docet Philoſ. vbi ſuprà; ſed hoc dici nequit: ergo &c. Prob. min. negatio nequit eſſe cauſa entitatis poſitivæ; ſed appetitus materiæ ad formas eſt quid poſitivum: ergo privatio formæ in materia nequit eſſe cauſa appetitus materiæ ad illam.

Reſp. ad argum. & primò ad mai. quod materia appetit formam, quam habet, & quam non habet vagè, & indiſſerenter, vt manet dictum ſuprà ex Scoto, & neg. min. Ad cuius primam probationem diſt. antec. nullus appetit quod poſſidet appetitu deſiderij, conc. gaudij, ſeu quietis, nego. Idem namque appetitus denominatur gaudij, vel quietis, & deſiderij pro diverſis ſtatibus rei appetitæ: ſi enim res eſt poſſeſſa, dicitur gaudij, aut quietis; ſi verò poſſeſſa non ſit, deſiderij nominatur, vt ſuprà iam adnotavimus. Hinc patet ad ſecundam, & tertiam probationem ipſius ex Philoſ. aſſerente, privationem eſſe cauſam appetitus, quod verum eſt quoad denominationem deſiderij: ſicuti poſſeſſio quoad denominatio-

nem gaudij, vel quietis. Et in hoc ſenſu ait Philoſ. materiam nõ appetere formam poſſeſſam, nempe appetitu deſiderij.

Ad primam probationem min. quoad ſecundam partem, reſp. conc. mai. & min. neg. tamen conſeq. ad cuius probationem conc. mai. & diſt. min. ſi appetitus ſit determinatus ad illud, quod res appetit, conc. ſi ſit indeterminatus, & vagus ad quodlibet è duobus (vel è multis) ſimul incompatibilibus, neg. & etiam conſequentiam. Diximus iam ex Scoto, appetitum materiæ non eſſe determinatum ad vnam formam; ſed ad omnes, non ſimul habendas, ſed vagè vnam, vel aliam, ſive ad quamlibet ex omnibus habere: vnde, dum eſſet cum vna, licet appetat alias, cum appetitus ad omnes ſit ad vagè, & indeterminate habere quilibet, nempe tam præſentem, quam abſentem, quieſcit in illa, quam poſſidet; ac per conſequens iſtius deſtructionem non appetit. Ad ſecundam probationem patet ex dictis ſuprà; cum dixerimus iam, privationem non eſſe cauſam appetitus formæ abſentis, ſed conditionem ſimpliciter requiſitam, vt appetitus denominetur deſiderij: ſicuti poſſeſſio eſt, vt contentiæ, gaudij, aut quietis denominetur appetitus.

Inſtabis: repugnat materiæ appetitus deſiderij ad formam ſub-

substantialem: ergo nulla est solutio. Prob. antec. materia nequit naturaliter carere forma substantiali: ergo neque habere naturaliter desiderij appetitum.

Resp. neg. antec. Ad eius probationem dist. antec. nequit carere vna, vel altera forma substantiali, conc. nequit carere pluribus, neg. & etiam consequentiam. Imò cum naturaliter non possit habere simul duas, nec plures formas, necessatio debet carere omnibus præter illam, quam habet; & respectu illarum appetitus est desiderij.

Instabis iterum: si materia, dum est cum vna forma, appetere aliam, quam non habet, esset violenta; sed hoc est falsum: ergo. Prob. mai. quidquid est sine illo, quod appetit, est violentum: ergo si materia possidens vnam formam appetere aliam, quam non habet, esset violenta.

Resp. ex Scoto supra allegato in vers. *Idem docet in 1.* neg. mai. Ad cuius probationem dist. antec. quidquid est sine illo, quod appetit, est violentum, si appetitus sit solum ad illud, quo caret, conc. si sit ad plura, non simul habenda, sed vagè, & indeterminate vnum, vel aliud, & habeat vnum, neg. & etiam consequentiam. Patet solutio ex dictis; quia appetitus materiae non est determinatè ad formam oppositam possessæ, sed indifferens ad illam, vel illam: vnde sine vio-

lencia quiescit in illa, quam possidet, vt docet eruditè Scotus adductus vbi supra. Verba Doctoris sunt hæc: *Dico, quod quies violenta nunquam est, nisi quiescens determinatè inclinatur ad oppositum, sicut exemplificatur de gravi respectu deorsum, vel descensus, & quiete eius super trabem, materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideo sub quacumque quiescit, non violenter, sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quacumque.*

Sit 2. argum. impossibile est opposita simul esse; sed formæ in particulari sub specialibus rationibus earum sunt inter se oppositæ: ergo materia nequit illas appetere in particulari sub rationibus specialibus earum.

Resp. conc. mai. & min. & dist. consequens: ergo nequit illas appetere determinatè omnes simul habere, conc. vagè, & indeterminate, vt manet iam explicatum, neg. Ad hoc enim non requiritur, quod omnes sint simul, sed vna, vel altera ex omnibus.

Sit 3. argum. repugnat in materia appetitus complacentiæ respectu formæ habitæ, & desiderij respectu non habitæ; sed nequit aliter illas appetere: ergo non appetit illas. Prob. mai. desiderium formæ non habitæ, quæ est incòpossibilis cum possessa, excludit complacentiam habitæ:

ergo. Prob. antec. ideo appetit formam, quam non habet, quia quam possidet fastidit, & renuit: ergo non quiescit in illa.

Resp. neg. mai. ad eius probationem, neg. antec. & etiam secundam probationem istius. Diximus iam cum Scoto, quod appetitus materiae ad formas est indifferens ad quamlibet, sicuti & ipsa materia, & sic sine violentia quiescit in illa, quam habet, neque eam renuit, licet aliam appetat; quia non appetit aliam determinatè, sed vagè, ut manet dictum.

Sit 4. argum. materia prima, per nos, appetit appetitu gaudij, & quietis formam, quam habet: ergo auferre ab illa talem formam, erit illi in inferre violentiam: ergo in quacunque generatione substantiali paritur violentiam, quod est falsum. Prob. prima conseq. quælibet res violentatur auferendo ab illa illud, in quo habet gaudium, & quietem: ergo, &c. Antec. patet in aqua, quæ violentatur auferendo ab illa frigiditatem.

Resp. conc. antec. & neg. conseq. utramque. Ad probationem primæ dist. conseq. si illud, in quo quietatur, auferatur per aliud, quod appetit etiam, neg. si contrarium, per quod auferatur, non appetit, conc. & nego. conseq. & paritatem, quæ probant antec. Nāquam auferatur à materia vna forma, sine in-

ferre alterius, in qua similiter quiescit; nam generatio vnus est corruptio alterius, & sic nullam violentiam patitur. Paritas aquæ non tenet; quia frigiditas auferitur ab illa per introductionem caloris, quem non solum non appetit, sed renuit, ob quod violentatur auferendo frigiditatem ab illa.

Sit 5. argum. quando materia est cum forma perfectiori, nequit appetere minus perfectam: ergo non appetit omnes. Prob. antec. quod habet maius bonum in aliquo ordine, non appetit minus bonum eiusdem ordinis; sed forma perfectior maius bonum est in ordine physico forma minus perfecta: ergo &c.

Resp. neg. antec. Mai. probationem illius dist. quod habet maius bonum, non appetit minus bonum eiusdem ordinis appetitu elicito, conc. appetitu innato, neg. conc. min. & neg. conseq. Ratio est; quia appetitus elicitus gubernatur à ratione, & distinguitur realiter ab appetente, potestque esse vnum sine illo: quapropter licet quis appetat minus bonum, proposito, vel consequuto maiori bono, potest cessare ab appetitu minus bono; at verò appetitus innatus non regulatur à ratione, deinde cum identificetur realiter cum appetente, nequit appetens esse sine illo: & cum aliàs materia non solum appetat
for-

formam perfectiorem, sed etiam minus perfectam, etiam dum est cum perfectiori, retinet appetitum ad alias minus perfectas.

Sit 6. arg. contra illam partem conclusionis, in qua dicimus materiam appetere formam corruptam: nequit materia naturaliter recipere formam corruptam; quia nequit naturaliter iterum produci forma: ergo nequit materia illam appetere innatè.

Resp. neg. antec. & conc. consequ. Vt materia appetat formam, sufficit quod non repugnet uniri illi, & ab illa perfici, ad quod non obest, quod agens naturale nō possit reproducere illam. Si enim materia appetit innatè formam ante illius destructionem, eundem appetitum retinet à fortiori post destructionem illius; quia ut diximus, identificatur realiter cum materia: ac per consequens separari repugnat.

SECTIO V.

IN QVO STET FORMALITER appetitus materiae ad formas, & utr. unico appetitu appetat; aut tot sint, quot forma dantur?

SIT 1. CONCLUSIO quo ad primum tituli quaesitum: appetitus, innatus naturalis, qui quidam impetus, & inclinatio

naturæ appellatur à Scoto, est quidam transcendentalis respectus materiae primæ, identificatus realiter cum illa, & ab ea formaliter ex natura rei distinctus, ad formamque terminatus. Concl. est expressa Scoti. Quod sit transcendentalis respectus docet in 3. dist. 17. quest. vnic. §. Istam quest. num. 3. vers. Sed quid de naturali, his verbis: Dico, quod appetitus naturalis in qualibet re, generali nomine accipitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem, sicut lapis naturaliter inclinatur ad centrum. Et paulò infra sed primum credo falsum, scilicet quod inclinatio lapidis ad centrum sit aliquid absolutum aliud à gravitate: ergo iuxta Scotum erit aliquid relativum, sive aliqua relatio indistincta à gravitate, non ex natura rei; quia relatio ab absoluto saltem ex natura rei debet distingui, sed realiter strictè. Insuper sibi expressus ait, quasi inferens ex dictis esse relationem. Sic alloquitur: Ideo naturalis inclinatio lapidis nihil dicit ultra gravitatem lapidis, nisi relationem.

Idem tenet vers. sequenti de appetitu naturali, sive innato voluntatis ad propriam perfectionem, ubi loquendo de appetitu innato voluntatis ad propriam perfectionem, innuit identificari realiter cum illa per hæc verba: Unde eadem potentia dicitur voluntas naturalis cum tali respectu.

tu necessariò consequente ipsam
respectu propria perfectionis.

Quod clarius docet esse rela-
tionem identificatam realiter
cum suo fundamento, etiam in
3. dist. 18. quæst. vnic. vers. vlti-
mo, sic asserens: *Ideo dico ad ar-
gumentum, quod motus naturalis
non est aliquis actus elicitus, sed
solum dicit inclinationem natura-
lem voluntatis in bonum: & illud
nihil reale à voluntate dicit, sed si
est relatio, est idem voluntati per
identitatem realem: nec separari
potest sine contradictione.* Et etiam
ex professò de appetitu innato
totam nostram concl. sustinet in
Report. 4. dist. 49. quæst. 9. a nu.
2. §. Respondeo ad primam quæst.

Quod appetitus innatus sit
respectus transcendentalis, & ex
hoc distinctus formaliter ex na-
tura rei ab illo, cuius est appeti-
tus, docet similiter Scotus in
omnibus locis allegatis, in Met.
tract. 3. disp. 3. sect. 10. vers. de istis
igitur respectibus. Et ibidem pro-
batur ratione à vers. *Quod au-
tem distinguantur.* Et hic specialiter
inaderetur ex conclusione se-
quenti, quæ talis est.

SIT 2. CONCLUSIO: tot sunt
appetitus innati in materia ad
formas inter se, & cum materia
identificati realiter, & ab invi-
cem, & à materia ex natura rei
distincti, quot sunt formæ. Quod
talis appetitus, utpotè relationes
transcendentales identificentur
realiter cum materia, & ab illa

formaliter ex natura rei distin-
guantur, probatum manet iam
Scoti auctoritate, & ratione.
Quod verò inter se dicant ean-
dem identitatem realem, satis li-
quet ex eo quod identificentur
realiter cum materia; nam quæ
in tertio identificatur, nequeunt
inter se non identificari, si op-
positionem relationum non di-
cant, ut relationes divinæ; & ta-
lem oppositionem præfati ap-
petitus non dicunt.

Cæterum quod sint tot, quot
formæ, tenet Scotus in 1. dist. 1.
quæst. 1. §. De quarto num. 5. vers.
*Ad ultimum, his verbis: Dico, quod
non quæcumque forma satiat appe-
titum materiae totaliter extensive.*
*tot enim sunt appetitus materiae ad
formas, quot sunt formæ receptibi-
les in materia.* Et probatur: appe-
titus materiae est relatio ad for-
mam, ut manet dictum: ergo
multiplicatis formis, multipli-
catur appetitus: ergo sunt tot,
quot formæ. Prob. prima con-
seq. multiplicato termino rela-
tionis, multiplicatur relatio, ut
probavimus de predicamentali in
Met. tract. 4. disp. 6. sect. 6. & quã-
tum ad hoc pat. est utriusque ra-
tio, servatis servandis, de eis, vel
realiter inter se distinctis, vel
solum formaliter ex natura rei;
sed. præfatus appetitus est rela-
tio: ergo tot sunt, quot formæ.

Obijcies cõtra primam con-
clusionem, Scotum in 4. dist. 49.
quæst. 10. nu. 2. §. & vers. Respon-
deo

deo ad primam quæst. asserere: Respondeo, quod duplex est appetitus in voluntate, scilicet naturalis (hic est innatus) & liber (iste est elicitus) naturalem solum dico potentiam voluntatis absolutè, sed non aliquid superadditum voluntati: ergo ex Scoto non est respectus transcendentalis distinctus ex natura rei à voluntate.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. Nam Scotus duntaxat intendit, quod non sit aliud realiter à voluntate distinctum, sicuti est appetitus elicitus, & sic ait, esse ipsam potentiam realiter absolutè; non verò dicit, quod formaliter ex natura rei sit ipsa voluntas, quæ reverà est quid absolutum, ut vidimus iam ex multis locis, in quibus expressissimè tenet Scotus nostrum asseritum.

Argumenta, quæ contra secundam conclusionem possunt fieri, facilè solvuntur ex dictis supra: & etiam in Met. disp. & sect. supra allegata, servando semper proportionem inter distinctionem realem, quam dicunt abinvicem plures relationes prædicamentales in eadem entitate absoluta fundatæ, & distinctionem formalem ex natura rei, qua solum modò distinguuntur relationes transcendentes fundatæ in eadem entitate absoluta, vel dimanantes, sive resultant ab illa.

EX DICTIS de appetitu innato

satis constat, potentiam materiæ primæ ad recipiendas formas non esse neutram, nec violentam, sed naturalem; quia ista est ad formam connaturalem, sive ad connaturalem perfectionem, vel iuxta connaturalem exigentiam: violenta verò est contra: & neutra est præter, scilicet nec iuxta, nec contra.

DEINDE CONSTAT, potentiam materiæ esse ad omnes formas recipiendas, non solum sub gradu còmuni formæ, sed etiam sub gradibus specialibus earum, & etiam ad formas præsentibus, absentes, & corruptas; quia ad omnes dicit appetitum innatum, ut vidimus, & si repugnaret ipsi illas recipere, nullatenus diceret ad illas appetitum naturalem, & innatum, ut satis ex se liquet.

SECTIO VI.

UTRUM MATERIA PRIMA
equaliter appetat formas?

DIFFICULTAS est, utrum materia prima magis appetat formas perfectiores, quam minus perfectas? Vel an equaliter omnes appetat? Recentior Thomista tenet, equaliter omnes appetere, alios quam plures adducens Authores, contra quos.

SIT CONCLUSIO: materia prima plus appetit formas magis

gis perfectas, quàm minus perfectas. Ita Scotus in 1. dist. 11. quæst. 13. de quarto articulo, num. 6. vers. *Ad ultimum dico*, sic ait: *Nulla igitur forma potest per se satiare omnes appetitus materia ad formas, sed una satiat perfectissimè, scilicet forma perfectissima.* Ex quibus sic arguo: forma perfectissima perfectissimè satiat appetitum materiæ; sed quodlibet appetens appetit magis id, quod perfectius satiat ipsius appetitum: ergo cum forma perfectior perfectius satiet materiæ appetitum, quàm minus perfecta, plus appetet materia formam magis perfectam, quàm minus perfectam. Prob. suppositum cõsequenti, nempe quod forma perfectior, satiet perfectius: sola forma perfectissima satiat perfectissimè: ergo quia superat alias in perfectione: ergo quæ est perfectior, perfectius satiat.

Deindè, propugnat nostram conclusionem eadem ratione Scotus, & probat autoritate Philof. in 4. dist. 49. quæst. 10. §. *respondeo ad primam*, num. 3. vers. *De illo appetitu naturali*, sic ait de appetitu naturali, & innato naturæ ad beatitudinem: *Quod summè appetat, probò, quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem.* Sic enim arguit Philof. 1. Met. in præm. si omnes homines natura scire desiderant: ergo maximam scientiam ma-

ximè desiderant. Ex quibus verbis Scoti, & Philof. clarè constat nostra concl. Idem tenet in Report. eodem lib. & dist. quæst. 9. §. *respondeo ad primam*, num. 5. vers. *Quod summè appetit.*

Docet præterea nostrum assertum determinatè, loquens de appetitu materiæ Theoremate 18. fol. 303. num. 2. §. 2. g. ait, citatus à P. Benjumea, verba Doctoris in hunc recensente modum: *Similiter aliquo modo ex parte ordinis materiæ ad formam, nam materia ad talem (scilicet summè perfectam) maximè naturaliter inclinatur, ad alias (nempe minus perfectas) minus naturaliter; ita quod naturalius quiescit sub hac, cum privatione aliarum, quæ sunt minus male, quàm sub alijs, ad quas minus inclinatur, & cum quibus est privatio huiusmodi, quæ est maius malum.*

Uterius deducitur evidenter ex alijs verbis Scoti in 4. dist. 49. quæst. 13. §. *ad rationes principales*, num. 13. vers. *Ad tertium.* En verba: *Dico, quod illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali (supple inclinationi, sive appetitui) & magis violentum, quod opponitur perfectioni naturali, & minus, quod minus naturali: ergo pariter quod est conforme perfectiori appetitui naturali, magis quietat, & satiat, & quod est conforme minus perfecto, minus satiat: quia contrariorum eadem est ratio*

ergo datur appetitus naturalis perfectior, & minus perfectus respectu termini perfectioris, & minus perfecti.

Prob. primò concl. deducta ex autoritatibus prædictis: in causis præcis, & necessarijs sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximū ad maximum ex 2. Top. sed materia simpliciter appetit formā, quia forma simpliciter est eius perfectio: ergo magis appetit formam, quæ est maior perfectio eius.

Respondet Thomista Recentior, quod materia prima solum appetit plus, quod est magis bonum sibi; nõ verò quod est magis bonum, sive magis perfectū in se, sicuti quodlibet aliud appetens; & forma melior, aut perfectior in se, (ait) non est melior materia.

Sed contra: perfectior forma in se est melior materia, quàm minus perfecta: ergo nulla est solutio. Prob. anteced. forma utcumque perfecta in se, est bona materia utcumque: ergo magis perfecta in se, erit magis bona materia. Prob. conseq. quia forma est perfecta, sive bona in se, est bona materia: ergo magis perfecta in se, erit magis bona materia. Conseq. patet ex regula prædicta 2. Top.

Iterum poterit respondere, (& est ratio, qua suam conclusionem probat) quod materia

non appetit formam, quia est perfecta, sed quia est forma præcisè; nam solum appetit informari ad constituendum totum substantiale; & æquè benè (ait) informatur ad constituendum totum substantiale à forma minus perfecta, ac informetur à perfectiori, imò & à perfectissima forma.

Sed vitra quod iam manet probatum suprà sect. 4. materiam non solum appetere formas sub ratione communi formæ, verum etiam sub rationibus specialibus earum: ac per consequens non solum exigere informari ad constituendum totum substantiale utcumque, verum etiā petere informari hac, & illa specifica forma (licet indifferenter à qualibet, eo modo quo ipsa etiam est potentia indifferens ad quamlibet) ad hoc, & illud specie cõpositum constituendum. Contra: ideò materia appetit formam, quia cum ipsa ex se sit in potentia solum, est indifferens ad hanc, & illam; ergo appetit formam, quia ex se non habet actum specificum; ergo appetit illam, quia est actus specificus: ergo quia habet perfectionem actus specifici: ergo quia est perfecta in esse actus specifici: ergo si ratio appetendi illam est ipsius perfectio in esse actus specifici, magis appetet illam, quæ sit perfectior in esse actus specifici ob

principium supra traditum à Scoto ex Philof. 2. Top. scilicèt, in causis præcis, &c.

Prob. secundò concl. quod magis intenditur à natura, magis appetitur; sed magis intendit formas perfectiores, quàm minùs perfectas: ergo magis appetit illas, quàm istas. Confirmatur, & simul prob. mai. ad hominem: quia hac ipsa ratione sustinent Adversarij, materiam appetere formas, tam substantiales, quàm accidentales: & magis substantiales, & primariò; quia accidentales appetit propter substantiales, iuxta illud principium Philof. 1. Post. cap. 2. Propter quod unumquodque est tale, & illud est magis tale: ergo etià appetet magis formas perfectiores, quàm minùs perfectas ex substantialibus. Præterea, quia omnes ferè instantiæ, quæ contra nos possunt efformari; contra ipsos retorqueri valent; dum inæqualitatem istam admittunt in appetitu materiæ erga formas substantiales, & accidentales; vnde plures ex ipsis vnicum ad omnes admittunt appetitum.

Respondebis, paritatem istã non vigere; quia materia non idèd appetit magis formas substantiales, quàm accidentales, quia illæ sunt perfectiores istis; sed quia istæ sunt dispositiones ad illas; & finis magis appetitur, quàm medium, ex regula

apposita Philof. Propter quod unumquodque, &c. forma autem imperfectior substantialis non subordinata, de qua loquimur, non appetitur propter formam perfectiorem.

Sed instantia hæc rationem adductam non enervat, cuius scopus est ostendere, dari posse inæqualitatem, sive magis, & minùs in appetitu naturali, & innato (quod Adversarij negant) vnde quaque hoc prove- niat.

Prob. tertio concl. paritate appetitus eliciti in hunc modum: appetitu elicito magis appetitur maius bonum, quàm minus bonum: ergo idem dicendum est de appetitu innato.

Si respondeant neg. paritatem; quia bonum est ratio appetendi elicite; non verò innatè in materia respectu formæ, nisi ratio informandi illam solummodò, iam manet supra impugnatum.

Sed alia disparitate respondent, nimirum quod appetitus elicitus sequitur cognitionem, qua appetens discernit, non solum inter bonum, & malum, verum etiam inter magis, & minus bonum: quamobrem appetitu ordinato semper appetit magis maius bonum; at cum innatus nõ sequatur cognitionem, appetens non discernit inter maius, & minus bonum: quare omnia æqualiter appetit.

Sed

Sed contra, quia quod gerit cognitio in naturis cognoscentibus, supplet natura ipsa in non cognoscentibus: ergo sicuti in cognoscentibus illa discretio maioris, & minoris boni fit à cognitione, ita in non cognoscentibus debet fieri ab ipso naturæ instinctu. Prob. antec. ipsa natura discernit inter bonum, & malum taliter, quod nunquam innatè appetit malum, & semper bonum; sed ista discretio in naturis cognoscentibus fit à cognitione: ergo in naturis non cognoscentibus supplet ipsa natura quod in cognoscentibus gerit cognitio. Patet mai. in aqua v.g. quæ innatè fugit calorem, qui est contrarius, & malus sibi; & appetit frigiditatem, quæ est bona sibi: ergo ipsa natura discernit inter bonum, & malum: ergo etiam inter magis bonum, & minus bonum. Prob. hæc vltima conf. experientia constat, quod quando imminet percussio periculum, homo amens, & parvulus rationis expers naturaliter movet manum, exponens illam ad periculum ad salvandum caput: ergo signum evidens est, quod homo magis appetit caput naturali propensione, seu appetitu, quam manum: ergo quia caput est maius bonum, quam manus: ergo ipsa natura absque cognitione discernit inter maius, & minus bonum.

Respondent alij, quod quia ex parte ipsarum formarum verè datur inæqualitas in perfectione, dici potest, materiam inæqualiter appetere formas terminativè solùm, id est, appetit varias formas, quarum unæ sunt perfectiores alijs. Verùm appetitus materiæ in se consideratus est omninò æqualis ad omnes.

Solutio hæc impugnatur, sicuti præcedens; (& contra ipsam arguitur omnibus rationibus, & instantijs præcedentibus) quia si datur inæqualitas in perfectionibus, debet dari etiam in inclinatione, sive appetitu naturali, & innato ad illas. Et sicut nullus prudens præfert, nec æquat minus bonum majori: ita Auctor naturæ minus prudenter naturas rerum constituit, si illis indidisset appetitum æqualem in maiorem, & minorem perfectionem, & in hanc, & illas fecisset inclinatas æqualiter.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

SIT primum argumentum: potentia materiæ indeterminata est, & indifferens ad omnes formas, ita ut non magis unam, quam aliam recipere nata sit; sed appetitus innatus illius non differt ab eius potentia: ergo etiam appetit omnes, ita ut non magis unam, quam aliam appetat: ergo omnes æqualiter appetit.

Confirmatur primò: ab agente naturali solum determinatur materia ad recipiendam hanc potius, quam illam formam, etiam si perfectiorem; ergo ex se æqualiter respicit, & appetit omnes.

Confirmatur secundò: licet figulus intendat ex creta efficere vas pulcherrimum; creta tamen ex se est indifferens; ergo similiter licet agens naturale intendat induere perfectiorem formam in materia, ista tamen indifferenter se habet.

Resp. ad arg. dist. mai. sumpta potentia pro capacitate ad recipiendas formas, conc. sumpta pro appetito innato, subdist. si pro ly *indeterminata* intelligant non appetere formas sub specialibus rationibus earum, nisi appetere formã vt sic, nego; si intelligant habere appetitum ad omnes, & ex vi appetitus nullam habere, & nullam excludere, sed posse recipere quãlibet, conc. Etiam min. dist. sed appetitus innatus non distinguitur à potentia, realiter, conc. formaliter ex natura rei, subdist. sumpta potentia cum exigentia ad formas, concedo; sumpta pro mera non repugnantia, sive capacitate ad illas recipiendas, neg. & etiã utramque consequentiam. Licet materia sit taliter indifferens ad recipiendas formas, quod possit quamlibet recipere; tamen

non illas indifferenter appetit; taliter quod solum appetat habere formam; sed taliter quod ultra hoc appetit omnes sub rationibus specialibus earum, & iuxta illarum perfectiones, scilicet perfectiores magis, & minus perfectas minus. Quod solum est appetere illas indifferenter, quatenus ad nullam determinatam est necessitata materia, sive quatenus maior appetitus ad perfectiorem formam non necessitat materiam ad illam.

Ex quo facile responderetur ad 1. confirmationem, conc. antec. & dist. primam partem consequentis: ergo ex se æqualiter respicit omnes, prout ly *æqualiter* denotat ad nullam esse determinatam, & posse quamcumque recipere, conc. prout ly *æqualiter* denotat æqualitatem appetitus, neg. Ex quo negatur secunda pars, vel distinguitur sicut prima, & etiam patet solutio.

Ad secundam confirmationem resp. conc. antec. & consequens, sicut primam partem consequentis alterius confirmationis. Paritas namque non tenet, licet materia sit indifferens ad quamcumque formam recipiendam, & etiam creta ad quamcumque formam artificialem vasis; quia potentia materiæ ad formas est naturalis, ac per consequens dicit appetitum innatum; creta verò po-

tentia

rentia est neutra, & consequenter non dicit appetitum innatum, vt eruditè docet Scotus in 2. dist. 18. quæst. vnic. num. 5. §. *arguitur etiam*, vers. *Respondetur ad argumentum*.

Sit 2. argum. appetere magis maius bonum, quàm minus, est appetentium cum delectu, quod fit prævia cognitione præferente maius bonum, minori: ergo nequit competere materiæ.

Resp. dist. appetere magis maius bonum &c. est appetentium cum delectu solum, neg. istorum, & naturaliter, siue innatè appetentium, conc. & neg. conseq. Diximus iam probando conclusionem, quod in naturaliter appetentibus naturæ instinctus supplet suo modo cognitionem.

Sit 3. arg. si materia appeteret magis perfectiorem formam, non omnes, nisi vnicam tantum appeteret, quod negamus: ergo. Prob. antec. ex omnibus formis vna est omnium perfectissima: ergo istam solummodo appeteret.

Resp. neg. antec. ad eius probationem conc. antec. & neg. conseq. Licet sit vna omnium perfectissima, nempe anima rationalis, cum ista non contineat alias, adhuc non satiatur totaliter extensivè appetitum materiæ: vnde infertur, materiam retinere appetitum ad alias, licet minus perfectas; quia adhuc pos-

sunt perficere illam, vt experientia constat.

Instabis: forma perfectissima continet virtualiter alias; sed forma continens virtualiter alias explet appetitum materiæ respectu illarum, vt docet Scotus in 2. dist. 14. §. *respondeo, alia videtur*, num. 3. vers. *Si dicatur*, sed forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, sicut species superior inferiorem, ex eodem (vt asserit P. Mastrius) in 4. dist. 1. quæst. 1. Ergo forma omnium perfectissima totaliter extensivè satiatur appetitum materiæ: ergo nulla est solutio.

Resp. dist. mai. forma perfectissima continet virtualiter alias secundum quid, conc. simpliciter, neg. Etiam dist. min. sed forma continens virtualiter alias, explet appetitum materiæ respectu illarum, si continet illas virtualiter simpliciter, conc. si solum secundum quid, neg. Et hoc est, quod docet Scotus allegatus, & neg. vtramque conseq. Continentia namque virtualis vnius in alio potest esse dupliciter, scilicet simpliciter, & in rigore, & sic dicimus, animam rationalem continere sensitivam, & vegetativam; quia rationalis continet illas, non tantum per excessum perfectionis, sed etiam per æquivalentiam in manieribus: & potest esse continentia virtualis secundum quid, nempe per excessum perfectionis.

nis solum, & ita omnis species perfectior continet imperfectiorem, vt species hominis v. g. speciem leonis, quæ continet istam per excessum perfectionis; non verò per æquivalentiam in numeribus, & effectibus, vt ex se patet: cum autem forma perfectissima, nêpè anima rationalis, estò contineat alias formas imperfectiores virtualiter secundùm quid, non contineat illas virtualiter simpliciter, non explet adæquatè extensivè appetitum materiæ: vnde, adhuc informata illa retinet appetitus ad alias. Quod si daretur in materia aliqua forma continens virtualiter simpliciter alias, istas contentas iam non appeteret materia; quia talis forma explet etiam extensivè appetitus ad tales formas.

Præfata doctrina de continentia simpliciter, & secundùm quid est Scoti in 2. allegati contra nos, ideo dixi, non contra nos, sed pro nobis esse. Hæc habet in adducto verbi. Subtilis Doctor: *Nulla forma complet totum appetitum materiæ suæ, respectu alterius formæ, nisi det actum oppositum privationi illius formæ* (hoc est, nisi habeat munera illius formæ; quia aliter non potest dare actum oppositum privationi illius: sicuti anima rationalis v. g. quæ non potest dare rugitum, qui est actus oppositus privationi formæ leonis) *forma*

cæli non dat actum oppositum privationi cuiuscumque formæ alterius à se, puta formæ ignis &c. Prosequitur sic: *Probatio minoris nulla forma dat actum oppositum privationi cuiuscumque formæ, nisi in se contineat omnes formas saltem virtualiter, supple, simpliciter*, modo explicato, vt ex ipso contextu Doctoris constat. Consonant huic doctrinæ ferè omnes Scoti textus pro nobis allati sect. 4. 5. & in præsentī.

Instabis 2. contra solutionem huius tertij argumenti: voluntas, quantumvis libera, non eligit minùs bonum in comparatione maioris: ergo nec materia appetit naturaliter formam imperfectiorem in comparatione perfectioris. Confirmatur; quando materia manet informata forma perfecta vt octo, expletus reverà est eius appetitus quoad omnes gradus inferiores: ergo tunc nequit appetere formam minùs perfectam, perficientem illam vt quatuor v. g. vel sex, quia supponitur appetitus expletus.

Resp. ad instantiã dist. antec. nõ eligit minùs bonũ in cõparatione maioris, hoc est, relicto maiori, cõc. pro nunc: hoc est, licet habeat maius bonum, non eligit minùs; non relicto maiori, neg. Potest quis possidens vnum bonum desiderare aliud minùs bonum, non commutandum pro maiori, sed vel simul habendum, vel

vel habendum absolutè sine comparatione ad maius. Undè neg. conseq. quia materia non appetit formam minùs perfectam in comparatione magis perfectæ, quam habet, sed quiescit in magis perfecta, quam possidet, & quin appetat istius destructionem, appetit etiam minùs perfectam, non commutandam, nec simul habendam, sed absolutè, vt manet probatum suprâ. Resp. ad confirmationem dist. antec. si gradus sint eiusdem rationis cõc. si diversæ rationis sint, neg. & etiam consequentiam. Forma imperfectior, & perfectior sunt diversæ rationis, vt ex se patet: ac per consequens non manet cum perfectiori expletus appetitus, quem materia habet ad minùs perfectam; quia in hoc casu perfectior non continet virtualiter simpliciter minùs perfectam nisi solum secundùm quid, vt manet probatum ex Scoto.

Ex his occurritur alteri instantiæ, quæ fit ab aliquibus, nempe, quod forma minùs perfecta est quid malum in comparatione perfectioris, & sic non potest appeti à materia; quia non dicimus, quod materia appetit illam in cõparatione ad perfectiorem, nisi absolute; & vt sic est quid bonum materiæ. Alia argumenta solent fieri, quæ omittimus, quia sect. 4. & 5. vel manet enervata, vel ex dictis ibi, & in præsentì nostram pro-

bando conclusionem faciliè solvuntur.

SECTIO VII.

*VTR. FORMA SUBSTANTIÆ
lis appetat etiam innatè ma-
teriam primam?*

RESP. AFFIRMATIVE. Ita Scotus expressè (de anima rationali, in qua poterat esse maior difficultas; quia spiritalis, & quia per creationem producit, existitque naturaliter sine materia) quodl. 13. num. 32. §. De quarto principali, vers. *Exemplum: conceditur*. Deducitur clarissimè ex 2. citò allegandus. Prob. primò concl. forma habet exigentiam ad informandum materiam: ergo innatè appetit materiam. Prob. antec. exigit principiari compositum substantiale, vt pars formalis illius; sed hoc repugnat sine materia: ergo dicit appetitum naturalem, & innatum ad materiam.

Prob. secundò: forma est pars essentialis compositi; sed quævis pars, maximè essentialis, exigit conaturaliter suam compositam: ergo forma materiam, quæ est compars cum forma: ergo illam appetit innatè.

Prob. tertio: forma aliqualem perfectionem accipit in unione ad materiam, vt docet Scotus in 2. dist. 14. quæst. 1. vers. penult. his verbis: *Respondeo, forma unita*

ma-

materia, ab ea recipit aliquâ perfectionem: alioquin anima beata frustra uniretur corpori, ex quo, ex corpore non acquireret perfectionem. Perfectio namque, quam acquirit, est existere connaturali modo, & veluti cum suo ultimo fine; nam finis formæ, ut talis, nequit aliud esse, nisi informare suum connaturale subiectum, quod formæ substantialis est materia prima.

Sed argues: forma substantialis materialis ex vi ipsius productionis recipitur in materia; sed quod appetit aliud, prius quàm illud habeat, debet existere: ergo forma materialis nequit innatè appetere materiam.

Resp. primò conc. mai. & dist. min. quod appetit aliud debet esse antequam illud habeat, appetitu desiderij, conc. gaudij, seu quietis, nego. Forma enim respectu materiæ, in qua est, non habet appetitum desiderij, sed quietis.

Resp. secundò dist. mai. si ab agente naturali; sive à causa secunda producat, conc. si à solo Deo, neg. quia tunc non educitur, sed creatur, ut diximus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1. Undè, cum forma substantialis materialis possit produci à solo Deo, ac per consequens creari, & conservari sine materia, iam potest etiam ipsius appetitus innatus ad ma-

teriam esse desiderij. Et licet hoc non possit, nihil contra nos.

SECTIO VIII.

VTRUM MATERIA PRIMA recipiat substantiales formas mediâ aliqua potentia, quæ sit accidens prædicamentale, vel vtrum illas immediatè recipiat?

DIXIMVS, quæ sit accidens prædicamentale, quia non loquimur de potentia materiæ, prout præcisè dicit capacitatem ad formas recipiendas; nam ut sic est ipsa materia formaliter; nã ipsa, ut est entitas absoluta, per suammet essentiam formaliter est capax recipiendi substantiales formas.

Nec disputamus de potentia materiæ prout ista est potentia naturalis, ut contraponitur violentæ, & neutriæ; quia ut sic, cum ultra capacitatem dicat pro formali naturalem exigentiam, sive appetitum innatum ad formas, docuimus iam sect. 5. cum Scoto, esse transcendentalem respectu realiter identificatum cum essentia materiæ, & ab illa formaliter ex natura rei distinctum, de quo sufficienter egimus supra.

Ante quam quæsitum resolvam, noto, difficultatem non esse, vtrum recipiat illas mediâ unione? Neque vtrum ad recep-

tionem formæ prærequirantur in materia aliqua accidentia, quæ sint dispositiones materiæ ad recipiendas formas, vt calor, & siccitas v. g. in ligno, siue in materia ligni ad recipiendum formam ignis. De his namque non dubitamus, requiri vnionem distinctam realiter à materia, & forma, vt videbimus in suo loco, vbi etiam an sit accidens? Et an absolutum, vel relativum? Similiter fatemur requiri in materia aliquas dispositiones, quæ sunt quædam accidentia, vt connaturaliter agens naturale possit producere formam in materia, vt diximus de igne producente ignem in ligno. Difficultas igitur est, an præter dicta, mediet aliquod accidens realiter distinctum à materia, quod sit potentia ipsius, media qua recipiat formas? Vel vtr. illas recipiat immediatè?

SIT CONCLUSIO: materia prima non recipit substantiales formas media aliqua potentia ipsi superaddita, sed immediatè in se ipsa recipit illas. Ita Subtilis Doctor 1 Phys. quæst. 20. nu. 5. vers. *Istis non obstantibus*, sic ait: *Dico, quod potentia non est tale accidens distinctum, sed est materia potens.* Idem docet 9. Met. quæst. 5. §. *hic dicitur*, num. 3. vers. *Contra ista arguitur*, & lib. de rerum principio, citatus à Patre Benjamea, quæst. 8. art. 2. sub num. 3. §. *similiter*, & sub num. 6. §. ad

videndum, & num. 12. his verbis: *Ex his patet, quod sicut materia prima per suam substantiam est susceptiva formæ substantialis.* Tenet etiam nostram concl. in 2. quæst. 1. num. 11. §. & vers. *Dico igitur.* Expressius dist. 16. quæst. vnic. §. *alii dicunt*, num. 13. vers. *Præterea respectus non est*, sic alloquitur, *recipiens, cuiusmodi est materia, recipit formas per essentiam suam.*

Prob. 1. concl. si hæc potentia superaddita daretur in materia ad recipiendas formas, vel illam reciperet materia immediatè, vel indigeret alia ad recipiendam istam: si secundum dicas: ergo ad istam aliam recipiendam indigeret alia, de qua idem argumentum conficitur, & sic daretur processus in infinitum potentiaram, quod est absurdum. Si dicas primum: ergo sicuti recipit immediatè istam potentiam, poterit etiam recipere immediatè quamlibet substantialem, & accidentalem: ergo superfluit talis potentia, quam admittunt Thomistæ distinctam realiter à materia. Nec valet respondere, hanc potentiam esse rationem formalem quo, ita vt non sit quod; & sic standum esse in ipsa. Quia etiam ipsa forma; & forma substantialis maiorem proportionem, connexionem, & affinitatem habet cum materia, quam talis potentia: ergo si substantialis est quod, & indiget

alia potentia distincta à materia, multo melius erit quod potentia, quam admittunt contrarij, & indigebit alia, & ista, alia vsque in infinitum.

Confirmatur: non datur maior ratio, vt materia recipiat immediatè talem potentiam, quam formam quamlibet substantialem, vel accidentalem: ergo &c. Prob. antec. maior ratio deberet provenire ex maiori proportione, quam haberet materia cum tali potentia, quam cum forma; sed non habet maiorem proportionè: ergo. Prob. min. illud proportionatur magis cum materia, cum quo ista connectitur magis ad constituendum vnum totum per se substantiale; atqui ad hoc magis connectitur cum forma substantiali, quam cum d. cta potentia: ergo &c. Min. patet, quia materia, & forma sunt primario intentæ à natura ad componendum media vnione totum per se substantiale. Si enim illa potentia superaddita, per vos, recipit immediatè formas, quare materia illas non recipiet, cum etiam sit pura potentia ex Philosoph. vt dicitis?

Prob. 2. concl. quia forma est per se actus, non indiget alio actu superaddito, vt informet materiam; sed ipsa per se immediatè informat illam: ergo similiter, quia materia est per se potentia, non indigebit alia po-

tentia distincta, vt recipiat formam, sed ipsa per se, siue in se recipiet immediatè illam.

*DILVNTVR ARGUMENTA
contraria.*

SIT primum argumentum: causa efficiens producit suum effectum media potentia accidentali superaddita: ergo etiam causa materialis, qualis est materia prima, recipit formam media potentia superaddita.

Resp. 1. neg. antec. quod in 2. Phys. favente Deo, probabimus.

Sit 2. argum. adveniente forma, iam non est materia cum potentia ad illam: ergo potentia materiæ ad formam distinguitur realiter ab illa, siquidem separatur ab illa. Prob. antec. si adveniente forma, adhuc potentia ad illam esset in materia, ista esset simul in actu, & in potentia; sed hoc implicat: ergo.

Resp. dist. antec. adveniente forma iam non est materia cum potentia ad illam, prout potentia dicit carentiam formæ, concedo; prout dicit solum capacitatem, & exigentiam naturalem ad illam, neg. antec. & consequ. Hoc modo sumpta potentia non implicat esse cum actu simul, vt patet in potentia intellectiva v.g. quæ dum habet intellectiōnem, retinet, & servat simul potentiam, seu virtutem productivam.

nam, & receptivam illius. Quando dicitur, quod repugnat aliquid esse simul in actu & potentia, intelligitur, ut opponuntur, scilicet in potentia, id est, sine actu, & in actu, hoc est, cum actu, sine quo est, hoc modo opponuntur contradictoriè; at verò potentiam, tam productivam, quam receptivam esse cum suo actu, nullatenus opponuntur, ut patet in exemplo adducto, & in qualibet alia potentia.

Sic 3. arg. in secunda specie qualitatis posuit Philof. potentias naturales agendi, & patiendi: ergo iuxta Philof. potentia patiendi in materia, sive ad recipiendam formas est accidens de prædicamento qualitatis, sicut est mollities cereæ ad recipiendum impressionem sigilli, & dardities columaræ ad sustentandam domum.

Resp. ex Scoto 1. Phys. quæst. 20. nu. 5. vers. *Sed dubitatur*, & in 2. dist. 15. quæst. vnic. §. *ex hoc dicto*, num. 22. vers. *ad auctoritates*, quod ibi loquitur Philof. de his, quæ potentias habilitant, seu facilitant, & ista sunt accidentia de genere qualitatis; non verò loquitur de ipsis potentijs, ut patet ex contextu, & exemplis allatis. Verba Scoti sunt ista: *Ad primum dico, quod potentia naturalis absolute non est in secunda specie qualitatis: sed facilitas ad utendum illa potentia; & de hac facilitate loquitur Philof. in dicto loco.*

Sic 4. argument. potentiale alicuius generis, nihil est illius generis; sed potentia materie est potentialis respectu totius generis substantiæ: ergo non est aliquid illius generis, nisi alterius: ergo qualitas.

Si argumentum probaret aliquid, neque accidens esset potentia materie, cum sit etiam potentialis ad formas accidentales, præsertim in sententiâ adversariorum. Quare neganda est mai. sicuti vnum accidens, nempe quantitas est in potentia ad alia accidentia: ita vna substantia poterit etiam esse in potentia ad aliam substantiam.

SECTIO IX.

VTR. MATERIA PRIMA POSSIT EXISTERE SINE VLLA SUBSTANTIALI FORMA?

SVPPONITVR communiter ab omnibus, materiam primam non posse naturaliter existere absque omni substantiali forma. Variant in assignanda ratione. Sed meo videri est; quia nullus datur agens naturale potens destruere formam, nisi producendo in materia, vel aliam formam substantialem, quæ expellat primam, vel saltem aliquas dispositiones ultimas ad formam, quæ tunc producta ab authore nature expellat præhabitam. Unde tota controversiâ

H 2. inter

inter Authores est, an supernaturaliter possit materia prima existere absque omni substantiali forma?

CVI RESPONDEO affirmative. Est contra Thomistas communiter. Colligitur ex Scoto 1. Phys. quæst. 19. num. 5. vers. *Ad primum negatur*. Vbi ait, quod nec materia est causa intrinseca formæ, nec forma materia, nisi extrinseca; sed quilibet effectus potest divinitus existere sine causa creata extrinseca: ergo &c. Expressius docet illam ibidem quæst. 20. à num. 12. vers. *Quarta conditio est*. Ex professio tenet, & probat nostram concl. in 2. dist. 12. quæst. 2. à num. 3. §. *respondeo ad quæstionem*. Et probat hac ratione: omne absolutum distinctum, & prius alio absoluto potest esse sine contradictione sine illo; sed materia prima est quid absolutum, & prius omni forma: ergo absque contradictione potest sine vlla existere. Nunc sic; sed Deus potest facere de potentia absoluta quidquid non dicit contradictionem: ergo potest materia produci, & conservari de potentia Dei absoluta absque vlla substantiali forma. Mai. parer; quia nullum absolutum prius habet necessariam connexionem cum posteriori absoluto. Min. quoad primam partem constat, quia compositum, quod est constitutum ex materia, est absolutum: ergo &

materia, nam absolutum nequit nisi absolutis constare. Quoad 2. partem etiam constat min. quia receptivum cuiuscumque formæ est fundamentum eius: ergo prius.

Huic Scoti argumento respondent Thomistæ, quod licet materia sit prior forma in genere causæ materialis; tamen forma est prior in genere causæ formalis ipsa materia existente; quia cum materia existat per existentiam formæ, existentia materiæ est effectus formalis formæ: sicut superficies est prior albedine, sed albedo est prior superficie alba: ergo.

Sed contra istam solutionem militat tota sect. 3. vbi ex professo probatur, materiam, non existentiam formæ, sed propria existentiam existere. Deinde, si materia est prior in genere causæ materialis: ergo iam intelligitur existens in illo priori: ac per consequens poterit Deus illam sic conservare. Exemplum albedinis, & superficiei non est ad rem; quia idem albedo est prior superficie alba; nam albedo in superficie non supponitur, vt potens recipere albedinem: sicut materia supponitur, vt potens recipere formam.

Deinde respondent, quod licet materia sit prior forma, adhuc non probamus assumptum; quia causa inseparabilitatis, non solum potest esse dependens

dentia, sed etiam necessaria connexiono. Quod patet: nam partes unitæ sunt priores toto, & non possunt esse sine illo. Quantitas est prior qualitate, & non potest esse sine figura. Corpus est prius omni præsentia locali, & non potest esse sine illa. Natura est prior substantia, & non potest esse sine illa, & sic de alijs.

Sed hæc solutio non satisfacit argumento; quia est concedatur inseparabilitatem duorum, non solum provenire à dependentia, sed etiam à connexiono necessaria: & licet instantiæ adductæ admittantur, adhuc non probant Adversarij istam necessariam connexionem inter materiam, & formam; quia supra probatum est, materiam, adhuc veluti cum conditione concomitante sine qua non existeret, esse cum forma connexam: Instantiæ, quæ adducuntur, non sunt ad propositum, quia omnia illa adducta sunt talia, quod ab eis resultant posteriora per simplicem emanationem, taliter quod ad posteriora, v. g. ad totum, non datur alia actio productiva, quam quæ datur ad formam unitam cum materia, his namque positis, nam à solo Deo, nam à causa secunda, quin datur alia actio productiva terminata ad totum istud à causis suis intrinsicis, nempe materia, & forma unitis, quin ab eis producatur per physicam productio-

nem, resultat per emanationem metaphysicam: & alia allata in solutione etiam habent esse per meram resultantiã ab illis prioribus, quæ non possunt esse sine eis; forma verò non habet esse per meram resultantiam à materia, sed per actionem physicam distinctam ab actione productiva materiæ: ergo cum aliàs sit entitas absoluta prior, quam forma, poterit saltem de potentia Dei absoluta sine forma existere, casu scilicet quo Deus crearet materiam, & nolet producere formam, & casu quo suspenderet concursum conservativum formæ, & non suspenderet conservativum materiæ, neque produceret aliam formam, quod Deus potest facere, cum omnia hæc nullam dicant contradictionem.

Quod enim materia sit prior, quam forma, confirmatur à Scotto per Aug. 13. Conf. dicentem, quod prius origine terminatur creatio ad materiam, quam ad formam: licet secundum eum, primò fuerit creata cum forma.

Secundò probat concl. Scotus hæc alia efficaci ratione: quidquid Deus absolutum facit in creaturis mediante causa secunda, potest facere se solo sine illa causa secunda, quæ non est de essentia causati; sed forma est causa secunda finalis, quæ non est de essentia materiæ, in quantum materia est, mediante qua-

Deus.

Deus dat esse materiæ, in quantum forma est causa finalis producendi materiam: ergo Deus sine forma potest facere materiam. Prob. mai. omnis virtus causativa, quæ reperitur in creaturis de genere efficientis, & finalis, quæ sunt causæ extrinsecæ causato, reperitur eminentiori modo in Deo; quia omnis præfata virtus est participata à Deo: ergo Deus per talem virtutem potest solus causare quicquid causat, mediâ causa secundâ. Min. scilicet quod forma non sit de essentia materiæ, patet; quia aliàs adveniêre alia, & alia forma in specie, mutaretur essentia materiæ, quod dici nequit.

Probat tertio concl. Scotus sic: quod Deus solus immediatè creat, solus etiam immediatè conservat, vel potest conservare; sed materia est terminus creationis, etiam secundum adversarios, ac per consequens immediatè creatur à solo Deo; quia, ut probavi in Theolog. tract. de Creat. disp. 2. sect. 3. subsect. 10. & 11. & sect. 4. nequit creatura creare: ergo Deus solus absque interventa alicuius creaturæ potest conservare materiam: ergo absque forma ergo & potest sine ista de potentia Dei absoluta existere. Prob. mai. omne absolutum prius alio absoluto, quod à solo Deo creatur, potest à solo Deo sine illo alio absoluto, sine

quo creatur, conservari; sed materia prima est quid absolutum, quod creatur à solo Deo sine forma: ergo potest à solo Deo sine illa conservari. Prob. mai. Deus potest conservare absolutum sine illo absoluto, quod non est de eius essentia, neque resultat ex illo per simplicem emanationem, sed producitur per distinctam productionem, ut manet dictum supra; sed forma non est de essentia materiæ, neque ex materia resultat per emanationem simplicem, & producitur per distinctam productionem; nam materia creatur, forma vero educitur: ergo sine forma potest Deus conservare materiam.

Quarto prob. etiam à Scoto: non est necesse Deum velle aliquid aliud à se absolutè, & de necessitate: ergo si vult necessariò formam esse, ad hoc, quod velit materiam esse: hoc non est simpliciter, & absolutè, sed propter necessariam connexionem materiæ cum forma; atqui non est talis absoluta, & necessaria connexio materiæ cum forma: ergo ex eo quod Deus velit materiam esse, non est necessitatus ad velle formam esse: ergo potest creare, & conservare materiam sine forma. Mai. est certa. Min. constat; quia si esset necessitas absoluta materiæ cum forma, ut dicunt Adversarij: ergo materia de necessitate determinat sibi aliquam formam. Prob.

hæc conseq. quod determinat sibi aliquod genus, determinat sibi aliquam speciem in genere illo; & omne quod determinat sibi speciem, de necessitate determinat sibi esse in aliquo vno individuo talis speciei: vt omne quod de necessitate est homo, de necessitate est hic homo, vel ille; sed materia non determinat sibi de necessitate hanc formam, vel illam: ergo neque formam in genere: ergo absolutè potest existere sine illa.

Confirmatur à Scoto ista ratio: quidquid contingenter se habet ad quodlibet cuiuslibet generis absoluti, contingenter se habet etiam ad illud genus absolutum, quod patet 1. Phys. cap. 63. & 69. sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam: ergo & ad totum genus formæ. Deindè probat Subtilis Doctor, quod si de necessitate absoluta materia determinaret sibi genus formæ, etiam de necessitate determinaret sibi vnum dumtaxat illius generis; quia vnum essentialiter vnum, & singulare est impossibile dependere essentialiter à pluribus eiusdem generis; sed materia essentialiter est vna, & singularis: ergo est impossibile quod dependeat essentialiter ab omnibus, sive à pluribus formis: ergo si necessariò determinat sibi totum genus formæ; ideo est, quia necessariò determinat sibi ali-

quod vnum individuum illius generis, quod est falsum: ergo si contingenter se habet ad totum genus formæ, poterit virtute diuina esse sine forma.

Prob. 5. concl. etiam à Scoto: non magis dependet materia à forma, imò minus quàm accidens absolutum à subiecto, etiam in opinione Thomistarum; sed Deus potest conservare accidens sine subiecto, & de facto conservat in SS. Eucharistia Sacramento: ergo potiori iure poterit conservare materiam sine forma.

Respondebis, quod accidens dependet à subiecto, tanquam à causa efficiente, cuius causalitatem potest Deus supplere; at verò materia à forma dependet, tanquam à causa formali, cuius causalitatem supplere repugnat perfectioni Dei.

Sed contra 1. quia forma non est causa formalis intrinseca materiæ, sicuti est compositi, nisi extrinseca, quatenus scilicet informat materiã: ergo solum dependet ab illa, quoad esse informatam, quod verum est non posse suppleri à Deo; non verò dependet ab ea quoad suum esse intrinsecum absolutè, nec tanquam à causa efficiente, nec tanquam à causa formali: ergo licet non possit Deus, adhuc de potentia absoluta, quod existat informata sine forma, quia vt sic dependet à forma, tanquam à causa formali intrinseca, poterit

facere, quod existat non informatum, nisi secundum suum esse absolutum, & intrinsecum; quia ut sic nullatenus dependet à forma, licet ista sit causa formalis extrinseca illius. Quod patet in subiecto, quod licet, ut informatum ab accidenti, accidens sit causa formalis intrinseca illius, ac per consequens, ut sic dependeat ab illo tanquam à causa formali, consequenterque non possit, adhuc de potentia absoluta, existere sine illo; quia subiecti secundum ipsius esse absolutum, accidens solum est causa formalis extrinseca, non repugnat, quod subiectum secundum suum esse absolutum, & intrinsecum existat sine accidenti.

Confirmatur: non minus repugnat perfectioni Dei suppletæ causalitatem causæ materialis, quam causæ formalis, ut fateris; sed potest res existere sine sua causa materiali extrinseca: ergo etiam poterit sine formali extrinseca. Min. patet in anima rationali. Et si dicas, quod ista sit per creationem, in isto, quod etiam materia.

Et si iterum respondeas, quod animæ rationalis non est causa materialis materia; quia non educitur ex illa. Ultra quod ad causam materialem, hoc non requiritur, nisi quod in illa recipiatur, & ab illa informetur, aliàs neque hominis esset causa materialis intrinseca, si non es-

set causa materialis extrinseca respectu animæ, neque ista esset causa formalis extrinseca materiæ, quæ omnia sunt maxima absurda, & probari possunt facillimè.

Contra, accidens educitur ex subiecto, & illud informat: ergo subiectum est causa materialis accidentis, & accidens est causa formalis subiecti, & ex isto educitur; atqui hoc non obstanti subiectum potest existere sine accidenti, & è contra: ergo licet materia sit causa materialis formæ, & ista sit causa formalis materiæ, & educatur ex illa, materia poterit existere sine forma, & forma sine materia: ergo res potest existere sine sua causa materiali extrinseca, licet ex illa educatur, quæ est negata: ergo etiam sine sua causa formali extrinseca.

Ad hoc, & cætera argumenta respondent Thomistæ, quod forma est causa formalis intrinseca materiæ; quia dat illi existentiam formaliter, vel saltem dat illi formaliter capacitatem ad existendum. Sed quod materia non existat existentia formæ, nisi propria ipsiusmet materiæ existentia intrinseca, manet iam probatum supra: ex quo constat etiam formam non præstare materiæ, nec formaliter, neque in alio quolibet genere causæ, capacitatem ad existendum.

RESPONDETUR ARGUMENTIS

Contrariorum.

SIT primum argumentū: materiam existere sine forma est contradictio: ergo. Prob. antec. esset in actu, & non esset in actu: ergo. Prob. antec. esset in actu, quia haberet existentiam in rerum natura, & non esset in actu, quia esset sine forma, à qua est omnis actus: ergo esset in actu, & non esset in actu.

Resp. neg. primum antec. secundum dist. esset in actu entitativo, & non esset in actu entitativo, vel esset in actu informativo, & non esset in actu informativo, neg. esset in actu entitativo, & non esset in actu informativo, conc. & neg. conseq. Alterius antec. etiam dist. sic primam partem: esset in actu entitativo, hoc est, esset entitas actualis, & extra suas causas in rerum natura, conc. & hoc probat illa, scilicet, quia haberet existentiam in rerum natura; & non esset in actu informativo, & specifico completè, cōc. quod probat illa, quia esset sine forma, & dist. illud, à qua (scilicet à forma) est omnis actus: omnis actus entitativus, neg. omnis actus informativus, conc. Similiter distinguendum est ultimum conseq. quod esset in actu entitativo, & non esset in actu informativo, quod nullatenus est contradi-

ctio. Solutio constat ex dictis supra, ubi probavimus, materiam primam habere propriam existentiam, ac per consequens non existere existentia forma.

Sit 2. argum. sequeretur materiam existere, & non existere: quod est contradictio: ergo repugnat, quod existat sine forma, adhuc divinitus. Prob. antec. In primis existeret, ut supponitur, deinde non existeret: ergo. Prob. secunda pars antecedentis: existentia presupponit essentiam specificam, nam est ultimus actus in linea essendi; sed essentia specifica provenit à forma: ergo sine ista nequit existere materia.

Confirmatur primò: existentia rei creatæ non est prædicatum essentiale ipsius: ergo est prædicatum extra essentiam, præsupponens essentiam rei iam constitutam in aliqua specie: ergo existentia nequit convenire illi rei, quæ nullius speciei est: ergo nequit convenire materię sine forma.

Confirmatur secundò: implicat quod aliquid existat à parte rei, quin sit sub aliqua determinata specie; sed materia prima determinatur ad hanc, vel illam speciem per formam substantialem: ergo nequit existere sine vlla substantiali forma.

Resp. ad argum. neg. antec. Ad eius probationem conc. primam partem, & neg. secundam,

I

ad

ad cuius probationem, neg. suppositum maioris, scilicet quod existentia distinguatur ab essentia, quod manet probatum in Met. tract. 3. disp. 2. sect. 2. & 3. existentia enim est ipsissima essentia extra statum possibilitatis, sive extra suas causas. Ad illam propositionem, quod *essentia est ultimus actus in linea essendi*, si in linea essendi comprehendant esse possibile, & esse existens, dico, quod est ultimus actus in linea essendi, quatenus qualibet res prius est possibilis, & postea existens; si aliud intelligant, nego; quia nulla res non existens habet actum actualiter, respectu cuius, existentia possit dici ultimus actus. Min. nego absolutè. Essentia namque specifica materiae à nullo provenit, sed sunt ipsa prædicata metaphysica materiae præter ipsius individuationem; sicuti prædicata metaphysica formæ essentia specifica formæ; prædicata quantitatis essentia specifica ipsius; & sic de qualitate, & de qualibet alia re. Essentia specifica, quæ provenit à forma, est essentia specifica totius, sed non à forma solum, nisi à forma, & à materia simul, ut diximus in Log. tract. 2. disp. 4. sect. 4. & neg. conseq.

Ad 1. confirmationem patet ex solutione argumenti, quod existentia rei creatæ est ipsissima essentia eius: vnde neg. an-

tec. & omnes consequentias, quas inferunt.

Patet etiam ad secundam. Materia namque prima est in determinata specie materiae primæ, sicuti forma formæ, & sicuti accidens accidentis, &c. Si enim pro determinata specie, velint intelligere speciem completam, utpotè totius substantialis. Mai. est falsa. Quia de facto existit anima rationalis, & accidens, ut vidimus supra. Quælibet res potest in sua determinata specie existere, etiam si nullum detur totum substantiale.

Instabis: in materia non datur alia essentia specifica, nisi essentia compositi: ergo runt prædictæ solutiones. Prob. antec. non potest dari essentia specifica, ubi non datur actus formalis; sed in materia prima secundum se considerata, nihil datur actus formalis, sed tantum est purum potentiale: ergo materia prima secundum se considerata, nullam habet essentiam specificam, adhuc partialem.

Confirmatur: quod est purum genus, v.g. supremum, nihil habet de specifico in linea metaphysica, quousque adveniat differentia, quia se habet tanquam forma metaphysica: ergo quod est pura potentia in linea physica, ut est materia prima, nihil habet de essentia specifica in tali linea, quousque adveniat forma substantialis.

Resp.

Resp. ad instantiam neg. antec. Ad cuius probationem dist. mai. non potest dari essentia specifica, vbi non datur actus formalis metaphysicus, conc. vbi non datur actus formalis physicus, neg. Similiter dist. min. sed in materia secundum se nihil datur actus formalis metaphysici, neg. physici, sive physice informativi, conc. & nego consequ. Materia enim prima constat partibus metaphysicis, sicuti quævis alia entitas realis, quarum vna est genus, ac per consequens materia metaphysica, sive pars metaphysica potentialis, & contrahibilis; & alia est differentia, & consequenter actus metaphysicus, contrahens, & specificans genus, ex quibus constat essentia materiæ.

Ad confirmationem resp. conc. antec. & consequ. In linea physica verum est, quod materia nihil habet de essentia specifica. Supra enim essentia specifica in linea physica est differentia specifica physica, & hæc est forma substantialis, cuius nihil habet materia secundum se, vsque dum ipsa advenit; at verò in linea metaphysica, vitra prædicatum genericum, per quod convenit cum alijs substantijs, datur prædicatum specificum, seu differentiale, per quod ab alijs substantijs, quæ non sunt materia prima, nempe à formis, differt specificè, seu essentialiter.

Sit 3. arg. non potest haberi actus secundus sine primo; sed materia sine forma non habet actum primum, quia actus primus est forma: ergo materia sine forma non potest habere existentiam, quæ est actus secundus.

Confirmatur: quia intellectus est actus primus, & intellectio actus secundus in linea intelligendi, nequit haberi intellectio, sive non potest quis intelligere sine intellectu: ergo quia forma est actus primus, & existentia actus secundus in linea essendi, non poterit materia habere existentiam sine forma.

Resp. ad argum. conc. mai. & min. & neg. consequ. & etiam quod existentia sit actus secundus. Actus namque primus est virtus operativa, seu productiva, & operatio est actus secundus, quæ verum est non posse haberi absque actu primo, nempe absque virtute, seu potentia productiva; at verò existentia materiæ, cum sit ipsamet materia extra causas, vt manet probatum in Met. vbi supra; & materia non sit effectus, neque operatio formæ, hinc est, quod nec ista est actus primus respectu existentia materiæ, neque istius existentia actus secundus respectu formæ. Et per hoc patet ad confirmationem; quia intellectio est actus secundus, vt potè operatio ab ipso producta, & in ipso recepta.

Sit 4. arg. non potest dari esse accidentale sine forma accidentali: ergo neque potest dari esse substantiale sine forma substantiali: ergo materia nequit esse, seu existere sine forma.

Resp. conc. antec. & neg. utrâque conseq. & paritatem. Disparitas stat in hoc, quod de essentia accidentis est inherere, ac per consequens informare, ut diximus in Met. tract. 4. sect. 1. subsect. 2. *verf. constat etiam accidens*: ac per consequens nullum potest dari accidens, quod non sit forma; at verò substantia essentialiter est ens per se, prout contraponitur accidenti, quod habetur ibidem *verf. ex quibus dicendum est*. Undè non repugnat substantia, quæ non sit forma, quæ cum distincta realiter sit à forma, independensque ab illa, imò & prior, ut manet supra dictum, non repugnat, quod sine forma existat.

Sit 5. arg. non potest substantia existere absque omni substantia: ergo neque materia absque omni forma.

Resp. neg. antec. de facto enim existit anima rationalis absque substantia, secundum quæ diximus in Met. tract. 4. disp. 3. & specialiter sect. 4.

Si autem insent de substantia completa, conc. antec. & neg. conseq. quia in nostra Scotica sententia, & in omnium assententium substantiam comple-

tam non posse existere sine alia qua subsistentia, ista consistit in negatione dependentiæ, seu communicationis alteri, modo quo diximus vbi supra; & cum inter communicari, & non communicari non detur medium: hinc fit, quod si non communicatur, subsistit propria subsistentia; cum sit eius constitutivum, si verò communicatur, subsistit subsistentia illius, cui communicatur. At verò materia non distinguitur à sua existentia; & cum alias sit prior, & independens à quacumque forma, nulla est contradictio, quod existat sine illa. Addo, quod etiam substantia completa potest subsistere absque vlla subsistentia, casu scilicet, quod duæ substantiæ completæ essent inter se unitæ, ut Petrus, & Paulus v.g. in quo casu nullus subsisteret, ut docuimus in Met. tract. 4. disp. 3. sect. 3. *verf. Undè, si unirentur duæ nature.*

Sit 6. arg. quæ sunt magis vnum sunt minus separabilia; sed materia, & forma sunt magis vnum, quam essentia, & proprietates, siquidem illæ sunt vnum per se, & istæ per accidens: ergo cum essentia, per nos non possit existere sine proprietatibus, neque materia poterit sine forma.

Resp. dist. antec. in eadem linea, conc. in diuersa, neg. & etiam consequentiam, Materia,

& forma unitæ sunt unum per se in linea physica per physicam unionem unitæ, ac per consequens sunt distinctæ inter se, & ab unione, qua uniuntur; & cum aliâs sint entitates absolutæ, non repugnant separari, licet unum per se physicum constituent; at verò essentia, & proprietates non sunt quid unum per unionem, nisi per realem identitatem: unde, esse non sint unum, per se in hac linea metaphysica, quia non sunt genus, & differentia, nequeunt adhuc divinitus separari.

Sit 7. argum. existentia, qua materia existeret separata à forma, aut esset spiritualis, aut corporea, cum non sit medium; sed non esset spiritualis; quia spirituale abstrahit, sive contradistinguitur à materia: ergo erit corporea, & sic contineretur sub genere corporis, & non foret in aliqua specie infima illius; quia tale esse est à forma, qua carere supponitur; sed hoc est contradictio: ergo materia nequit existere sine forma.

Resp. ad mai. quod non esset spiritualis, & ad ly corporea, dist. esset corporea, quatenus corpus dicit compositum ex materia, & forma corporeitatis, neg. esset corporea, id est, esset materialis, sive quatenus corporeum solum dicit id quod contraponitur spirituali, conc. etiam min. & consequ. in sensu dicto. Et assero,

quod non continetur sub genere corporis in sensu, in quo dicimus non esse corpoream, sed sub alio magis supremo, in quo corporeum contradistinguitur spirituali, sive incorporeo, quod potest explicari per *materiale*. Addo, quod præfatum argumentum potest fieri etiam de essentia materiæ, inquirendo, an sit spiritualis, vel corporea; & quod respondeant, possumus & nos respondere.

Sit 8. arg. magis pendet materia à forma substantiali, quam ab accidentali, vel saltem æqualiter; sed non potest existere sine omni forma accidentali, v. g. sine ubicatione, & duratione, &c. ergo.

Resp. neg. suppositum maioris, scilicet quod materia depédeat, neque à forma substantiali, neque ab accidentali. Sed quia cum hoc stat, quod sine aliquibus accidentalibus non possit existere, ut sine prædictis, dist. min. sed non potest existere sine omni forma accidentali absoluta, nego; relativa, conc. & neg. consequ. Cum relationes positæ fundamentò, & terminò, si sunt intrinsecus advenientes, necessario resultent, & si extrinsecus, positò, quod requiritur, ut approximatio v. g. in aliquibus extremis; eo quod existat forma, si est in loco, resultabit in illa relatio ad locum, quæ dicitur *vbi*, sive *vbiatio*; & si datur tempus, duratio

extrinseca, quæ est relatio ad tempus: & distinctiones ab omnibus illis, quæ coexistent illi, quod non est materiam dependere ab illis, imò illa à materia dependet, quæ prius natura saltem supponitur existens; at verò posita materia non resultat necessario aliqua forma substantialis, neque accidentalis absoluta; sed liberè produci- tur à Deo, vel solo, vel cum causa secunda: ergo potest Deus creare materiam, & nullam formam, neque substantialem, neque accidentalem absolutam producere in illa.

Sit 9. arg. natura humana nequit existere sine aliquo individuo: ergo neque materia sine aliqua forma. Conseq. patet, quia difficiliùs videtur, puram potentiam esse sine actu, quàm ens actu, qualis est natura humana, existere sine alio actu.

Resp. conc. antec. & neg. conseq. ad cuius probationem neg. assumptum; quia natura humana identificatur realiter cum sua individuazione, ac per consequens impossibile est existere sine illa; at verò materia distinguitur realiter ab omni forma, & licet sit pura potentia receptiva, non verò obiectiva; nam habet suum actum entitativum, scilicet existentiam, sicuti forma suam: ergo non repugnat illi existere sine forma.

Sit 10. arg. materia essentiali-

ter est pars compositi: ergo non potest existere nisi in composito unita formæ.

Resp. dist. antec. essentialiter est pars compositi, hoc est de essentia eius est actu componere, neg. hoc est, exigentia ad componendum, conc. & neg. conseq. Esse actu partem, tam materiæ, quàm formæ accidit in adventu unionis.

Sit 11. arg. vnum relativum nequit esse sine alio, adhuc supernaturaliter; sed materia, & forma sunt correlativa, vtpote actus, & potentia: ergo &c.

Resp. dist. mai. relativa prædicamentalia, conc. transcendentalia, neg. dist. etiam min: materia, & forma, vt unitæ sunt relativa prædicamentalia, conc. secundum suas entitates, neg. quia sunt entia absoluta; vt unitæ autem dicunt unionem, quæ relatio prædicamentalis est, & extrinsecus adveniens, vt videbimus infra, & sic verum est, vnam non posse esse sine alia, vt satis ex se constat.

Sit 12. arg. Doctor Subtilis 1. Phys. quæst. 20. num. 4. vers. *Ad tertium*, & quæst. 24. num. 3. vers. *Quantum ad secundum*, & num. 4. vers. *Quarta conditio*, expressè affirmat, esse impossibile, quod materia separetur à forma: ergo nostra conclusio est contra Scotum.

Resp. 1. Scotum, debere intel- ligi naturaliter, in dictis locis, liqui-

siquidem, dum difficultatem istam postea in sententiarijs expresso exagitat, nostram conclusionem resolvit, propugnat, & contrarijs argumentis satisfacit. Si autem in istis, loqui etiam de potentia absoluta Dei.

Resp. 2. hoc Scotum affirmare in locis allegatis ex mente Philosophi, nempe iuxta Arist. principia, quod servavit semper Subtilis Doctor, etiam si Philosophi principia non amplecteretur, ut observabat dum non erant consona fidei: Unde aliquas opiniones defendit in Theologia, quarum oppositum videtur amplecti in Philosophia; quia hic philosophatur iuxta principia, & placita Philosophi: quæ cum aliquando fidei opponantur, vel mediatè, vel immediatè, sive implicitè, vel explicitè, in Theologia, cui, ut potè altissimæ veriorique scientiæ, & de Deo, cetera conformari debent, Philosophum aliquoties deserit, ut à veritate non deviet, nempe in quibus Phil. à fidei veritate aberravit: ut in præsentibus, ubi quia Philos. existimavit dari talem connexionem inter causas secundas, & primam, quod ista nihil sine secunda operari, aut producere possit: hinc cum in causis secundis non detur virtus ad producendum, vel conservandum materiam primam sine forma aliqua substantiali, iuxta præfatum dictum Philoso-

phi, valde consequenter dixit i. Pyl. allegatus, absolutè esse impossibile materiam primam existere absque aliqua substantiali forma.

Constat sic debere Subtilem Doctorem interpretari, & exponi; quia postea in sententiarijs, ubi principijs fidei magis, quam Philosophi dictis innititur, loco à nobis citato contrarium tenet. Hæc prudens regula observari debet in omnibus illis, quæ docet in sententiarijs, & alijs libris Theologicis, contrarijs illis, quæ in Physica prius, & non tam maturè docuerat; & non dicere satis liberè, quæstiones super octo libros Physicorum, quæ inter Scoti opera recensentur, Subtilis Doctoris non esse, cum credibile non sit, scripsisse grammaticam speculativam, super Logicam Arist. ac quinque voces Porphyrij, super tract. de Anima, de Cælo, & mundo, de Generat. & corrup. de Meteoris, & Elementis, & alijs, & super duodecim libros Metaphysicæ; & in medio eorum reliquisse octo libros Physicorum intactos.

SECTIO X.

*AN. SIT VNA SPECIE, ET
numero omnium rerum
materia?*

LICET difficultas, quoad res
cælestes propriè ad lib. de
Cœ.

Cœlo pertineat, tamen ab Authoribus communiter in præfenti pertractatur. Et suppono cum communi Theologorum consensu contra antiquos Philosophos, corpus quodlibet cœleste constare materia, & forma physicis inter se realiter distinctis, & unitis, quod ex professo, favente Deo, in lib. de Cœlo videbimus.

Suppono deindè, nos non disputare hic cum Thomistis, quamnam unitatem, tam specificam, quam numericam habeat materia prima; scilicèt an sit positiva, vel negativa; quia Thomistæ asserentes materiam primam taliter esse puram potentiam, quod ex se nihil actuale positivum, neque existens contineat, consequenter sustinent, nullam unitatem positivam habere, neque specificam, neque numericam, sed utramque esse negativam tãtammodò. Nos verò, qui cum Scoto defendimus, materiam primam ex se esse entitatem positivam, & propria existentia existentem; dicere etiam tenemur in consequentia doctrinæ habere unitatem positivam, tam specificam, quam numericam. Vndè quoad hoc tota cõtroversia inter geminas Scholas reverà consistit in assignando, quomodo materia prima sit pura potentia, vel in determinando, utr. ex se, independenter à forma substantiali habeat pro-

priam existentiam, possitque sine illa existere: quæ omnia manent iam sufficienter discussa.

Pro decisione autem præsentis difficultatis noto, quod unitas numeralis est, in duplici differentia. Vnam appellamus essentialem, & integram aliam. Essentialem nõ vocamus talem, quia sit de essentia, seu quidditate specifica rei; nam cuiuslibet rei creatę quidditas est ex se indifferens ad plura individua, sicuti genus ad plures species, distinctaque ex natura rei à sua individuatione, sive unitate numerica; sed appellamus essentialem; quia sicuti essentia, cuius est unitas, est indivisibilis in plures partes realiter inter se distinctas, etiam ipsius unitas numerica: v.g. unitas numerica Angeli, animæ rationalis, & alia huiusmodi, quæ partibus realiter inter se distinctis non constant, ac per consequens neque unitatibus numericis inter se distinctis realiter; sed vna indivisibilis contrahit, & individuat omnia prædicata metaphysica rei, cuius est individuatio.

Similiter neque integram nominamus talem, quia constet, seu componatur ex pluribus unitatibus numericis plurimarum partium integralium realiter inter se distinctis, & unitis, sicuti sunt ipsæ partes integrales; sed appellamus unitatem numericam integram, quamlibet

libet, quæ pluribus unitatibus numericis realiter inter se distinctis constat, num partes, cuius sunt unitates, sint proprie integrales, num sint substantiales, num accidentales, num sint unitæ inter se tales partes, num verò solam inter se aliquo ordine disposita vt vnus exercitus; num verò solum per aggregationem cumulata, vt vnus acervus lapidum: vnde unitas numeralis, quam vocamus essentialem propriè nominabitur, si indivisibilis appelletur, & quam nominamus integram, si divisibilis dicatur, eo quod illa sit indivisibilis, & divisibilis ista in plures unitates numericas realiter inter se distinctis, quibus consistit. His prænotatis.

SIT I. CONCLUSIO: materia primæ omnium corporum cælestium, & sublunarium sunt eiusdem speciei atomæ. Ita Scotus expressè in 2. dist. 14. quæst. 1. num. 2. §. respondeo, alia videtur, vers. Quod si dicatur, & in 4. dist. 11. quæst. 3. §. de secundo articulo, num. 20. vers. Si autem intelligat. Est contra Thomistas, quoad materias cælestiū, & sublunarium, si inter se cõparentur. Quod materia omnium corruptibilium sit eiusdè speciei in omnibus, manifestè constat ex mutua trãsmutatione earum ad invicè, vel mediata, vel immediata; quia si in omnibus materia non esset eiusdem speciei, & rationis, non

posset fieri trãsmutationes, taliter quod in eadem numero materia reciperetur hæc, & illa, & illa species formæ, quod evenire quotidie experimur. Quia enim materia in omnibus his corporibus est eiusdem rationis, idè potest recipere hanc, & illam formam.

Cæterum, quod materia prima cælestium corporum à sublunarium materia specie, non distinguatur, prob. hac Scoti ratione allegati in 2. paulò infra: nullius corporis cælestis forma cõplet, & satiat totum materiæ appetitum intensivè, & extensivè: ergo appetit formas sublunarium materia cælestium: ergo est eiusdem rationis cum ista. Ultima consequ. sequitur; quia si appetit easdem formas, nequit non esse eiusdem rationis. Prima etiam deducitur; quia idè materia dum est cum vna forma adhuc appetit alias, quia illa, quam habet non satiat extensivè illius appetitum. Mai. prob. vt aliqua forma satiet totaliter extensivè appetitum materiæ, debet continere virtualiter simpliciter actum contrarium, ex quo privatur materia per talem formam de novo advenientem, vt manet dictum suprã loquendo de appetitu innato materiæ ad formas; sed nulla forma cælestis continet virtualiter simpliciter formas sublunares, v. g. animam rationalem, quæ est actus contrarius, quo for-

ma cœlestis privat suam materiam : ergo nulla forma cœlestis complet, & satiatur totaliter extensivè materiam, quam informat. Min. etiam constat ex dictis suprâ de continentia virtuali propria, & simpliciter; quia nulla forma cœlestis habet munera, quæ formæ sublunares, præcipuè viventes, & singulariter quæ anima rationalis, ut intelligere v.g.

Confirmatur: forma cœlestis non præstat materiam, quam informat perfectiones formarum sublunarium: ergo datur in illa privatio harum formarum; sed privatio est in subiecto capaci: ergo est capax illarum, sicuti sublunarium materia: ergo est eiusdem rationis cum ista.

Respondebis, materiam cœlestem non posse dici privatam his formis sublunariis, etiam si illas non habeat, neque det ei perfectiones illarum forma, quam habet; quia non est capax illarum; unde carentia talium formarum in materia cœlesti solū erit simplex negatio, & non privatio.

Contra: quia hæc est manifesta petitio principij. Hoc enim est, quod ratio intendit probare, & tu respondes per id, quod queritur. Si enim illa materia est corporea, cur non est capax harum formarum sublunarium, quæ etiam sunt corporeæ? Et si dicas, hoc obstare; quia non sunt ei proportionata; ostende in quo

stet hæc improportio: & quidquid dicas, non difficilè impugnabitur.

Confirmatur: quia etiam si in cœlo non sint accidentia contraria, ratione quorum forma illius corrumpi possit, & ipsius materia disponi ad aliam ab agente naturali; hoc non provenit (inquit Subtilis Doctor) ex incapacitate materiæ; quia adhuc sibi convenit illa potentia ad contrarium, & Cœlum ex natura sua est simpliciter corruptibile, ut videbimus in suo loco, sed carentia contrarij provenit ex conditione formæ, quæ in tantum dominatur illi materiæ, ut non possit ab aliquo alio alterari, recipiendo peregrinas impressiones, & per consequens, nec corrumpi: ergo &c.

Respondere solent aliqui, materiam sublunarium differre specie à materia cœlestium, non quia recipiant formas alterius conditionis, & speciei, sed quia illas recipiunt sub diversa ratione informandi: nam formæ cœlestes informant inseparabiliter, & sublunares separabiliter.

Sed hæc solutio nullius est fundamenti; quia, ut ait Scotus allegatus; hæc necessaria connectio, sive inseparabilitas formæ cœlestis à sua materia, nullatenus provenit ex parte materiæ; quia ista quatenus est ex se separabiliter, & contingenter recipit formam, veluti potentia contradi-

tionis respectu formæ, ex 9. Met. 17. & capax cuiuscumque alterius formæ, alias non reciperet formam, vt per se potentia, & consequenter, nec faceret vnum per se, quæ dici nequeunt.

Deindè contra: quia si diuersitas hæc informandi, nempe separabiliter, & inseparabiliter, concluderet distinctionem specificam materiarum, materiæ corporum cælestium inter se non distinguerentur specie, quod negant contrarij; quia eodem modo inseparabiliter respiciunt suas formas: ergo separabilitas, & inseparabilitas non concludant vnitatem, nec diuersitatem specificam materiarum.

Vltimò prob. conclus. materia prima tam cælestis, quam sublunaris est pura potentia, ita vt nihil aliud sit, quam pura potentia; sed pura potentiæ, quatenus nihil aliud est, quam pura potentia, nulla formæ repugnat, neque dicit necessariam connexionem cum aliqua: ergo omnes sunt eiusdem speciei.

Si respondeant, quod materia prima cælestis habet aliquid, ratione cuius connectitur cum sua forma, & repugnat esse cum alia: ergo iam non est pura potentia, sed aliquid aliud, & consequenter materia cælorum non erit materia prima; quia ista, per vos, est pura potentia: ergo in corporibus cælestibus non erit materia prima, quod negatis.

Denique probatur ex illo, quod dicemus in tract. de Cælo, scilicet corpora cælestia non esse incorruptibilia ab intrinseco, ac per consequens illorum materiam non vniri suæ formæ inseparabiliter, vt defendunt; quo enervatur totum Thomistarum fundamentum.

SIT 2. CONCLUSIO: repugnat materia prima alterius speciei ab ista, quæ de facto datur. Est conformis Scoto allegato pro prima cõclusionem, contra Recentiores Thomistam, & Suatistam. Prob. conclus. non est possibilis materia prima, quæ non sit materia prima: ergo non est possibilis materia prima alterius speciei. Prob. consequ. quod est plus, quam materia prima, non est materia prima; sed quidquid speciei sit distinctum à materia prima, quæ de facto datur, debet esse plus, quam materia prima: ergo nõ est materia prima. Prob. mai. illud quod solum est materia prima, est id, cui non repugnat recipere quamlibet formam substantialem: ergo cui repugnet aliquam recipere plus erit quam materia prima. Antec. est certum, quia nulli formæ repugnat materia prima ex præcisa ratione materiæ primæ, alias cuiuslibet repugnaret, cum nulla sit possibilis, quæ non habeat rationem materiæ primæ. Conseq. etiam patet; quia si materiæ primæ ex ratione materiæ primæ nulla re-

pugnat forma, cui aliqua repugnet, aliquid erit præter rationem materiae primæ: ergo erit plus, quàm materia prima: ergo non est possibilis materia prima, quæ solum sit materia prima alterius speciei ab ista, quæ de facto datur.

SIT 3. CONCLUSIO: materia prima cuiuslibet compositi substantialis est vna, numericè unitate numerali integrali, siue divisibili, & distincta numero à materijs aliorum. Ita Scotus adductus in 4. pro prima conclusione. Prob. conclus. dum ex hoc ligno v. g. generatur forma ignis, recipitur in materia, quæ erat huius ligni, & materia præfati ligni est quæ transmutatur de forma ligni ad formam ignis, & non generatur talis forma in materia alterius ligni, nec in alicuius alterius compositi materia, nec transmutatur materia alicuius alterius compositi: ergo materia huius ligni est distincta numero ab omnium aliorum materijs.

Secundò prob. quia si omnia composita substantialia constarent eadem numero materia, non posset Deus annihilare vnum, quin annihilaret omnia; sed hoc nequit dici: ergo distinguuntur numero. Prob. mai. annihilatio est destructio totius rei, taliter quod nihil eius remaneat, neque materia prima, aliàs corruptio quælibet esset annihila-

tio, cum corrupti solum materia prima remaneat; sed si eadem numero materia esset in omnibus compositis, non posset Deus destruere vnum, non destructis alijs, quin remaneret destructi materia prima, vt ex se constat. ergo neque posset Deus vnum annihilare, quin annihilaret omnia.

RESPONDETUR ARGUMENTIS
contra prædictas conclusiones.

SIT primum argumētum contra primam conclusionem: secundum Philos. licet in genito, & corrupto sit eadem numero materia, non tamen eadem specie: ergo &c.

Resp. loqui Philosophum de specie extrinseca, siue distincta à materia, nempe de specie compositi resultantis ex materia, & forma; non de specie intrinseca, seu de essentia ipsius materiae secundum se. Et patet, quia implicat distinctio specifica aliquorum, quin numero etiam distinguantur. Sensus ergo Philosophi est, quod licet materia geniti, & corrupti sit eadem numero, constituit diversas species cum distinctis formis. Vel quod non obest unitas numerica materiae ad distinctas species compositorum, cum distinctis specie formis.

Sit 2. argum. Philosophus. 12. Met. 27. ait, quod sicut principia

ta sunt alia, ita & eorum per se principia, & hoc secundum genus, speciem, & numerum: ergo materiae compositorum specie distinctorum, specie distinguuntur inter se.

Resp. dictum Philos. debere intelligi iuxta sensum aristoteli 2. Phys. 26. ubi ait, aliam formam, aliam esse materiam: his igitur in locis non loquitur de materia prima, sed secunda, hoc est, de materia, ut affecta certis dispositionibus, & proximè disposita ad certam formam; & materiae reduplicativè, ut sic disposita, utique est alia ad aliam specie formam, & ut sic, cum materiae constituantur per dispositiones ad formas, & ad distinctas formas specie, distinctæ requirantur dispositiones, non solum numero, & specie, sed etiam genere proximo, hinc est, quod ad distinctas specie formas dantur distinctæ materiae, non primæ, sed secundæ genere (proximo scilicet) specie, & numero.

Sit 3. argum. Philos. 8. Met. text. 2. ait: *In aliquibus calis, vel non esse materiam, vel non esse talem, qualis in rebus caducis reperitur.* Et 1. de Generat. cap. 6. ait: *Ea, quæ mutuo agere, & pati non possunt, non habere eandem materiam; sed corpora sublunaria nullam habent actionem in corpus cœlestes: ergo horum, & illorum materiae distinguuntur specie.*

Resp. 1. ad has, & similes Phi-

los. autoritates, quod Philosophus lapsus est in errorem, affirmans cœlum esse incorruptibile, & ab æterno ex se necessarium: & sic nihil mirum, quod vel cœlis non concedat materiam; vel si concedit, asserat esse alterius rationis, ac materiae corruptibilem, creatæ in tempore, & contingentes.

Resp. 2. propter tanti Magistræ autoritatem, sicuti ad argumentum præcedens, videlicet quod Philos. ibi non loquitur de materia cœli secundum se; sed de illa, prout qualitatibus cœlestibus est affecta, vel informatæ; & sic non de materia prima, sed secunda, ut dicebamus in præcedentis argumenti solutione. In quo sensu verum est, quod distinguitur specie à sublunari, sicuti sublunares inter se, non ratione sui, sed ratione formæ cœlestis, ex eo quod talis forma non habeat qualitates ad corruptionem disponentes, neque illarum sit capax.

Sit 4. argum. non solum forma, sed etiam materia concurrit, & pertinet ad essentialem constitutionem, compositi: ergo si composita distinguuntur specie, etiam & illorum materiae.

Confirmatur: materia transit de vno composito ad aliud; sed quod est de essentia vnius rei, non potest transire ad esse essentia alterius rei essentialiter distinctæ: ergo materia in compositis.

in his specie distinctis non est eiusdem speciei.

Resp. ad argum. dist. ant. concurrat, tanquam pars materialis, & indifferens ad plures species conc. tanquam pars formalis, determinata, & determinativa indifferens, neg. & neg. consequ. Per quod patet ad confirmationem; quia materia prima est pars, licet essentialis, indifferens, & indeterminata ex se ad hanc, & illam speciem compositi, non solum materia eiusdem rationis potest constituere, sive componere plura specie composita (ut evenit in compositis metaphysicis distinctis specie, quorum pars materialis, & indifferens est eiusdem rationis, ut in homine, & bruto, v. g.) verum eadem numero potest successivè distincta specie composita componere, & constituere, ut evenit quotidie in transmutatione substantiali, ubi eadem numero materia est corrupti, & geniti. Quæ ratio non solum non est contra nos, verum favet nobis, ut vidimus supra.

Sit 5. argum. forma est, quæ dat speciem rei, cui advenit: ergo formæ specie diversæ diversum esse specificum tribuunt materia.

Resp. dist. antec. forma est, quæ dat esse specificum rei, cui advenit, tanquam toti ex illa, & materia resultanti, conc. tanquam comparti, cum qua constituit totum, subdist. dat esse specificum intrinsecum, nego, extrinsecum,

conc. & dist. similiter consequ. ergo diversæ specie formæ diversum esse specificum præstant materiæ intrinsecum, neg. extrinsecum, conc. Licet enim formæ specie diversæ uniantur materiæ, ac per consequens habeant extra, solum per unionem diversas illas species formarum, tamen materia intrinsecè, & per identitatem semper servat sua prædicata essentialia, ac perinde suam speciem, & essentiam intrinsecam. Compositis namque solummodo sunt, quibus formæ specie distinctæ dant diversum esse specificum, ut ex se patet.

Sit 6. argum. potentiæ distinguuntur specie, quando actus, quos recipiunt, distinguuntur specie; sed formæ, quæ sunt actus materiæ, quæ respectu illarum est potentia, distinguuntur specie: ergo etiam materiæ debent specie distingui.

Resp. dist. mai. si taliter respiciant, quod neutra respiciat actus, quos respicit alia, conc. si ambæ, vel omnes respiciant eodem actus distinctos specie, nego, conc. min. & neg. consequ. Qualibet materia una, & eadem numero respicit omnes formas; quia omnes appetit, ut vidimus supra: ac per consequens omnes sunt eiusdem rationis, & speciei.

Sit 7. argum. materia cælestis in amissibiliter subijcitur suis formis, & sublunaris amissibiliter: ergo hæc distincta subijcibi-

litas materiarum, supponit esse distinctæ rationis tales materias.

Resp. dist. antec. ex parte sui, neg. ex parte agentis extrinseci non potentis corrumpere formas cœlestes, subdist. ex parte agentis naturalis, conc. ex parte agentis supernaturalis, & primi, neg. & etiam consequentiam. Materia namque cœlestis ex se, & ex natura sua potuit esse cum forma sublunari, & ista cum forma cœlesti. Imò de facto potest Deus de potentia absoluta destruere formas substantiales, & accidentales cœlestes, & producere in illa sublunares, vt videbimus in suo loco: vnde solum naturaliter sunt in amissibiliter unitæ, eo quod non datur causa secunda potens corrumpere tales formas.

Sit 8. argum. contra 2. conclusionem: possibilis est materia sublunaris receptiva diversarum formarum, ac est quæ de facto datur ergo distincta specie. Prob. antec. materia sublunaris, quæ de facto datur, solum est receptiva formarum naturaliter possibilem; sed est possibilis materia sublunaris, quæ capax sit aliarum formarum supernaturaliter possibilem: ergo &c.

Resp. neg. antec. ad cuius probationem, neg. mai. Cuiuslibet formæ substantialis. possibilem, num naturaliter, num supernaturaliter solum producibilis, est receptiva materia prima, quæ de facto datur; quia nulla est possi-

bilis forma, cui opponatur, cum ex se solum sit potentia receptiva, cui nulla potest opponi forma.

Sit 9. argum. contra 3. conclusionem: Philosophus 1. Phys. 60. ait, esse vnum numero subiectum transmutationis, quod manet sub vtroque termino; sed subiectum est materia prima: ergo est vna numero in omnibus.

Resp. conc. mai. & min. & nego. consequ. Non negamus, quod subiectum, siue materia eadem numero sit sub vtroque termino, scilicet à quo, & ad quem transmutationis successivè, & nihil aliud dicit Philof. allegatus: ex quo nullatenus infertur conclusio, quam deducunt contra nos.

Sit 10. argum. si materia omni forma expoliarentur, fierent vna numero materia: ergo ex se non habent distinctionem numericam.

Resp. dist. antec. si manerent inter se discontinuata, neg. si manerent unitæ, subdist. fierent vna unitate numerali, essentiali, siue indivisibili, neg. integrali, siue divisibili, conc. & nego. consequ. Easdem unitates numericas retinerent, etiam si vnirentur inter se; quia identificantur realiter cum illis; sed tamen cum essent inter se unitæ integraliter, fieret ex omnibus illis vna numero integralis materia: sicut tota aqua vasis dicitur vna numero integraliter, licet constet pluribus.

bus guttis aquæ, quarum qualibet est numero distincta ab alijs.

Sit II. argum. quod est terminus creationis, est vnum numero; sed materia est terminus creationis: ergo.

Resp. neg. antec. Anima rationalis est terminus creationis, & est multiplex numero. Imò ista, & materia sunt termini creationis, & non solum numero, verum specie distinguuntur etiam.

DISPUTATIO III.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

ALIVD principium intrinsicum compositi substantialis, nõ solum in fieri, & vt est mutatio, imò & in facto esse, vt vidimus disp. I. sect. 2. restat modo examinare, videlicet formam; cum ergo sit posterior natura materiæ, postquam de ista in præcedenti, in præsentis dist. pertractamus.

SECTIO I.

AN DETVR, ET QVIB SIT
substantialis forma?

FORMAM physicam substantialem ignorarunt quã plerimi antiqui Philosophi, quos sæpè reprehendit Arist. Istum sequuntur iam communiter Doctores: & meritò qui formam

substantialem negaret, deberet pariter negare materiã substantialem, seu primam, & consequenter compositum physicum substantiale, quæ omnia sunt principia per se nota, quæ negans in sua ignorantia derelinqui debet.

Supposito ergò composito substantiali, facitè dari formam substantialem probatur; cum hoc ex materia, & substantiali forma componi debeat.

Deindè, supposita etiam materia prima, arguitur sic: dantur diversa composita substantialia, vt leo, & equus v. g. sed hæc specifica diversitas nequit à materia provenire, cum ista sit eiusdem rationis in omnibus, vt probatum manet præcedenti disp. sect. 10. ergo datur in illis aliquid, præter materiam, à quo talis proveniat diversitas; sed hoc est forma substantialis cuiuslibet: ergo ista datur.

Vterius prob. ab aliquo debet provenire, quod aliqua composita connaturaliter petant accidentia distincta, sicuti ignis v. g. calorem, & aqua frigiditatem; sed non à materia ob rationem dictam: ergo à forma.

Denique prob. si non darentur formæ substantiales, generabiles, & corruptibiles, non darentur generationes, & corruptiones substantiales; quia materia prima neque generatur, neque corrumpitur.

Et

Et si ad omnia hæc respondeas, quod illud à nobis dictum *forma substantialis*, est accidens in quolibet composito distinctum; & ratione cuius omnia dicta conveniunt materia, & compositis substantialibus.

Ultra reducere diff. ad quæst. de nomine: sanè potius, siue proprius diceretur compositum accidentale, quàm substantiale: consequenterque tam accidentale esset leo, quàm album, quæ omnia absurda sunt. Contra; quia est clara differentia, quam assignavimus iam in Prædicam. inter substantiam, & accidens. Denique, quia saltem anima rationalis est forma substantialis, vt fide constat: ergo immeritò negatur ista alijs compositis substantialibus.

Philos. 2. Phys. text. 28. sic describit formam: *Forma est quod quid erat esse rei*, quæ sic debet intelligi: forma est id, quo res ex ipsa constituta intelligitur esse in certa, ac determinata specie rerum; nam per formam sunt res *quid*, & *hoc aliquid*, ex 2. de Anima text. 2. Quare forma rectè dicitur, *quod quid erat esse rei*, id est, quæ dat rei essentiam, (sumit rem pro re completa, & composita ex illa; quia non composita, & si sint completa, non habent formam physicam substantialem, quæ det eis esse) & quidditatem, id est,

non sola; quia etiam dat materia, sed principaliori, & eminentiori modo, quàm materia: & quia, licèt essentia compositi, siue totius habeatur etiam à materia, à forma solummodò consequitur, quod sit istius essentia, & quidditatis; quia ex hac specie formæ, nequit fieri compositum nisi huius etiam speciei; & ab hac specie, & numero materia potest fieri compositum cuiuscumque quidditatis, & speciei; quia valet hæc eadem materia quamlibet formam recipere, & cum ipsa componere, ac constituere quodlibet specie compositum; vt rectè explicat Subtilis Doctor in 3. dist. 22. quæst. vnic. per totam, & probat, specialiter ex Magno Aug. 13. de Civit. cap. vlt. cuius verba affert Scotus quæst. dicta nu. 4. §. & vers. *Contra ista primò*, en verba: *Hoc* (inquit D. Aug.) *verum est, quod non totus homo, sed pars melior anima est, nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis.*

IVXTA QUÆ poterit sic aptè definiri substantialis forma: *Substantia incompleta formaliter determinans materiam ad constituendum potius in hac specie, quàm alia compositi substantialis.* Quod explicetur rectè per hanc definitionem, siue descriptionem forma substantialis, satis constat ex ipsa, & dictis antecedenti vers. & de materia prima disp.

antecedenti: igitur si attentè examinetur, inuenietur omni, & soli formæ substantiali convenire.

SECTIO II.

*QUOMODO FORMÆ EDUCTIVÆ
sunt in materia?*

ANTE difficultatis resolutionem nonnulla hic disputari solent, videlicet quænam sit, & in quo actio eductiva consistat? Et etiam quæ res possint educi, & quibus educi repugnet? Sed quia præfata difficultates potius ad Theologiam, quam ad Philosophiâ spectant: & iam de ipsis in Theologia sufficientissimè pertractatum manet, de eis in præsentia ex professo non disputamus. Quapropter sine controversia expendimus breviter quidquid circa hoc tenendam sit, & vel probatum iam reliquimus, vel probandam veniet in locis infra allegandis.

Sciendum igitur est primò, quod causa efficiens, quæcumque sit, non producit effectum media actione, nec influxu aliquo, neque quovis alio mediante inter absolutum causæ, & absolutum effectus, nec absolute, nec respectivo, per quod dicitur causam producere effectum, & quod consequenter sit priùs natura ipso effecti; sed ab absolute causæ immediatè se-

quitur absolutum effectus: & in sequenti instanti naturæ resultat in absolute causæ, si capax sit ista relatio dependentiæ activæ ad effectum, & hic respectus dicitur actio productiva, quæ absolute causæ denominatur producens: & similiter in entitate absolute effectus resultat correlatio dependentiæ passivæ ad causam, & hic respectus dicitur actio passiva, sive passio; quia est forma, quæ entitas absolute effectus denominatur dependens, & producta à causa. Hoc cuncti Scotistæ firmiter debent tenere, vsque dum in 2. lib. Phys. propugnemus: & si quis modò optaret videre, inueniet resolutionem in Theolog. tract. de Scientia Dei, disp. 3. sect. 4. à vers. dico secundò, & tract. de Volunt. disp. 4. sect. 3. subsect. 8.

Vadè actio, prout ad præsens attinet, nihil est aliud, quam fieri ipsius rei, sive ipsa res in fieri, seu prout egreditur à sua causa, quod videri potest tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1. vers. Sed contra hoc stat.

Sciendum est secundò, quod illa formæ producitur per educationem, quæ ex vi productionis, id est, ipsius formæ in fieri, vel ex vi fieri ipsius rei recipitur in subiecto: ex quo infero, illam solummodò formam recipi ex vi suæ productionis, sive ex vi fieri ipsius formæ, cuius causa productiva, in ipso facere for.

formæ (quod idem est ac fieri formæ) dependet à materia, dependentia, quæ dicitur necessaria indigentia.

Ex quibus omnibus inferitur evidenter, quod omnes illæ formæ, quæ non possunt produci à causa secunda, nisi à solo Deo, nullatenus possunt educi, sive produci per educationem; quia in *producere* nequit dependere à materia. Ob hanc rationem, nulla forma, quæ à solo Deo producitur, etiamsi non repugnet ei produci à causa secunda, producitur per educationem. Inferitur similiter, quod omnes formæ, quæ à causa secunda valent produci, possunt etiam produci per educationem; quia causæ secundæ non repugnat dependere quoad *producere* à materia. Imò quia repugnat ei sine tali dependentia producere, omnis forma, quæ à causa secunda producitur, producitur per educationem: ideòque consequenter erit dicendum, nullam creaturam, adhuc supernaturaliter posse creare, ut defendimus in tract. de Creatione, disp. 2. sect. 3. per totam, & sect. 4. In eodemmet tract. disp. 2. sect. 1. extant prædicta ad longum, non solum clarè explanata, sed solidè fundata, ac validissimè propugnata. Circa tituli quæsitum.

SIT CONCLUSIO: formæ educibiles non sunt in materia actualiter, neque secundum se

totas, neque secundum partem. Conclusionem hanc firmat Scotus ex professo in 2. dist. 18. quæst. vnic. Prob. prima pars concl. forma educita producitur per educationem; sed si ante educationem esset iam actualiter secundum se totam in materia, nõ produceretur per educationem: ergo &c. Prob. min. quod est iam actualiter in rerum natura, iam est productum: ergo si ante educationem esset iam forma actualiter in materia, iam esset ante educationem producta: ergo non produceretur per educationem; quia quod iam est productum, nequit saltem naturaliter iterum produci.

Si respondeant, quod licet per educationem non producat forma, producitur vnio formæ cum materia, quod sufficit, ut educio sit productio.

Contra 1. quia vnio non est forma compositi: ergo educio non erit productio formæ, nisi vnionis: ergo forma non erit producta per educationem: ergo per creationem, quod dici nequit.

Contra 2. quia vnio est relatio extrinsecus adueniens, ut infra videbimus; atqui relationes nõ producuntur, sed resultant: ergo vnio non producitur per educationem.

Contra 3. dato, quod vnio producat, etiam producitur per educationem, quia non creatur:

tur: ergo præexistebat actualiter in materia, vel non: si primum: ergo falsum est, quod producitur per educationem, sicuti manet dictam de forma: ergo nihil producitur per educationem, quod nullus dicet. Si secundum: ergo sicuti vnio educitur, quin actualiter præcontineatur, sive præexistat in materia, etiam poterit educi forma: ergo non præcontinetur actualiter. Nulla est maior ratio vnus, quam alterius.

Prob. 2. concl. si forma esset actualiter in materia ante educationem, iam esset illi vnita, illamque informaret: ergo iam esset compositum substantiale, antequam ab agente naturali generaretur. Et deinde, cum omnes formæ possibles educibiles eodem modo contineantur in materia ante educationem illarum, darentur ex qualibet materia actualiter, & simul tot composita substantialia, quot dantur formæ possibles educi, & sic homo esset leo, equus, &c. ignis, aqua, aer, &c. quod dici nequit.

Prob. 3. vtraque pars conclusionis: materia per generationem, sive educationem transit de non esse formæ ad esse formæ, sive de privatione formæ ad formam: ergo forma ante generationem nec secundum se totam, neque secundum aliquid sui, sive essentiam, sive existentiam, præcedit in materia. Prob. conseq.

privatio, & forma se totis opponuntur contradictoriè, tam secundum essentiam, quam existentiam; sed contradictoriè opposita sunt impossibilia in eadem materia: ergo forma ante generationem, neque secundum se totam; neque secundum aliquid sui, sive essentiam, sive existentiam præcedit in materia, siquidem præcedit privatio formæ in illa.

Augetur instantia: quia non solum forma, & privatio sunt impossibiles in eadem materia, sed etiam formæ ipsæ, saltem naturaliter, sunt impossibiles in eodem subiecto, taliter quod non compatiuntur, nec secundum se totas, neque secundum aliquas sui partes, neque secundum esse essentiam, neque existentiam; quia essentiam ipsam formarum sunt quæ repugnant sibi invicem; & in qualibet parte formæ, istius essentia includitur: ergo &c.

Si respondeant, quod forma, & privatio, & etiam formæ ipsæ sunt ad invicem impossibiles secundum esse perfectum, & completum; non verò secundum esse imperfectum, & incompletum, quomodo sunt formæ in materia ante generationem.

Contra primò, forma substantialis est simplex, non habens partes, seu gradus intensiōis, secundum quas modo dicatur incompleta, & imperfecta, mo-

dò perfecta, & completa: ergo nulla est solutio.

Contra secundò: quia etiam si secundum gradus individuales susciperet magis, & minus, adhuc tamen secundum específicos consistit in indivisibili; sed penès hos præsertim sunt incòpossibiles: ergo si præcederent, ante generationem, præcederent vt sunt impossibiles, scilicèt non secundum esse imperfectum, & incompletum secundum gradus específicos, quod repugnat.

Contra tertio: quia privatio formæ opponitur contradictoriè cum forma, adhuc in gradu remisso: ergo &c. Antec. patet in albedine, quæ quantumvis remissa sit in subiecto, istud non manet privatum albedine.

Prob. 4. conclus. quoad secundam partem ex Scoto refellens adversariorum fundamentum: ratio etenim eorum est (asserit Subtilis Doctor allegatus num. 4. §. & vers. *Contra primum motivum*) quod si ante educationem formæ, ista non præcederet in materia secundum aliquam partem sui, forma per generationem crearetur; quia fieret ex nihilo, quod est falsum. Arguo sic dictum fundamentum refellens: si vt forma educeretur, requireretur, quod aliqua pars illius præexisteret in materia, maximè quia, quod educitur, non debet fieri ex nihilo;

sed vt non fiat ex nihilo, vt ad educationem exigitur, non requiritur, quod fiat ex aliquo ipsius formæ, nisi quod non fiat ex subiecto, à quo ex vi suæ productionis dependeat: ergo ad hoc non requiritur, quod præexistat in materia aliquid formæ. Prob. min. pars illa formæ, quæ, per vos, præcessit in materia, etiam esteducta, quia tota forma esteducta; sed non fuit producta ex aliquo sui, alias de illo alio arguo similiter vsque in infinitum: ergo vt aliquid educatur, sive vt non producat de nihilo, modo quo requiritur ad educationem, non requiritur, quod fiat ex aliquo ipsius formæ, nisi quod non fiat ex subiecto, à quo ex vi suæ productionis dependeat.

Deindè arguitur ex illorum fundamento: illa pars formæ, quæ de novo producitur, distinguitur à parte, quæ præcedit; quia idem nequit præcedere, & non præcedere: ergo quæ de novo producitur, non producitur ex aliquo sui; atqui, per vos, idèò forma non esseteducta, sed creata, si non præcessisset in materia aliquid ipsius formæ, quia non produceretur ex aliquo sui: ergo illa pars formæ, quæ de novo producitur, non educeretur, sed crearetur: ergo forma in generatione non educeretur, sed crearetur, quod dici nequit.

Si autem respòdeant ad hoc, quod,

quod, vt ne tota forma dicatur ex nihilo producta, seu facta, sufficit, quod aliqua pars eius præcesserit in materia. Solutio hæc non saluat, quod saltem pars illa, quæ de novo producit, non creetur, vt manet probatum.

SATISFIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum: D. Aug. 3. de Trinit. cap. 3. ait, omnium, quæ nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere: ergo secundum D. Aug. latet forma in materia prima ante ipsius productionem.

Resp. D. Aug. solum velle, vel quod latent virtutes productivæ, & dispositiones; non verò ipsæ formæ, neque ipsarum partes; quia istæ non sunt semina illorum, quæ nascuntur. Vel vult, loquendo de his, quæ per propagationem naturalem generantur, vt sunt viventia, quod illorum latent semina; quia facile in quo stet virtus seminis nos non possumus cognoscere, præsertim illorum viventium, quæ exputrefactione nascuntur.

Sit 2. argum. Arist. 7. Met. 29. asserit, quod in materia est aliqua pars rei faciendæ: ergo ex Philos. præexistunt formæ in materia quoad aliquam partem ipsarum.

Confirmatur: quia, vt ait Philos. ex quolibet non fit quodli-

bet, sed ex determinato subiecto determinata res: ergo quia in subiecto præcedit aliqua pars formæ faciendæ.

Resp. ad argum. Scotum pro re faciendâ intelligere hic compositum, cuius verum est, quod in materia est aliqua pars, nempe in materia, sumpta pro tota materia vniversi, est aliqua pars, scilicet aliqua pars materia, quæ est pars compositi, quod quidem est res faciendâ.

Ad confirmationem resp. similiter, quod ex quolibet, scilicet principio, num sit materia, num forma, non fit quodlibet compositum; sed ex determinato subiecto determinata res, id est, ex hoc numero subiecto, siue ex hac numero materia hoc numero compositum. Et idem est de alio principio, nempe de forma. Imò si in sensu aduersariorum intelligeretur, vna numero materia, solum præcontineret vnâ numero formam, & sic non esset potens recipere omnes successivè, quatenus est ex se, quod non dicent.

Sit 3. argum. si in materia nõ præexisteret aliquid formæ, ista fieret ex nihilo; ergo crearetur.

Resp. dist. antec. fieret ex nihilo sui, conc. ex nihilo absolute, neg. & etiam conseq. fit namque ex materia, seu subiecto præexistente, & ideo non fit per creationem.

RESTAT, quod formæ educibiles

biles contineantur virtualiter in materia. Quod docet Scotus ubi conclusionem prædictam statuit, idemque firmat 1. Phys. quæst. 24. num. 4. verſ. *Quinta conditio*, & num. 5. verſ. *Nunc ponuntur conclusiones*. Circa hoc ſolum advertere oportet, quod continentia virtualis in materia non eſt activa, nec alia niſi paſſiva, quatenus ſcilicet materia eſt ſubjectum, in quo formæ educibiles, dum ab agente naturali producantur, recipiuntur ex vi productionis in materia, nec aliter poteſt agens naturale illas producere, niſi ut dependens in ipſo producere à materia, modo quo expendimus, & probavimus in Theolog. Tract. de Creatione, ubi ſuprà.

SECTIO III.

UTRUM FORMA SUBSTANTIALIS poſſit exiſtere ſine materia.

NON eſt ſermo de anima rationali, cum hæc revera exiſtat de factò à materia ſeparata ut fides tenet; & ratio proculdubio eſt, quia anima rationalis non eſt educibilis à materia, utpote improducibilis ab agente creato, neque à materia dependet, tanquam à ſubjecto, nec aliqua alia dependentia. Quod videri poteſt tract. de Creatione diſp. & ſect. adducta pro antecedenti ſect.

DE ALIIS FORMIS ſubſtantialibus experientia conſtat, ſecundum communem naturæ curſum non poſſe exiſtere abſque materia in qua recipiantur, ſivè ſeparatè ab illa, hocque probatione non indiget. Cuius ratio eſt, quia forma materialis quoad produci, & conſervari ab agente naturali dependet à materia, & ipſummet agens naturale etiam quoad producere, & conſervare formam, ut diximus ubi ſuprà, & docet Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 2. §. *tenentes autem*, num. 21. verſ. *Ad illud primi*.

SIT CONCLUSIO: ſupernaturaliter poteſt forma ſubſtantialis materialis produci, & conſervari ſeparata à materia. Eſt iuxta Scoti doctrinam in 2. diſt. 12. quæſt. 2. à num. 3. §. *reſpondeo ad quæſtionem*. Prob. 1. de factò conſervantur ſupernaturaliter accidentia ſine ſubjecto in Euchariſtiæ SS. Sacramento; ſed non dependet magis à materia forma ſubſtantialis, quam accidens à ſubjecto: ergo etiam illa poterit divinitus produci, & conſervari ſine materia.

Prob. 2. à priori: poteſt Deus ſe ſolo producere, & conſervare formam: ergo & iſta produci, & conſervari ſine materia. Antec. eſt certum, quia Deus poteſt ſe ſolo producere quidquid medijs cauſis ſecundis valet. Conſeq. prob. eo ipſo quod Deus ſolus producat, & conſervet formam,

pro:

producit, & conservat sine indigentia materiæ, aliàs esset imperfectio, vt docuimus tract. de Creatione vbi suprâ, quæ quidè repugnat Deo: ergo produceret illam, & conservaret, si vellet, separatam à materia, aliàs iam indigeret illa.

Sit primum argumentum: impossibile est, formam materialem per quâcumque potentiam fieri immaterialem, & spiritualem; sed talis evaderet forma materialis, eo ipso, quod à materia separaretur: ergo.

Resp. ex Scoto allegato conc. mai. & neg. min. quia sicuti quantitas est forma eiusdem naturæ, quando est in subiecto, & quando est separata: sic etiam se haberent substantiales formæ, ac per consequens semper essent materiales.

Sit 2. arg. ex Philos. 2. Phys. 20. afferente, quod forma physica se habet ad materiam, vt similitas ad nasum; sed impossibile est, similitatem poni extra nasum: ergo & formam extra materiam.

Resp. ex Scoto in 2. dist. 1. quæst. 1. §. quantum ad 3. art. num. 21. vers. Ex hoc videtur, & in 4. dist. 12. quæst. 1. §. ad argumenta principalia, num. 26. vers. Respondeo, ista deductio, quod apud Philos. idem est naturaliter impossibile, ac Deo impossibile; quia ipse ponit ordinem causarum simpliciter necessarium, & quod

prima causa non potest causare causatum secundæ causæ sine ea; & sic cum materia sit causa secundæ materialis aliquam habens causalitatem respectu formæ materialis, consequenter negaret Philos. posse formam existere sine materia.

Sit 3. arg. si forma existeret separata à materia, foret actus, & non actus; sed hoc est contradictio: ergo. Prob. mai. foret actus quia essentialiter est actus, & per hoc definitur, vt patet de anima; non foret, quia in tali casu nihil actuaret: ergo &c.

Resp. dist. mai. foret, & non foret actus sub eadem ratione, neg. sub diversis, conc. quomodo non datur contradictio. Ad probationem mai. dicimus, quod foret actus aptitudinaliter, & hæc aptitudo est de eius essentia, cum per ipsam definiatur; non verò foret actus actualiter actuans, sive informans subiectum, quod de facto evenit in accidentibus Eucharistiæ.

SECTIO IV.

VTR. DVÆ FORMÆ SUBSTANTIALES POSSINT ESSE SIMUL IN EADEM NUMERO MATERIA?

DIFFICULTAS procedit, nõ solum naturaliter, sive de potentia ordinaria, sed etiam supernè, sive de potentia absoluta Dei. Vt autem in utroque sensu

si resolvyatur, noto differentias substantiales alias esse subordinatas, & nō subordinatas alias. Differentiæ subordinatæ sunt illæ, quarum vna aliam præsupponit, & illa indiget necessario in materia, tãquam dispositione necessariã ad informandum materiam, & compositum substantiale constituendum. V.g. forma corporeitatis, (quam dari propugnabimus in lib. de Gener. aut Anima) & forma sentientis, vt anima rationalis, & alię, quę necessario requiritur in materia, vt dispositio, sine qua nequit informari ab anima rationali, & consequenter neque constitui homo ex materia, & anima rationali. Formæ non subordinatæ sunt illæ, quarum vna alia non indiget, tanquam dispositione prævia materiæ, nec aliter, ad materiam informandũ, compositumque substantiale cum illa constituendum: imò regulariter loquendo, & quatenus est ex ipsarum naturis se expellunt ad invicem, vel saltem quia dispositiones oppositas præexigunt in materia: v.g. forma leonis, & forma equi, & aliæ huiusmodi. De istis igitur non subordinatis est difficultas; nã de subordinatis experiētia constat, posse esse simul in eadem numero materia naturaliter, imò subordinatam non posse esse, & informare materiam absque subordinante.

SIT I. CONCLUSIO: non re-

pugnat naturaliter, quod duæ formæ substantiales non subordinatæ ex ratione præcisa ipsarum formarum, sint & informant eandem numero materiam. Est conformis Scoto quest. 36. Prædicam. num. 23. vers. *Iuxta primam*. Vbi vna ex proprietatibus qualitatis ait ex Philof. est *habere contrarium*, hoc est, ratione ipsius qualitatis, & non ratione alterius. Cōtrarietas namque debet intelligi, quatenus contraria ad invicem se expellunt ab eodem subiecto, & hoc ex præcisa ratione, sive essentia eorum: deindè vna ex proprietatibus substantiæ etiam ex Philof. est *non habere contrarium*: ergo si duæ formę substantiales ex præcisa ratione, & essentia ipsarum ad invicem se expellerent ab eodem subiecto, essent contraria: ergo iam substantia haberet contrarium: ergo hæc non esset proprietas qualitatis, siquidem conveniret substantiæ: neque *non habere contrarium* esset proprietas substantiæ, cū vna forma esset cōtrariū alterius, sicuti albedo nigredinis, v.g. quæ sunt contra Scotam, & Philof. ergo iuxta illos dici debet, non repugnare naturaliter, quod duæ formæ substantiales non subordinatæ ex ratione, & essentia præcisa earum sint, & informant eandem numero materiam.

Hoc namque modo debet intelligi, quod *non habere contra-*

rum est quarta proprietas substantiæ, ut convenit etiam formæ substantiali; nam ut expendimus in Met. disp. 2. sect. 4. vers. *Quarta proprietas*, sumitur non habere contrarium tam ratione sui, quam ratione alterius; & hoc modo non convenit omni substantiæ, siquidem duæ formæ substantiales sunt substantiæ, & licet ratione ipsarum non sint incompatibiles in eodem subiecto; tamen incompatibiles sunt ratione aliorum, ut citò videbimus saltèm naturaliter: ac per consequens non erit proprietas substantiæ, ut sic, ut diximus ubi supra: neque habere contrarium erit proprietas solius qualitatis, ut adnotavimus etiam ibidem disp. 5. sect. 3. vers. *Neque debet sumi.*

Secundò constat conclus. ex Scoto in 4. dist. 11. quæst. 3. §. *quidquid sit de opin. omnibus*, num. 12. vers. *Si etiam daretur secundum.* Vbi docet, non includere contradictionem manere aliam formam cum corpore Christi D. ob quod tenet posse de potentia Dei absoluta existere formam corporis Christi D. & aliam formam in eadem materia: ergo quia tales formæ substantiales non sunt impossibiles ratione ipsarum, aliàs Deus non posset producere unam, quin expelleret aliam, sicuti non potest introducere in eodem subiecto calorem extremum, quin expel-

lat frigiditatem v. g. quia istæ formæ ratione ipsarum sunt contrariæ.

Nec valet, si dicas, quod forma corporis Christi D. est forma corporeitatis, quæ non est forma completa, sed est forma, cui subordinatur alia, & de his non est quæst. Quia licet hoc sit verum; tamen formæ corporeitatis corpus Christi D. constituenti, non quævis forma subordinatur, nisi anima rationalis solùm: ergo respectu cuiuslibet alterius, idem est quoad nostrum intentum, ac si esset ultimata.

Etiã colligitur ex eadem quæst. §. *secunda ratio*, num. 44. vers. *Si autem quæras*, ubi cum Philos. ait, nos distinguere formas substantiales ab accidentalibus à posteriori per hoc, quod substantiales non habent contrarium, & illo gaudent accidentales: ergo una forma substantialis iuxta Scotum non est contraria alteri: ergo ratione ipsarum non repugnant naturaliter duæ in eadem numero materia, sed ratione alicuius alterius.

Conclusio prob. 1. à priori ex illa proprietate substantiæ, scilicet non habere contrarium, ut manet dictum: ergo si ex sua ratione non sunt contrariæ duæ formæ, neque ex sua ratione repugnabit illis naturaliter esse simul in eadem numero materia, aliàs iam ex sua ratione forent contrariæ.

Prob.

Prob. 2. à posteriori: de facto dantur multoties naturaliter duæ formæ substantiales non subordinatæ in eadem materia, vt videbimus infra: ergo ex ratione formæ substantialis vltimatæ nulli repugnat esse simul in eadem materia cum alia.

SIT. 2. CONCLUSIO: non repugnat supernaturaliter duas formas substantiales esse simul in eadem materia, non solum quatenus est ex ratione formarum, vt in prima conclusione, sed absolutè quatenus est ex ratione cuiuscumque extrinsecè impediētis. Est Doctoris allegati, & pluribus alijs in locis. Prob. 1. concl. ratione deducta ex doctrina Scoti, quā tradidimus loquēdo de appetitu innato materiæ primæ ad formas, quæ est huiusmodi: quotiescumque aliquod subiectū habet potentiam, siue appetitū ad plures formas, non satiatur talis capacitas, & appetitus totaliter extensivè per vnicam formam, nisi talis forma sit ita perfecta, quod omnes alias contineat virtualiter simpliciter, vt explicat vbi supra; sed in materia datur capacitas, & appetitus innatus ad omnes formas substantiales: ergo non satiatur materia totaliter extensivè per vnam formam; quia nulla continet virtualiter simpliciter omnes alias, vt satis ex se patet: ergo poterit Deus ponere illas in materia; quia Deo

solum repugnat efficere, quod manifestam includit contradictionem.

Prob. 2. non datur repugnantia ex parte materiæ, neque ex parte formæ: ergo. Prob. antec. ex parte materiæ datur capacitas, & appetitus innatus identificatus realiter cum materia, vt manet fusè probatum disp. 3. ergo per vnam formam non auferitur à materia capacitas, & appetitus ad recipiendas alias: ergo ex parte materiæ non datur repugnantia. Quod neque ex parte formæ repugnet, prob. quia, vt extat propugnatum substantiæ nihil est contrarium: ergo nulla forma substantialis est alteri incompossibilis ratione sui, nisi ratione formarum accidentalium, & dispositionum, quas forma prærequirit in materia. Nunc sic; atqui Deus potest facere quidquid ex se non repugnat: ergo &c.

Si respondeas, quod licet non repugnet ex parte formarum ratione ipsarum, repugnat ex parte formarum accidentalium, & dispositionum requisitarum in materia; sed vt non possit fieri adhuc supernaturaliter, sufficit quod repugnet vndeque repugnantia proveniat: ergo nostrum argum. nihil probat.

Contra, quia illa, quæ taliter non repugnant, quod ex eius positione non sequitur contradictio, licet repugnet agenti natura-

turali, eo quod in ipso non datur sufficiens virtus ad tollendum obex, vel illud vincendum, nõ repugnant Deo; quia in isto datur virtus ad omnia, præter contradictionem, eo quod infinita, aliàs nihil posset Deus, nisi quæ agentia naturalia possunt, quod est hæreticum: ergo cum non sit contradictio duas formas simul informare eandem materiam, sive materiam recipere illas, etiam si non habeat omnes dispositiones, vel quod sint in ea dispositiones ad utrasque, poterunt per divinam potentiam eandem numero materiam simul informare.

Prob. 3. non minùs repugnat duo corpora quanta compenetrari, vt sint in eodem loco, quã duæ formæ substantiales vt sint in eadem materia; sed primum potest supernaturaliter fieri à Deo, vt constat fide, eo quod nõ sit contradictio: ergo & secundum. Et ratio est, nam vnã formam expellere aliã à materia, & à loco vnã quantitatem aliã, est effectus secundarius earum, quem Deus impedire potest contra ipsarum exigentiam.

SIT 3. CONCLUSIO: aliqua formæ dantur, quæ naturaliter possunt existere simul, & informare eandem numero materiam. Est conformis Scoto allegato pro conclusionibus præcedentibus, & in 3. dist. 8. quæst. 1. *§. hic dicitur à num. 6. vers. Contra*

istam rationem. Et specialiter in 4. dist. 11. quæst. 3. §. ad quartum dico à num. 56. vers. Ad formam ergo. Et dist. 12. quæst. 3. à num. 23. §. ad secundum dico. In his locis docet Scotus, quod illa forma introducitur in materia ab agente, in qua producuntur, vel ab ipso producente formam, vel ab alio, illæ dispositiones, & qualitates, quæ sunt ultimæ ad talem formam: & similiter, quod illa corrumpitur, cuius dispositiones, & qualitates ultimo disponetes materiã ad illã destruuntur, nõ ab ipso corrupete formam, num ab alio: ergo iuxta Scotum, si datur agens naturale, productivum vitimarum dispositionum ad aliquam formam, quin statim destruat dispositiones ultimas ad formam præexistentem in materia, ab hoc agente produceretur forma ad quam disponit, & non corrumpetur præexistens, in quo casu existent ambæ in eadem materia: quod ergo hoc non solum possit verum de facto eveniat, statim probabimus. Nostram cõclusionem docet etiam Seraph. D. S. Bonaventura lib. 2. dist. 13. art. 2. q. 2.

Prob. concl. ratione iam adducta ex Subt. Mag. possunt dari, imò de facto dantur dispositiones consimiles, vel saltem nõ contrariæ diversarum formarum: ergo in tali casu forma, quæ introducitur, non expellit aliã: ergo naturaliter existunt ambæ.

Confirmatur: agens naturale non est per se, & immediatè corruptivum formæ substantialis, nisi productivum illius; & in tantum est destructivum, in quantum est productivum dispositionum, quæ sunt tales ad formam, quam intendit producere, & oppositæ dispositionibus, sine quibus nequit naturaliter existere forma, quæ corrumpitur: ergo quando forma præexistens habet, & exigit dispositiones tales, quæ sufficiunt ad ipsam, & sunt compatibles, cum illis, quas exigit, & sufficiunt ad formam, quæ producitur: agens producet suam formam, & non corrumpet præexistentem: ergo tunc existent ambæ simul in eadem numero materia. Quod ergo hoc sic eveniat, docet experientia in ferro ignito, in cuius materia simul dantur formæ substantiales ferri, & ignis, & etiam in alijs, ut in lapide, & carbone ignis, &c. quod prob. in ferro ignito datur effectus ignis, scilicet comburere, & producere ignem: ergo datur forma ignis; atqui etiam datur forma ferri, siquidem ista remanet, destructa forma ignis, & nõ est agens naturale potens tam instantaneè producere formam ferri: ergo &c.

Respondet, quod illæ duæ formæ ferri scilicet, & ignis (& idem senties de alijs in exemplis allatis) non sunt in eadem

parte materiæ, sed in diversis, quarum qualibet pars est numero distincta ab alia, & sic nõquam manent simul in eadem numero materia illæ formæ.

Contra 1. quia licet partes integrantes ad in vicem distinguantur numero, ut unitæ cõstituunt vnã numero materiam; sed partes ferri igniti sunt inter se unitæ: ergo licet dictæ formæ existant in diversis partibus, sunt in eadem numero materia, & non in distinctis. Prob. conseq. estò partes materiæ hominis, & equi v. g. sint numero distinctæ inter se, quia sunt inter se unitæ, & sit in omnibus anima, sive forma substantialis illorum, non dicitur, vnã formam substantialem naturaliter esse simul in pluribus materijs numero distinctis, nisi in vna numero materia: ergo similiter in nostro casu, non dicitur quod illæ duæ formæ sunt in diversis numero materijs, nisi in vna, licet sint in distinctis numero partibus, quia illæ partes sunt inter se unitæ.

Contra secundo, quia si in aliquibus partibus non esset forma ignis, maximè in illis, quæ extant sub prima superficie; sed hoc est falsum, ut docet experientia; nam fracto ferro, etiam partes interiores apparent ignite, & comburunt, & producant ignem, sicuti superficiales: quod patet etiam in carbone, vitro, & metallo liquafacto ignitis: ergo

in eisdem partibus materiae, in quibus est forma ferri, est simul etiam ignis forma.

Alteri respondent, quod in ferro (idem tenent de alijs) sunt pori, in quibus est aer, & quod dum ferrum applicatur igni, introducit forma ignis in materia aeris, qui est in poris, & expellitur forma aeris ab illa, quae materia non est vnita, & continua materiae ferri, sed approximata, & contigua solū; & sic iam sunt numero distinctae.

Sed hoc certè non est verisimile; primò, quia non est facile suadere, quod in re tam densa, vt est ferrum, sint tot pori, vt sufficiant ad hoc, vt totum ferrum ita appareat ignitum, vt nulla pars ferri non ignita appareat: ergo libere profertur, quod forma ignis non est in materia, in qua est forma ferri, nisi in aeris materia, qui est in poris solummodo.

Secundò, quia, cum ignis sine pabulo nequeat conservari, & aer, vel sit materia, quae instantèe corrumpitur ab igne, vel non est pabulum ipsius, aliàs ignis flamma egrediens à ligno, nunquam corrumpitur; quia vsque ad spheram semper inueniret aerem comburendum, si ignis in nostro casu solum esset in porijs, nullatenus permanere per aliquod spacium temporis posset, sed in instanti evanesceret, sicut ignis flamma, cu-

ius contrariū docet experientia.

Deindè valet probari conclusio, quia potest dari monstrum aliquod habens duo pectora, & duo capita: ergo tunc duae animae occuparent eisdem pedes, manus, & alia membra: ergo &c.

S O L V V N T V R A R G V M E N T A
contra praedictas conclusiones.

SIT primum argumentū contra primam conclusionem: per nos, ratione distinctarum dispositionum, quas formae distinctae petunt in materia, nequeunt duae formae distinctae naturaliter esse in materia; sed formae substantiales diversae rationis ratione sui petunt distinctas dispositiones in materia: ergo ratione sui sunt incompossibiles. Mai. & min. sunt certae, & sequitur conseq.

Resp. dist. mai. ratione distinctarum dispositionum praecise, neg. ratione huius, & quia agens naturale nequit producere dispositiones ad novam formam, & conservare in materia dispositiones ad formam praecedentem, neque formam sine suis dispositionibus, conc. etiā min. & neg. conseq. Licet formae diversae rationis petant connaturaliter diversas dispositiones in materia, cum ipse ex se non sint contrariae, vt habetur ex Philos. & Scoto, si agens naturale posset conservare in materia dis-

po-

positiones formæ præhabita, & introducere in illa dispositiones ad formam producendam, tunc introduceret formam in materia, sine destructione præhabita: & etiam si posset istâ conservare sine ipsius dispositionibus cōnaturalibus: ergo quatenus est ex ratione ipsarum formarum non repugnat; sed quia agens naturale nequit vnum ex dictis: & quia Deus potest supernaturaliter, Deo absolute non repugnat.

Sit 2. argum. contra secundam conclus. repugnat, quod eadem entitas sit de essentia duarum specierum; sed si duæ formæ distinctæ essent in eadem numero materia, ex ista, & illis fierent species distinctæ: ergo repugnât ambæ in eadem materia.

Resp. dist. mai. repugnat, quod eadem entitas sit de essentia distinctarum specierum, tanquam pars materialis, neg. tanquã pars formalis, conc. etiam min. & neg. conseq. Ratio est, quia composita non diversificantur specie ratione materiæ, sed ratione formæ, aliàs nulla composita physica distinguerentur specie, cum materia sit eiusdem speciei in omnibus. Imò ex materia vnus compositi repugnaret fieri compositum alterius speciei, adhuc successivè, quod esse falsum quotidie experimur.

Instabis: talia composita non distinguerentur numero: ergo darentur cōposita distincta spe-

cie, & numero indistincta, quod repugnare est per se notum. Prob. antec. haberent eandem numero materiam; sed individuatio compositi, vel sumitur à materia sola, vel saltem ab ista, & forma: ergo vnica esset individuatio illorum cōpositorum: ergo non distinguerentur numero.

Resp. neg. antec. Ad probationem conc. mai. & ad min. dico, quod individuatio compositi sumitur à materia, & forma, & neg. vtramque conseq. Quia cum individuatio cōpositi sumatur, tam à materia, quàm à forma, cuiuslibet illarum distinctio numerica sufficit, vt composita numero evadant distincta. Quod patet, quia aliàs adhuc composita distincta specie, quæ fiunt successivè ex eadem numero materia, esset distincta specie, & numero indistincta, quod nos dicimus, tu proferes, vel debes dicere, non esse inconveniens quod instas.

Sit 3. argum. si duæ formæ substantiales distinctæ, v. g. formæ leonis, & equi, darentur in eadem numero materia, essent veræ hæ prædicationes, *equus est leo, leo est equus*; sed hoc repugnat: ergo & quod duæ formæ sint in eadem numero materia. Prob. mai. quia albedo, & dulcedo sunt in eodem numero subiecto, v. g. in lacte, sunt veræ istæ prædicationes, *album est*

dulce, dulce est album: ergo similiter illæ.

Resp. neg. mai. Ad ipsius probationem conc. antec. & neg. conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia prædicationes primæ sunt substantivæ, in quibus prædicantur naturæ, tanquam per se stantes connotando suas individuaciones; & cum distincta natura distinctam individuacionem connotet, fit vt non sint veræ dictæ prædicationes; at in alijs prædicationibus, cum sint accidentales, significatur forma per modum alteri adiacentis, connotando, non suas individuaciones; quia si hoc, iam non essent veræ tales prædicationes; sed connotando subiectum, cui adiacent: & cum adiaceant eidem subiecto, scilicet lacti, fit, vt valeant tales prædicationes. Et ratio à priori est, quia ex forma substantiali, & materia fit vnum per se; & ex accidentali, & subiecto vnum per accidens.

Sit 4. argum. quod advenit materiæ iam actuatæ est accidens: ergo materiæ forma substantiali informatæ, nequit advenire alia substantialis: ergo nequit duas simul habere.

Resp. neg. antec. vt diximus de forma ignis adveniente materiæ actuatæ forma ferri v. g. Neque ex hoc inferas, quod forma adveniens materiæ iam actuatæ non est actus primus compo-

siti physici; nam illius compositi, cuius est actus, non est actus forma præhabita, sed alterius, vt manet dictum supra.

Et si inles: ergo saltem non est actus primus materiæ, quod dici nequit. Et patet; quia prius habita est actus primus materiæ, & duo actus primi repugnant.

Resp. neg. antec. Ad cuius probationem conc. quod prius habita est actus primus, & neg. quod duo actus primi repugnant. Forma enim non dicitur actus primus, quia prius tempore, vel natura recipiatur in materia, alias dispositiones præviæ, quæ quidem sunt accidentia dicerentur actus primi, & forma substantialis secundus; sed dicitur actus primus, quia est per se actus, scilicet quia est forma, quæ per se est ordinata cum materia, quæ etiam est per se potentia, ad constituendum vnum per se, & non per accidens; nam quæ ad hoc ordinatur, licet prius tempore, & natura recipiatur, vt dispositio prævia est actus secundus: vnde actus primus, & secundus dicuntur tales, quatenus primario, & secundario intenduntur à natura: hinc est, quod licet in materia dentur plures formæ substantiales, cum istæ, præterquam quod nullum dicunt ordinem inter se, sint primò intentæ à natura; nam totum substantiale est quod in suis generationibus primario intenditur

dicitur à natura, vnaquæque est actus primus, & sic non repugnant simul in materia plures actus primi, sicuti neque repugnant plures actus secundi, cum simul deatur plures formæ accidentales.

Sit 5. argum. nequit terminari, adhuc divinitus vna natura à duplici subsistentia: ergo neque vna materia à duplici forma informari.

Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est; quia si loquatur de subsistentia creata, cum ista consistat in duplici negatione dependentiæ, & communicationis, vt diximus in Met. tract. 4. disp. 3. sect. 3. eo quod alteri subsistentiæ communicetur, iam tollitur ab illa negatio actualis dependentiæ ab alio, ac per consequens propria subsistentiæ; si verò loquatur de subsistentiis personalibus Divinis, quæ in positivo consistunt, quæ vnitur naturæ creatæ, vt reddat illam subsistentem, nihil aliud facit, quam reddere illam actum independentem ab alio, illique incommunicatam; quod si ponerentur duæ, nulla redderet naturam independentem ab alio, neque illi incommunicatam, siquidem communicata esset, & dependens, ac per consequens per nullam subsisteret; at verò formæ effectus formalis non est reddere materiam incommunicabilem, neque

incommunicatam alteri, maxime cum nulla expleat omnem appetitum innatum illius extensivè, quia nulla datur continens omnes alias virtualiter simpliciter, vt manet probatum disp. præcedenti; sed effectus formalis formæ est informare materiam, & cum illa vnum per se substantiale constituere, quod vnaquæque potest facere cum materia, licet simul sint plures; quia ad hoc datur in materia capacitas, & hoc neque est, neque ex illo sequitur contradictio.

Sit 6. arg. dantur formæ, quæ essentialiter petunt organa specificè distincta, vt anima rationalis v. g. & forma leonis: ergo istæ nequeunt esse simul in materia: ergo nullæ. Prob. antec. subiectum immediatum talium formarum non est materia prima, sed corpus organicum: ergo nequit recipi forma exigens corpus organicum, nisi in illo, quod habet organizationem, quam ipsa petit; atqui duplex organizatio repugnat eidem corpori, & eidem numero materiæ: ergo & duplex forma exigens duplicem organizationem.

Confirmatur primò: distincta essentialiter susceptiva, distincta essentialiter suscepta petunt; sed corpus organicum humanum, & leoninum distinguuntur essentialiter: ergo essentialiter pe-

tunt formas essentialiter distinctas, nempe humanam, & leoninam: ergo nequeunt ambæ esse in vno: ergo neque in eadem numero materia simul.

Confirmatur 2. in subiecto, quod non est capax animæ rationalis, non potest ista introduci; sed corpus organicum leoninum non est capax animæ rationalis: ergo ista nequit recipi in corpore leonino, & neque forma leonis in corpore humano ob eandem rationem: ergo repugnant ambæ in eadem materia. Prob. prima consequ. eadem impossibilitas datur ad hoc, quod anima rationalis introducatur in materia nuda, ex eo quod anima non est actus materiæ, sed corporis organici, ac datur ad hoc, quod anima rationalis introducatur in corpore organico leonis, & è contra, ex eo quod talis anima non sit actus talis corporis organici; sed primum non admittitur à Scoto in 4. dist. 11. quæst. 3. num. 29. §. *contra secundum*, vers. *Contra tertium additum*, his verbis: *Hoc videtur inconueniens, quia tale compositum non videretur esse homo, cum non haberet illud, quod est de essentia hominis, nec etiam non homo, quia haberet illud, quo formaliter homo est homo.*

Resp. 1. ad argum. conc. antec. & consequ. Non enim dicit conclusio, quod quælibet forma potest concurrere cum quælibet

ad informandum eandem numero materiam; sed solum dicimus, non repugnare diuinitus duas formas simul esse in eadem numero materia, non verò asserimus, quod est potens quælibet cum quælibet, sed hæc, vel illa cum alia, vel alia: quia licet ex ratione præcisa, illarum non repugnet, adhuc naturaliter, vt sint simul, vt tenet prima conclusio. & si in aliquibus repugnat, est ratione alicuius alterius extrinseci, nempe dispositionum requisitarum in materia: sicuti datur formæ ad quas requiruntur tales dispositiones in materia, quæ compatiuntur simul naturaliter, & sic tales formæ possunt naturaliter esse simul, vt dicit 3. conclusio; & aliæ, quarum dispositiones, non compatiuntur naturaliter, ob quod istæ nequeunt naturaliter esse: sic similiter possunt dari tales formæ tales dispositiones requirentes in materia, quæ supernaturaliter possint compati, vel possint suppleri, ponendo formam contra eius exigentiam, vt accidens sine subiecto v. g. (& de istis dicimus posse supernaturaliter simul esse in eadem materia) & possunt dari tales, quæ exigant tales dispositiones, quod neque supernaturaliter possint compati, neque suppleri contra exigentiam, v. g. organizatio, vel vna organizatio cum alia, de his debet dici, si ita sit, quod neque supernaturaliter possint

possunt esse simul. Et per hoc patet ad primam, & secundam confirmationem, iuxta solutionem datam.

Resp. 2. ad argum. conc. antec. & neg. conseq. Quia Deus potest de potentia absoluta operari contra exigentias rerum, ut patet in quantitate, quæ exigit essentialiter non penetrari cum alia, & supernaturaliter contra exigentiam suam penetrari potest.

Iuxta solutionem istam resp. ad primam confirmationem conc. mai. min. & primam conseq. & dist. 2. consequens: ergo nequeunt ambz, scilicet, forme esse in vno, nempe susceptivo, naturaliter, & iuxta exigentiam earum, & susceptivi, conc. supernaturaliter, & contra exigentiam eorum, neg. & similiter dist. tertium conseq. Quod liquet in exemplo adducto quantitatis.

Et per hoc patet ad secundam confirmationem; quia licet non detur exigentia in susceptivo, potest dari capacitas; & quamvis detur exigentia ad oppositum, contra istam potest operari Deus de potentia absoluta. Ad verba Scoti, sequendo præfatam solutionem, dicimus, Doctorem Subtilem, non asserere esse inconveniens, sed videri inconveniens: neque ait absolute, compositum ex materia nuda, scilicet sine forma corporeitatis, esse hominem, & non hominem,

hoc namque est contradictio, sed neque videri hominem, neque non hominem, quod verum est, ut dicit Doctor; at verò videretur homo, quia haberet formam physicam hominis, sed revera non esset homo, quia ista non sufficit, ut patet in anima separata: & videretur non homo, & revera esset non homo; quia non haberet aliquid essentialiter hominis, nempe formam corporeitatis. Et si Roges, quid esset? Dico, esset compositum substantiale, cui non est impositum nomen, ut fortè de facto sunt quam plurima, quibus nomen non est impositum; & ad minus certissimè dantur nonnulla, quorum nomina ignoramus.

Sed instabis: si duæ animæ v. g. hominis, & leonis essent in eadem materia, essent in illa duo volentes, & duo potentes ambulare, & alia huiusmodi. Deinde, posset unus velle ambulare, & alius non velle. Vterius, unus non posset sine alio ambulare: quid igitur in tali casu est dicendum, quin sequantur quam plurimæ contradictiones?

Resp. conc. totum, & ad interrogationem dico, quod vel illi essent æqualis vis, vel non: si æqualis, non ambularent; quia ad invicem se impedirent: si inæqualis, & maioris vis non vellet ambulare, similiter non ambularent, quia maioris vis impediret

dicet alium; si verò maioris vis vellet ambulare, ambularet ambo, quia iste vinceret, & faceret alium ambulare, licet coactè, & veluti trahens illum, sicuti si homo esset equo alligatus, & equus vellet ambulare.

Adhuc instas: ergo in tali casu non posset vulnerari leo, quin vulneraretur & homo: neque interfici leo, quin interficeretur & homo.

Resp. conc. primam partem consequentis; quia cum vulnus fiat in corpore, & amborum unicum sit tantum corpus, quolibet vulnere vulnerarentur ambo. Ad secundam partem respond. quod cum mors sit solutio animæ à corpore, & amborum animæ, vel saltem animæ unius conferveretur à Deo supernaturaliter unita, posset Deus velle nullam amplius conservare, & si hoc, perirent ambo; & posset conservare unam, & non aliam, & si hoc, periret unus, & viveret alius. Loquendo verò naturaliter dicimus, quod si causa secunda destruens unionem unius esset destructiva alterius, si interficeretur unus, etiam & alius; si verò non, posset interfici unus, alio non interfecto.

Sit 7. arg. formæ eiusdem rationis nequeunt informare eandem numero materiam: ergo neque formæ diversæ rationis. Prob. antec. 1. quia vna esset superflua. 2. quia ex Scoto nequit

idem effectus simul provenire à duplici causa totali: ergo neque duæ formæ totales simul informare eandem materiam: ergo.

Resp. 1. conc. antec. & neg. consequ. quia in formis diversæ rationis non vrgent instantiæ dictæ; quia qualibet daret distinctum speciem effectum formalem: ac per consequens, nulla esset superflua. Deindè, quia non repugnat Deo facere superflua, nisi contradictoria: ex quo potest etiam concedi de formis accidentalibus; licet vna non daret effectum formalem subiecto.

Resp. 2. neg. antec. & etiam quod altera esset superflua; quia ex illa, & materia, resultaret distinctum numero compositum substantiale, v. g. si esset anima rationalis, distinctus numero homo; & non est superfluum, quod dentur plures homines, v. g. numero distincti. Ex his patet ad secundam probationem antecedentis; quia effectus propriè formæ physicæ est totum, & sic iam essent duo effectus, & nõ vnus à duabus formis, vnde ad 2. probat. conc. antec. & neg. consequ.

Sit 8. arg. nequit vna materia habere formam viventis, & cadavericam simul: ergo neque duas formas substantiales.

Resp. neg. suppositum antecedentis, scilicet quod forma cadaverica, vt talis sit forma. Ista namque dicit formam corporeitæ

reïtatis (quæ cum forma viventis naturaliter compatitur) & privationem formæ viventis prius habitæ; & nihil mirum, quod non possint esse simul, adhuc divinitus, forma, & eius privatio; at verò vna forma non est privatio alterius, sed quid positivum.

Sit 9. arg. vna quantitas nequit habere, adhuc divinitus, duplicem figuram, videlicet rotundam, & quadratam: ergo neque vnica materia duplicem formam.

Resp. neg. antec. quia cum possit quantitas esse induplici loco, potest Deus illarum partium quantitaris rotundæ multiplicare præsentiam ad illa spacia loci correspondentia ad figuram quadratam: & sic vna & eadem quantitas secundum vnâ partium præsentiam habebit figuram rotundam, & secundum aliam ipsarum partium præsentiam habebit quadratam.

Sit 10. arg. Scotus in 2. dist. 15. quæst. vnic. num. 5. §. dico ergo, vers. Item mixtum generatur; habet hæc: Undè sicut impossibile est, quando ex aqua fit ignis, materiam perfici simul forma aquæ, & forma ignis: ita in proposito: ergo ex Scoto impossibile est simul esse in eadem materia duas formas substantiales; atqui neque supernaturaliter potest fieri quod est impossibile: ergo.

Resp. Scotum ibi probare, ele-

menta non manere formaliter in mixto, quæ difficultas non procedit ibi de potentia Dei absoluta, sed naturaliter: & ait, quod sicut est impossibile, quod quando in generatione, sive productione naturali ignis ex aqua, istorum formæ simul remaneant in materia: ita est impossibile remanere in materia mixti, quod vt certum habemus; quia materia mixti eiusdem rationis est, ac materia aquæ, & etiam formæ aquæ, & ignis semper sunt eiusdem rationis: ergo si est impossibile quod naturaliter remaneant ambae in materia aquæ, etiam erit impossibile, quod naturaliter remaneant ambae in materia mixti. Alia dicit in eadem quæst. & §. quæ videntur conclusioni nostræ adversari; sed nequiquam contraria sunt; quia hic loquitur naturaliter, & de potentia ordinaria, & difficultas præfens procedit de potentia absoluta, & supernaturali.

Sit 11. arg. etiam ex Scoto in 4. dist. 10. quæst. 2. §. ad rationes per me oppositas, num. 22. vers. Dico tamen aliter, vbi sic ait: Dico tamen aliter, quod si idem ponatur esse in duobus locis, non sequitur, quod eadem materia duabus formis informetur simul substantialibus; atqui ex Scoto idem corpus potest supernaturaliter esse simul in diversis locis, vt videbimus infra: ergo iuxta Scotum adhuc

supernaturaliter : non poterant
duæ formæ substantiales esse in
eadem materia.

Resp. Ex his Scoti verbis ni-
hil sequi contra nos. Quod evi-
denter patet : quia in quæst. al-
legata disputat Subtilis Do-
ctor, an idem corpus possit es-
se localiter in diversis locis?
Et resolvit, posse supernaturali-
ter : & postquam proponit con-
tra se argumenta D. Thomæ, &
Henrici, num. 4. §. *ego etiam ap-
pono*, ipsemet Doctor arguit con-
tra suam conclusionem quinque
argumentis, quorum secundum
est, quod si posset idem corpus
esse supernaturaliter in duobus
locis, duæ formæ substantiales
naturaliter essent in eadem ma-
teria. Et probat sequelam ; quia
si poneretur idem alimentum in
duobus locis, posset comedi à
duobus animalibus, & sic quod-
libet converteret tale alimentum
in sui substantiam : ac per conse-
quens eadem materia, quæ erat
sub forma alimenti, maneret
informata duabus formis sub-
stantialibus dictorum anima-
lium. Cui argumento duplicem
tribuit solutionem Scotus, §. &
num. contra nos allegatis : pri-
mam, *vers. Ad secundum dico*, ubi
concedit, quod in dicto casu in-
formaretur duplici forma sub-
stantiali prefatorum animalium
illa eadem materia, quæ præces-
sit sub forma alimenti ; sed hoc,
ait Scotus, non esset naturaliter,

nisi supernaturaliter, neque per
novum miraculum, nisi per pri-
mum, scilicet per illud, per quod
alimentum positum fuit in duo-
bus locis. Littera textus est fa-
tis clara : ergo hic concedit Sco-
tus nostram conclusionem. Se-
cundam solutionem tribuit *vers.*
præallegato, dico tamen aliter : in
hunc modum, videlicet, quod
ex tali casu non sequitur quod
arguitur de duabus formis, &
vers. sequenti dat rationem,
quam donabimus infra, dum
expendamus utrum idem cor-
pus possit esse simul in duplici
loco : ergo in hac quæst. nõ con-
tra nos, sed pro nobis stat Sco-
tus.

SECTIO V.

*VTRUM EADEM FORMA
possit esse Divinitus in dua-
bus materijs.*

NON est difficultas de pluri-
bus materijs partialibus,
sive inadequatis inter se unitis ;
nam certum est, quod sic unitæ
constituunt vnam adequatam
materiam, sive vnum adequatum
perfectibile vnius numero for-
mæ : & ita de facto naturaliter in
animantibus vna eadem nume-
ro anima informat plures ma-
terias inadequatas, & partiales,
scilicet carnem, ossa, nervos, &c.
Difficultas igitur est de mate-
rijs, quarum quælibet est adæ-
qua-

quata respectu vnus formæ, seu animæ.

SIT CONCLUSIO : eadem numero substantialis forma nequit, adhuc divinitus simul plures numero materias informare. Conclusio hæc colligitur ex Scoto in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *ostensis igitur*, num. 25. vers. *Primam viam* (vt ostendam in ipsius probatione) & clarius num. 26. vers. *Ultima probabilitas*, & num. 30. §. *Ostense proposito*, vers. *Huius enthymematis*, & duobus sequentibus, & in 2. dist. 3. quæst. 10. §. *alia opinio dicit*, nu. 7. vers. *Probo igitur primo*, & in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *hic dicitur*, num. 4. vers. *Contra hoc obijcitur*. Et vers. *Contra istud obijcitur*. Denique in eodem lib. dist. 14. quæst. 2. vers. ultimo, expressissimè docet nostram conclus. sic scribens: *Infinitas extensiva ad aliqua, vt ad formas recipiendas, non concludit infinitam euitatem receptivi: sicut patet de materia, si esset receptiva infinitarum formarum: imò magis concludit imperfectionem. Sed infinitas extensiva ad aliqua, vt ad effectus simul causabiles, concludit infinitatem intensivam, eo quod talis pluralitas concludit maiorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit: non ita de receptivo: ergo si eadem forma posset se extendere ad plures simul informandas materias, cum non sit, vt receptivum, nisi vt dans, sive causans perfectionem, concludere-*

retur in illa, vt ait Scotus, infinitas intensiva; atqui hoc repugnat adhuc divinitus: ergo & quod vna forma plures simul informet materias.

Prob. igitur conclus. principijs de sumptis ex locis Scoti allegatis. Arguo sic: si eadem forma posset simul plures informare materias, posset & infinitas; sed hoc implicat: ergo & illud. Mai. est certa; quia non est maior ratio, dato quod non limitetur ad vnâ, vt possit tres, vel quatuor, vel quinque, &c. informare, & non plures, & infinitas, quod docet Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. allegatus, vers. *Contra hoc*, sic ait loquendo de natura respectu personalitatis: (quod ad propositionem nostram idem est) *qua ratione posset esse in duabus personis, pari ratione et in infinitis*. Nunc autem, prob. min. si vna forma posset infinitas materias informare, esset infinite perfecta; sed hoc creaturæ repugnat, cum sit solius Dei: ergo & quod infinitas materias informet. Min. est certa. Mai. probat Scotus immediatè adductus, num. 26. vers. *Ultima probabilitas*, & §. *ostense proposito*, num. 30. à vers. *Huius enthymematis*, & sequenti, & in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *hic dicitur*, num. 4. vers. *Contra hoc obijcitur*, & dist. 14. quæst. 2. vers. ultimo, & probat hac ratione: vbi cumque ad plura requiritur maior virtus, seu perfectio, quàm ad

ad pauca, ibi ad infinita numero distincta requiritur infinita virtus, seu perfectio; atqui forma substantialis requirit maiorem virtutem, & perfectionem ad simul informandum duas, vel plures materias, quam ad vnam solum: ergo ad simul infinitas informandum requirit perfectionem infinitam. Mai. satis ex se patet, quia si ad duo requiritur maior virtus, quam ad vnam, & ad tria maior, quam ad duo, & sic de alijs, ad infinita requiritur virtus infinita. Min. prob. etiam à Scoto 1. hoc exemplo: posse ferre decem maiorem virtutem requirit virtutis motivæ, quam posse ferre quinque: ac per consequens posse ferre infinita, virtutem infinitam: ergo similiter in nostro casu, 2. prob. min. quia anima rationalis est perfectior forma materiali, potest simul informare omnes partes corporis organici, quod non potest forma materialis, nisi vna pars vni parti, & alia alteri, &c. ergo posse simul informare plures materias, arguit maiorem perfectionem formæ: ergo posse infinitas, arguit infinitam, 3. probat Scotus ex Philos. eandem min. in 1. allegatus, vers. *Vltima probabilitas*, his verbis: *Vltima probabilitas, quæ occurrit pro consequentia Arist. declaranda, est ista, quia quid potest in aliqua multa simul ita perfectè, sicut in quodlibet eorum jecorsum, quorum*

quodlibet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud concluditur esse perfectius ex pluralitate talium, &c. atqui quælibet materia requirit aliquam perfectionem in forma, vt informetur ab ea: ergo posse formam plures simul informare materias maiorem perfectionem arguit in illa, quam posse minus, vel vnam solum.

Confirmatur: continens virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones, vel non tot, quin plures, est formaliter infinitum; sed si daretur anima v.g. quæ simul informare posset infinita corpora, seu non tot, quin plura, virtualiter, vel eminenter, contineret perfectiones infinitas, sive non tot, quin plures: ergo &c. Mai. est certa. Min. prob. 1. quia contineret eminenter perfectiones infinitarum animarum: ergo contineret infinitas perfectiones. Prob. antec. quia forma suam materiam adequatam informans, & simul alteram natam informari per aliam formam, iam suppleret vicem illius alterius formæ: ergo si posset informare plures, & plures materias in infinitum, iam posset supplere vices infinitarum: ergo contineret eminenter infinitas perfectiones infinitarum formarum.

Prob. 2. illa min. scilicet quod si daretur anima, quæ simul informare posset infinita corpora con-

contineret virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones. Arguo sic: forma est causa intrinseca totius per se substantialis, v. g. anima rationalis est causa intrinseca hominis: ergo continet virtualiter perfectionem hominis; sed si informaret infinitas materias, esset causa intrinseca infinitorum hominum: ergo contineret virtualiter infinitas perfectiones illorum. Prob. min. essent tot homines numero distincti, quot essent materiae informatæ à tali anima: ergo omnium esset anima causa intrinseca formalis: ergo cum materiae supponantur infinite, esset causa infinitorum hominum. Prob. antec. individuatío totius per se substantialis non solum desumitur à forma, sed etiam à materia, vt diximus in Phys. tract. 3. disp. 3. sect. 3. ergo ex distinctis numero materijs nequit idem numero, sed plura numero composita resultare: ergo tot, quot materiae.

Respondent aliqui, quod posse informare plures, & plures materias adæquatas spectat ad virtutem extensivam, non terminatam termino intrinseco; non verò ad intensivam, quæ quidem completur per informationem vnus materiae: vnde ex hoc quod informet plures, non concluditur maior perfectio in forma: sicut neque ex eo quod successivè, & divisim om-

nes illas informaret. Sicuti neque ex eo quod materia simul recipiat omnes formas, quas successivè, & divisim recipere valet: ac per consequens sit causa intrinseca materialis simul infinitorum compositorum per se substantialium numero distinctorum, concluditur in materia maior perfectio.

Sed contra istam solutionem stat semper argumentum propositum; quia in primis falsum est, in tali casu non esse distinctas numero informationes, & distincta composita, vt satis ex se patet, siquidem quælibet informatio illarum, & quodlibet totum potest esse sine alijs, & impossibile est, quod idem numero sit sine se ipso numero. Deindè, quia licet posse plura numero, vel pauciora successivè, & divisim non concludat maiorem, vel minorem perfectionem, posse plura simul maiorem perfectionem convincit, quàm vnum numero solum posse, vt ex Scoto satis probat argumentum efformatū. Et prob. vterius: non posse causam secundam simul producere tot numero effectus, quos successivè, & divisim potest, nequit provenire ex alio capite, nisi quia eius virtus est limitatà; nam si infinita, & illimitata foret, omnes posset simul, vt patet in Deo: ergo posse plures simul, maiore, & minus limitatam virtutem

arguit, quàm posse vnum solum, & postea alium, & alium: ergo posse simul infinitos, infinitam concludit virtutem.

Paritas materiæ, quam afferunt, nullam habet vim, eo quod materia non informet, sed recipiat: ac per consequens non sit causa intrinseca formalis, sed materialis totius: quia, ut ait Scotus, hoc non arguit maiorem perfectionem, imò imperfectionem. Quod facillè probatur sic, sicuti posse simul plura, quorum posse vnum est perfectio, arguit maiorem perfectionem, quàm posse pauciora: ita posse simul plura, quorum posse vnum est imperfectio, arguit maiorem imperfectionem, quàm posse pauciora; atqui posse recipere, sive potentialitas est imperfectio: ergo cum posse plura simul recipere sit maior potentialitas, quàm posse pauciora, erit maior imperfectio.

Nec valet paritas eiusdem corporis positi supernaturaliter simul in pluribus locis, ob eandem rationem; quia corpus respectu loci nec est forma, nec materia, neque causa, sed est correlativum fundans, & recipiens relationem locati ad locum, & terminans relationem loci ad locatum, & sic solum passivè se habet, ut infra videbimus.

Respondent alij, non sequi infinitatem perfectionis in forma, data hypothesi; quia tunc

non actuaret plures materias ex sua innata perfectione, sed hoc haberet omnino ab extrinseco, quod patet à paritate; quia non sequitur immensitas in corpore ex eo quod ponatur in pluribus, imò & in infinitis locis, quia hoc non habet ex sua naturali perfectione, sed omnino ab extrinseco.

Sed contra; quia non aliter habent ab extrinseco, qualiter habet ab extrinseco vnam materiam informare; sed hoc non obstanti informare vnam supponit perfectionem: ergo informare plures simul maiorem debet supponere, & infinitam, infinitas informare. Prob. mai. non aliter provenit ab extrinseco formam informare plures materias, nisi quatenus producit à causa extrinseca ipsa forma, & ponitur in materijs dispositis, sine quo nequit informare illas, & quod à se nequit habere formam; sed ad informandum vnicam materiam etiam producit à causa extrinseca, & ponitur in materia disposita, sine quo nequit informare illam, & quod a se nequit habere formam: ergo non aliter proveniret formæ ab extrinseco simul plures informare materias, qualiter provenit ab extrinseco vnicam solum informare.

Vndè differentia, quam adhibere valent, solum potest esse, quod forma exigit, & appetit innatè vnam materiam solum infor-

formare, hanc, vel illam; non verò plures simul: unde licet producat a causa extrinseca in materia, & in hoc pariformiter se habeat, ac dum informaret simul plures materias; tamen in hac hypothese dicitur provenire illi omnino ab extrinseco, quia ex sua intrinseca natura hoc non petit; & quia ex natura sua exigit unam informare, licet a causa extrinseca producat in illa, non dicitur habere hoc omnino ab extrinseco; nisi ab intrinseco, eo quod ex sua intrinseca natura unam exposcat informare materiam.

Sed contra hanc solutionem inso 1. ergo dato, quod una forma possit simul plures informare materias, debet concedi in illa non repugnantia, sive capacitas ad simul illas informandas; atqui hæc capacitas est intrinseca illi; sicuti & appetitus innatus: ergo iuxta dicta, vel informare unam solam materiam provenit formæ omnino ab extrinseco, vel plures simul informare provenit illi ab intrinseco, sicuti unam solum informare.

Inso 2. dato, quod divinitus forma possit simul informare plures materias, debet habere capacitem ad illas simul informandas, ut manet dictum in prima instantia, & ex se patet; atqui ex eo quod habeat talem capacitem, habet appetitum innatum

ad illas simul informandas: ergo nulla est solutio. Prob. in 1. ideo habet appetitum innatum ad unam, quia est perfectio ipsius, & ipsi debita unam informare materiam; sed ex eo quod habeat capacitem ad plures simul, est perfectio illius, & ei debita plures simul informare: ergo. Prob. in 2. ideo est perfectio debita formæ unam informare materiam, quia una materia est sibi connaturalis; sed omnes materiae sunt sibi connaturales: ergo omnes simul informare est perfectio sibi debita.

Respondebis huic instantiæ, quod licet qualibet, sive omnes materiae sint connaturales formæ; tamen unam, vel aliam informare est perfectio sibi debita; minime autem omnes simul informare; quia unam potest naturaliter, non verò plures simul, nisi supernaturaliter.

Contra, quod non possit omnes simul informare naturaliter, dummodo possit supernaturaliter, & alias omnes sint ipsi connaturales, non obest, ut illas simul informare sit perfectio illi debita: ergo nulla est solutio. Prob. antec. quia visio beatifica est id, quo intellectus assequitur suum ultimum finem, licet non possit illam habere naturaliter, nisi supernaturaliter, dicimus Scotiste cum Subtili Magistro, quod visio beatifica est perfectio debita intellectui ergo non ob-

stat, quod forma non possit naturaliter, dummodo supernaturaliter possit simul informare plures materias, si alias sunt ipsi connaturales, ut simul informare illas sit perfectio debita ipsi. Antec. fuscè prob. in Theolog. tract. de Visione, quo probato, sequitur consequentia.

Insto 3. contra præcipuam solutionem, & etiam contra allatam ad secundam instantiam. Arguo sic: non potest ob aliam rationem dici, quod casu quo una forma simul informaret plures materias, non proveniret hoc ipsi ab intrinseco, sed ab extrinseco, nisi quia hoc faceret Deus de potentia absoluta, & alias licet forma habeat capacitatem, sive non repugnantiam, hoc non est perfectio debita formæ, nec ista appetit illud; sed illud, quod si aliquod haberet ex se, vel appeteret illud, & esset perfectio debita illi, concluderet in ipso infinitatem, nequit Deus facere de potentia absoluta, nec illud tale habere ad hoc capacitatem: ergo licet informare simul plures materias, dato quod foret, proveniret forma ab extrinseco; quia si ab intrinseco proveniret concluderet infinitam perfectionem in illa, dici debet, quod neque in forma datur capacitas, sive non repugnantia, neque Deum posse de potentia absoluta facere, quod simul informet plures materias.

Prob. antec. quia posse producere simul omnia possibilia concludit infinitatem in habente talem potentiam ab intrinseco, (idem est dicendum de alijs infinitatem concludentibus, servatis servandis) nequit Deus facere de potentia absoluta, quod creatura possit producere omnia possibilia, neque in ista datur capacitas ad hoc, sive non repugnantia: ergo &c.

Confirmatur paritate, quam adducunt contra nos: quia actu existere in omni loco actuali, & posse existere in omni possibili, sine multiplicatione præsentiarum concludit immensitatem, quæ quidem est infinitas, nequit Deus facere de potentia absoluta, quod corpus sic existat in omni loco actuali, & possit in omni possibili, neque in isto datur ad hoc capacitas, sive non repugnantia: ergo similiter in nostro casu. Si enim aliquod corpus in omni spacio per multiplicationem præsentiarum existeret, licet haberet ex se, non concluderetur in illo immensitas; quia ad istam requiritur, quod sine multiplicatione præsentiarum occupet, sive repleat totum spaciū actuale, & possit totum possibile, & ideo valet Deus de potentia absoluta, & quia nec est contradictio, neque ex hoc sequitur, unum corpus per multiplicationem præsentiarum ponere in omni loco, &

in corpore datur ad hoc capacitas, sive non repugnantia.

Alteri respondent, quod licet forma possit plures simul informare materias, & consequenter omnes posibles: & quod simul informare plures sit maior perfectio, quam pauciores, adhuc non concluditur perfectio infinita in forma; quia ad hoc erat necesse, dari infinitas formas, quod repugnat: ergo & quod formæ perfectio sit infinita, etiam si omnes simul informet materias.

Solutionem istam impugnat Subtilis Doctor in 1. dist. 2. qu. 2. §. ostensis igitur, num. 26. vers. *Ultima probabilitas*, hac ratione, & his verbis: *Et ulterius, si natura effectus non permittat simultatem eorum, (nempe simul esse infinitos) tamen causa quantum est ex se potest simul in infinita: adhuc sequitur, quod sit infinitum ex infinita pluralitate talium. (Quod paritate Omnipotentia probat sic) & ita videtur de primo agente esse concedendum, quod si posset causare infinita simul, quod esset virtus eius infinita; & per consequens si simul haberet virtutem causandi infinita, ita quod quantum est ex se posset simul producere, licet natura effectus non permittat, adhuc sequitur infinitas virtutis eiusdem; hac consequentia ultima probatur, quia potens causare simul album, & nigrum, non est minus perfectum, se non potest ea simul causare: quia*

ista non sunt simul causabilia: quia hæc non simultas est ex repugnantia eorum, & non ex defectu agentis, quia agens simul habet virtutem respectu amborum, si illa ex se essent composibilia.

Aliqua argumenta solent fieri contra nostram Scoticam conclusionem, quæ solvenda non proponimus, cum nihil aliud exprimant, quam quod continent solutiones adductæ ad argumentum, & instantias, quibus probatum manet nostrum assertum: & sic respondere quisque poterit eodem modo, sive doctrina apposita, qua impugnata extant in nostræ conclusionis probatione.

DISPUTATIO IV.

DE PRIVATIONE.

EGIMVS hucusque de principijs generationis substantialis in facto esse, sive de totius per se substantialis, nempe de materia prima, & forma substantiali. Hæc namque recensentur etiam inter principia generationis substantialis in fieri, ut transmutatio est; sed quia aliud ultra duo assignatur principium, quod revera appellatur privatio: ideò de ipsa in præsententi disp. venimus pertractandum.

(S)

SECTIO I.

QVĪD SIT, ET AN DETVR
à parte rei privatio?

OMNIA, quæ de privatione pertractanda veniunt, ferè non indigent alio nisi explicatione; nam si aliqua datur quæstio, ferè tota censetur de nomine, quam ut in agendis de privatione vitemus, noto, quod nihil, negatio, carentia, & privatio, secundum se sumpta, & in recto idem sunt, sive ut potius dicam nihil sunt, sive non sunt aliquid, neque physicum, neque metaphysicum. Sed tamen propter diversas considerationes, sive acceptiones his diversis nominibus gaudet. Prout enim secundum se præcisè dicitur *nihil*, sive *purum nihil*: quatenus consideratur in aliqua entitate posita, ut in subiecto non habente illud, cuius dicitur negatio, & non capaci entitatis, sive prædicati negati, dicitur *negatio*, ut quæ datur in homine irrationalitatis v. g. quando subiectum habet capacitatem præcisè dicitur *carentia*, ut quando forma, sive res negata non repugnat, neque debetur subiecto, v. g. negatio caloris in aqua. Quando denique forma, sive res negata debetur subiecto, dicitur *privatio*, ut cæcitas in homine v. g.

EX HIS clare constat, omnia

hæc dari à parte rei. Negatio nimirum alterius mundi à parte rei datur, hoc est, verè non existit alter mundus à parte rei, sed est purum nihil actuale sive existens. Deindè, homo v. g. qui à parte rei existit, verè non est rugibilis, sive non habet rugibilitatem, quæ nec illi debetur, neque ipsius est capax: ergo habet negationem rugibilitatis, quæ negatio, neque est carentia, neque privatio, sed mera negatio. Vtèrius, aqua v. g. dum est frigida, verè non habet calorem, cuius est capax, & qui non debetur illi: ergo à parte rei habet carentiam caloris. Denique homo cæcus v. g. verè, & realiter non habet visum, cuius homo non solum est capax, sed debetur ipsi: ergo à parte rei datur privatio visus in tali homine: ergo omnia prædicta dantur à parte rei, nullo cogitante intellectu: ac per coniequens non sunt ens rationis; sed sunt purum nihil in recto accepta, & de connotato sunt subiectum, quod dicitur habere negationem, & forma, sive res, quam tale subiectum non habet, quæ quidem sunt entia realia, & positivæ: quæ forma, vel res negata aliquando à parte rei verè, & realiter debetur subiecto, aliquando non debetur, sed tamen subiectum à parte rei verè, & realiter est capax illius: & aliquando nec debetur subiecto, neque istud est

capax illius, & subiectum à parte rei verè, & realiter est sine illa. Quæ omnia sunt iuxta Scoti doctrinam in 1. dist. 23. quæst. vnic. à num. 4. §. *ad questionem respondeo*, & dist. 28. quæst. 2. §. *quantum ad primum*, num. 3. à vers. *Quantum ad primum genitum*.

SECTIO II.

QUOMODO DISTINGUATUR
privatio à subiecto

SIT CONCLUSIO: privatio distinguitur à subiecto realiter negativè. Ita Scotus in 1. dist. 8. quæst. 2. num. 2. §. *concedo igitur*, vers. *Et quomodo composita*, & in 3. dist. 3. qu. 1. §. *si autem*, vers. *Similiter*, licet prius, in fine. Sola explicatione manebit firmata concl. si non velint de nomine disputare. Dicimus igitur, quod distinguitur realiter negativè, eo quod ipsa non sit quid positivum, ob quod nequit positivè distingui, nisi negativè, scilicet tanquam non ens ab ente, quomodo quælibet negatio à quolibet ente distinguitur, tanquam non ens ab ente. Per *ly distingui realiter*, volumus dicere privationem esse separabilem à subiecto. Et patet; quia forma privata potest inesse subiecto, siquidem debet subiectum exigere illam, ut dicatur forma privatum, ut diximus sect. antecedenti; atqui posita forma in subiecto, non

remanet privatio, & remanet subiectum: ergo distinguuntur realiter modo dicto, & explicato

Sit primum argumentum: quod inest materiæ, circumscripto ab illa omni eo, quod non est cum ea realiter idem realiter identificatur cum ea; sed privatio est huiusmodi: ergo &c. Prob. min. nam circumscripto à materia omni eo, quod non est ipsa, nec in primo, neque in secundo modo dicendi, id est, neque tanquam prædicatum quidditativum, neque tanquam extra essentiam realiter identificatum cum ea, materia non habet formam, & est capax illius: ergo est formaliter privata.

Resp. conc. mai. & neg. min. ad cuius probationem nego suppositum antecedentis (sumpto *ly omni eo* prout comprehendit omne positivum, & negativum) scilicet quod possit circumscribi à materia omne positivum, & negativum, quod distinguitur ab illa. Et dist. consequens: ergo est formaliter privata per privationem, conc. per suam met. entitatem, neg. Inter privationem, & formam non datur medium in subiecto apto, uti est materia, & sic eo quod non detur forma datur in illa privatio, & eo quod forma adveniat, privatio non datur: ergo quia materia non est privatio, aliàs stante forma esset privatio, quia est materia, quod omne est contradictio.

Sic

Sit 2. arg. privatio convenit materiæ ex se, forma verò per agens extrinsecum illam producens, & introducens in materia, vt docet Scotus in 3. dist. 3. qu. 1. ergo materia est ex se privata: ergo necessario, & non contingenter.

Resp. dist. primam partem antecedentis: privatio convenit materiæ ex se, hoc est, non requiritur agens extrinsecum ad privationem, conc. hoc est, taliter convenit ex se, quod non requiratur agens extrinsecum, vt dicitur, neque potest impediri ab agente extrinsecò, neg. Conc. secundam partem antecedentis, & dist. primum consequ. sicuti primam partem antecedentis negoque secundam consequentiã. Hoc namque est, quod dicit Scotus contra nos allegatus, vt clarè constat ex littera, ex quo potius, quàm necessario, contingenter convenire infertur: ac per consequens distingui realiter, vt tenet nostra conclusio.

Alia argumenta solent proponi, quæ omittimus quia ex dictis sect. antecedenti, & in Met. tract. 3. disp. 1. sect. 2. sufficenter enervantur. Et quia ex apposis etiam factis resolvuntur quædam quæstionculæ nimis inutiles, de privatione, si de nomine disputare non optamus.

DISPV-

DISPUTATIO V.

DE VNIONE PARTIVM.

VT principia entis naturalis, tam in facto esse, quæ dicuntur partes essentialis substantialis compositi, quàm in fieri, quæ pariter appellantur partes, quibus additur privatio, vt vidimus supra, principium suum principiatum, nempe vt ex illis fiat transmutatio substantialis, & totum resultat, requiritur vt conditio simpliciter necessaria sine qua non, quod dicta principia, sive partes essentialis physicè uniantur: quapropter de illarum vnione in præfenti oportet disputare.

SECTIO I.

QVOD SIT VNIO COMPOSITI
physici naturalis?

CERTVM est apud omnes, compositum physicum constare partibus essentialibus, scilicet materia, & forma inter se vnitis. Quod enim dubitamus est: an prædictæ partes uniantur formaliter, per suasmet entitates? An verò per aliquid superadditum, & realiter distinctum ab illis? Et quid sit tale superadditum?

SIT I. CONCLUSIO: vnio non est ipsæmet partes, quæ uniu-

uniuntur, sed aliquid realiter distinctum ab illis. Est contra Recentiore[m] Thomistam, & plures alios eiusdem Scholæ; necnon & Suarezitas nonnullos. Illam tenet Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. à num. 12. §. *sed circa istum articulum*, & dist. 2. quæst. 2. §. *quæntum ad tertium dubium*, num. 11. vers. *Et idè illud*, & in 4. dist. 10. quæst. 4. num. 14. §. *ex ista solutione*, vers. *Probo etiam*, & dist. 12. quæst. 1. à num. 21. §. *ad quartum dubium*, & dist. 43. quæst. 1. §. *de secundo articulo*, nu. 13. à vers. *Ad ultimum posset dici*. Probatur conclusio: quod potest esse sine alio distinguitur realiter ab illo; sed partes possunt existere sine unione: ergo realiter distinguuntur ab illa. Mai. est certa. Min. patet in corpore & anima, homine mortuo. Conseq. sequitur.

Respondebis, posse existere materiam & formam absque eo quod uniantur; attamen hoc non ex defectu unionis, sed ex defectu approximationis, qua posita, necessariò uniantur.

Fateor requiri approximationem, vt uniantur; sed tamen arguo contra solutionem: approximat[i]o est condit[i]o, vt detur unio inter materiã & formam; sed non est condit[i]o, vt detur aliqua unio identificata cum materia & forma: ergo vt detur unio realiter ab illis distincta. Prob. min. approximat[i]o non est

condit[i]o, vt materia & forma existant: ergo neque vt existat aliqua unio identificata cum illis. Prob. conseq. quod est condit[i]o, vt existat aliquid, necessariò est condit[i]o, vt existat etiam omne illud, quod cum eo identificatur: ergo si approximat[i]o non est condit[i]o, vt existant materia & forma, neque erit condit[i]o, vt existat unio cum illis identificata: ergo realiter ab illis distincta, alias non esset condit[i]o, vt daretur unio: ac per consequens etiam si non daretur approximat[i]o, daretur unio, quod est fallum.

Huic instantiæ respondebis, quod approximat[i]o est condit[i]o, vt existat unio identificata cum materia & forma, solum quoad denominationem, non vero quoad entitatem.

Ultra quod solutio ista manet sufficienter impugnata in Met. tract. 4. disp. 6. sect. 3. conclus. 1. à vers. *Sed contra: nequit existere forma*. Arguo contra illam: ergo etiam si materia & forma, corpus, & anima rationalis v.g. non sint approximat[i]a, erunt realiter vnita quoad entitatem, licet non quoad denominationem. Ultra quod videtur contradict[i]o esse aliqua inter se vnita, quin sint ad invicem approximat[i]a. Istam aliam infero: ergo separata anima à corpore datur totum substantiale etiam quoad entitatem; quia impossibile est quod

dentur partes substantiales realiter unitæ, & non detur totum substantiale, eo modo quo partes sunt unitæ; atqui falsum est dari totum substantiale ex corpore, & anima, his separatis: ergo & quod remaneant unitæ quoad entitatem. Prob. min. subsumpta: totum substantiale, quod fit ex corpore, & anima est homo; sed his separatis, non remanet homo, sed perit: ergo falsum est, dari totum substantiale ex corpore, & anima, istis separatis.

Alij aliter respondent, scilicet unionem non esse materiam, & formam ut cumque sumptas, sed esse formam prout in materia, & materiã prout in forma.

Hoc enim manifestè est ludere verbis; quia hoc quod est materiam esse in forma, & è contra, vel est aliquid distinctum ab ipsismet entitatibus materiæ, & formæ, vel non? Si est quid distinctum: ergo iam unio est quid distinctum à materia, & forma. Si non est quid distinctum, reddidit argumentum ut supra.

Deindè contra utramque solutionem arguo sic: potest Deus conservare materiã, & formam intimè præsentem, absque eo quod forma informet materiã: & potest anima rationalis separari à corpore quoad informationem, & non quoad approximationem localem, in quo casu anima non vivificaret corpus,

nec hominem constitueret: ergo aliquid est unio præter materiam, & formam approximatas.

Prob. 2. concl. nequit res transire de contradictorio in contradictorium sine mutatione ipsius; sed partes transeunt de non unitis ad esse unitas: ergo datur aliqua mutatio in illis: nam aliter se habent nunc, quam prius; atqui non possunt aliter se habere, nisi habeant aliquid quod non habebant, vel nisi non habeant aliquid, quod habebant: ergo cum habeant totum quod antea habebant, habent aliquid, quod non habebant; hoc nihil potest esse nisi unio: ergo est realiter distincta ab illis.

Respondent, fieri transitum realem, tum ratione distantie localis, quia partes nunc sunt approximatae, & prius erant distantes: tum ratione dispositionum, quia materia nunc est disposita, & antea non erat disposita.

Contra: partes non solum transeunt de distantibus ad indistantes, & de non dispositis ad esse dispositas, verum etiam de non unitis ad esse unitas: ergo sicuti ad primum, & secundum transitum requiritur in partibus aliquid, quod antea non habebant, nempe proximitas, & qualitates disponentes, quæ revera non sunt ipsæ partes: ita similiter ad tertium, nempe ad esse unitas de non unitis, requiritur

tur aliquid quod antea non habebant, nempe vnio distincta realiter ab ipsis partibus. Iam enim manet probatum, approximationem non esse vnionem: & quod dispositiones non sint, satis ex se patet.

Prob. 3. concl. quia si vnio hypostatica nihil superaddit entitatibus Verbi, & naturæ assumptæ, semper natura humana foret illi vnita, etiam si eam dimitteret; quia adhuc dimissa, salvatur tota realitas extremorum, cui per vos nihil reale superaddit vnio hypostatica; sed hoc nequit dici: ergo &c.

Nec dici valet, quod ultra entitates Verbi, & naturæ, exigit indistantiam amborum, vt natura dicatur à Verbo assumpta, & illi vnita, quia Verbum ratione suæ immensitatis semper est indistans à quacumque natura creata: ergo vnio hypostatica aliquid est distinctum realiter ab extremis distantibus: ergo & vnio materiæ, & formæ.

Respondent alij, concedendo vnionem hypostaticam esse quid distinctum ab extremis; quia talia extrema nullam habent inter se proportionem naturalem, & ideo indigent aliquo medio, quo vniantur; at verò materia, & forma, cum inter se habeant naturalem proportionem, nullo vinculo medio indigent, quo vniantur, sed se ipsis immediate vniantur.

Sed solutio ista videtur insufficientis; quia proportio naturalis inter aliqua extrema non tollit necessitatem vnionis distinctæ, sed tantum facit, quod vnio illa sit naturalis, vbi inter naturam, & Verbum est vnio supernaturalis.

Deinde contra: licet natura, & Verbum non sint extrema naturaliter proportionata, possunt supernaturaliter vniri, quia non repugnat absolute talia extrema vniri: ergo similiter si absolute non repugnat extrema vniri sine vnione distincta, licet natura, & Verbum non sint naturaliter proportionata poterunt vniri sine vnione distincta supernaturaliter: ergo sic erunt vnita: ac per consequens solutio est nulla.

SIT 2. CONCLUSIO: vnio physica, qua partes essentiales totius vniantur, est relatio prædicamentalis extrinsecus adueniens. Ita Scotus pro prima concl. allegatus. Prob. eo ipso, quod vnio sit aliquid distinctum realiter ab ipsis entitatibus extremorum, quæ vniantur, vt manet probatum, restat, quod sit aliquid referens vnum ad aliud: ergo est relatio. Quod patet, quia nequit intelligi vnio, quin sit vnus cum alio: ergo est relatio.

Respondent contrarij, vnionem esse modum substantialem, & dicere respectum transcendentalem, ideoque non posse in-

telligi; nisi intelligatur esse vnus cum alio.

Sed contra 1. respectus transcendentalis solum refert illud, cum quo identificatur realiter, vt patet in quolibet transcendentali respectu; sed vnio non solum refert modum aliquem substantialem, quem dicitis esse vnionem, imò principaliter refert ipsam materiã ad formam, & formam ad materiam; ergo vnio non est modus substantialis dicens transcendentalem respectum, sed est prædicamentalis relatio. Prob. min. illud refert vnio ad aliud, quod vnit cum illo; sed quod principaliter vnit vnio, est materiã cum forma, & formam cum materia; ergo &c. Min. ex se patet; quia licet ipsa vnio vniatur, non vnitur, vt quod, sed vt quo; sicuti similitudo v.g. inter duo alba, quæ vt quod non se assimilat duobus albis, nisi vt quo, & ipsis albis vt quod. Maior probatur; quia similitudo est relatio assimilans, illud refert ad aliud, quod assimilat illi; ergo similiter quia vnio est relatio vniciens, illud refert ad aliud, quod vnit cum illo; ergo materiam ad formam, & formam ad materiam.

Contra 2. ille modus substantialis, quem dicitis, vel est vnio in suo formalissimo conceptu, vt distinctus formaliter à respectu illo transcendentali, quem, per vos, dicitis, vel non: si pri-

um: ergo vt distinctus formaliter à tali respectu transcendentali est relatio: ergo non modus substantialis absolutus. Prob. 1. consequentia: vnio in suo formalissimo conceptu vnionis est relatio: ergo si ille modus in suo formalissimo conceptu, & vt distinctus à transcendentali respectu, est vnio, erit relatio in suo formalissimo conceptu, vt distinctus à transcendentali respectu. Prob. antec. illud est relatio in suo formalissimo conceptu, quod nequit intelligi nisi vnus ad aliud; sed vnio nequit intelligi in suo formalissimo conceptu vnionis, quin intelligatur vnus ad aliud: ergo. Prob. min. nequit intelligi vnio in suo formalissimo conceptu vnionis, quin intelligatur vnus cum alio, nempe vnus extremi, quod vnit, cum alio, cum quo vnit: ergo &c. si secundum dicant, nempe quod ille modus in suo conceptu formali, vt distinctus formaliter ab illo transcendentali respectu, non est vnio: ergo vnio non est ille modus absolutus: ergo est aliqua relatio; atqui non relatio transcendentalis identificata cum illo modo absoluto, quem dicitis: ergo est relatio prædicamentalis. Prob. min. subsumpta: dato, quod vnio produceretur, intenderetur primò, & per se à natura, vt reduplicativè producente vnionem; sed natura, vt reduplicativè produ-

Ducens aliquod ens, non intendit primò, & per se respectus transcendentales, quos dicit tale ens, nisi ipsum ens dicens tales respectus: ergo unio non est respectus transcendentalis illius modi, quem dicitis. Mai. patet in albedine v.g. (& in quolibet alio ente producto à natura) que primò, & per se intenditur à natura, vt reduplicativè producente albedinem. Min. etiam constat; nam quod primò, & per se intendit natura, vt reduplicativè producens albedinem est ipsa albedo, & non respectus transcendentales, quos dicit, & resultant ab illa: ergo &c.

Deindè, quidquid datur in composito, num sit modus substantialis, num sit accidentalis aliquem effectum formalem debet præstare composito; sed nulum potest præstare ille modus, quem dicitis, si non dat partibus esse formaliter unitas, quem præstare non potest, cum non sit formaliter unio, nisi ille respectus transcendentalis resultans in illo; ergo talis modus secundum suam quidditatem ad nihil est in composito: ergo non datur.

Contra tertio: quia hoc ipsum possent dicere de qualibet alia relatione prædicamentali, nempe esse modum absolutum, & dicere respectum transcendentalem; sed hoc nequit dici de alijs: ergo neque de unione.

Contra quattò: quia transcendentalis relatio potest existere sine termino; sed unio materiæ cum forma, nequit existere sine forma: ergo.

Quod enim talis relatio sit extrinsecus adveniens, probatur sicuti in Met. de sex victimis prædicamentis: quia possunt dari extrema, scilicet materia, & forma, quin detur relatio, scilicet si existant separatæ, vt patet, dum anima rationalis separatur à corpore.

ARGUMENTA DILVUNTUR.

SIT primum argumentum contra primam conclusionem: relatio unionis, quam addimus partibus, per se ipsam unitur ipsis partibus, nempe materiæ, & formæ: ergo etiam ipsa materia, & forma possunt per se ipsas uniri: ergo superfluit unio superaddita.

Resp. conc. antec. & neg. utræque conseq. Ratio disparitatis est, quia unio est ratio formalis unendi, & vt rationes formales habeant, & sint illud, quod tribuunt subiectis, in quibus recipiuntur, non requiritur aliquid superadditum ipsis, quia habet illud ex sua natura, & essentia, vt patet in albedine, & in omnibus alijs formis, tam absolutis, quam relativis; at verò materia, & forma non sunt rationes formales unendi; quia sunt quid abso-

absolutum, & vnio est relatio, vt manet probatum. Et quia aliàs, dato, quod existerent, essent necessario vnità, quod est falsum, vt extat propugnatum.

Sit 2. argum. materia, & forma immediate componunt totum substantiale: ergo vniantur immediate: ergo non media vnione realiter ab ipsis distincta.

Resp. dist. antec. immediate componunt totum substantiale, vt *quod* componens, conc. vt *quo*, sive vt ratio formalis componendi, neg. similiter dist. primam consequens: ergo vniantur immediate vt *quod*, conc. vt *quo*, neg. & sic etiam dist. secundum: ergo non media vnione, vt *quod* vnitur, conc. vt *quo* ipsa vniantur, neg. Rationes namque formales mediae quas subiecta, vt *quod* recipiunt, sive habent effectum formalem formae, non tollunt ipsis subiectis immedia- tionem, vt liquet in Patre v. g. qui licet media paternitate, tanquam ratione formali, vt *quo*, referatur ad filium, non tollit, quod ipsa entitas Patris referatur, vt *quod*, immediate ad ipsum filium. Similiter intellectus immediate dicitur intelligens, vt *quod*, licet media intellectione, tanquam ratione formali intelligendi, intelligat. Sic similiter in nostro casu.

Sit 3. argum. distinctio vnionis à partibus nequit dici realis, nisi modalis tantum: ergo fal-

sum est distingui realiter à partibus. Prob. antec. illa solummodo distinguuntur realiter, quorum vnum potest existere sine alio, & è contra; sed partes existere possunt sine vnione, & non vnio sine partibus: ergo &c.

Resp. neg. primam part. antecedentis, omitto secundam, & neg. consequ. Ad eius probationem neg. mai. Nullum namque evidentius signum distinctionis realis inter aliqua, quam posse vnum existere sine alio, licet è contra non possiat, vt liquet in omnibus fundamentis relationum, quae à relationibus distinguuntur realiter, & istae non possunt sine illis existere. Pater etiam in Deo, & creatura, qui distingui realiter, negari nequit, quorum Deus valet sine creatura existere; creatura verò sine Deo nequaquam. Quod autem distinctio dicatur modalis, non tollit quod sit realis, sed consistit in eo quod vnum ex extremis distinctis realiter sit modus: non autem vnio, & quavis alia relatio, tum intrinsecus, tum extrinsecus adueniens, sit modus, vel res, potest esse quæst. de nomine, de qua non curamus. Quod enim affirmamus, & manet probatum est, vnionem esse ens quod quidem est accidens, vtpotè relatio predicamentalis, & extrinsecus adueniens, realiter distinctum à partibus, quas vnit.

Sic

Sit 4. arg. contra 2. conclusio-
nem: vnio debet esse proportio-
nata composito, quod fit media
illa; sed compositum est substan-
tiale: ergo etiam vnio debet esse
substantialis: ergo non est acci-
dens ac per consequens neque
relatio prædicamentalis.

Confirmatur: qualis est vnio,
tale debet esse compositum ex
ea resultans; ergo cum compositum
sit substantiale, vnio non
erit accidens, sed modus quidam
de genere substantiæ.

Resp. ad arg. conc. mai. min.
& primam consequ. & neg. secundam.
Unio namque dicitur substan-
tialis, non quia ipsa substan-
tia sit, sed quia partes, quas
vnit, sunt substantiæ, quæ sunt
per se actus, & per se potentia,
ad differentiam vnionis acci-
dentalis, quæ reuera est inter
partes, quarum vna saltem est
accidens, vel inter partes, quæ
non se habent vt actus, & po-
tentia, vt sunt partes integrales.
Et ratio est quia ex vnione illa-
rum resultat vnum per se sub-
stantiale; & ex istarum vnione
vnum per accidens, vt videbi-
bus disp. sequenti.

Resp. ad confirm. dist. antec.
qualis est vnio entitativè neg.
qualis est vnio denominativè
denominatione accepta à parti-
bus conc. etiam suppositum con-
sequenti, & neg. consequenti-
am. Patet solutio ex responsio-
ne ad argumentum. Sicuti actio

productiva substantiæ, licet sit
accidens, dicitur substantialis,
quia ipsius terminus est substan-
tia: ita vnio totius substantialis,
quia partes, quas vnit, sunt per
se actus, & potentia, ex quibus,
vt vnitis, resultat vnum per se
substantiale.

Sit 5. arg. substantia nequit
constitui in esse substantiæ, nisi
per entitatem substantialem; sed
totum substantiale constituitur
per vnionem: ergo est substan-
tia, & non accidens.

Resp. conc. mai. & neg. min.
Qualibet namque res constitui-
tur per suas partes essentielles;
non verò per requisita: ergo
cum vnio non sit pars essentia-
lis substantialis compositi, nisi
requisitum, siue conditio sine
qua non, compositum nequa-
quam per illam constitueretur.

Sit 6. arg. vnio, per nos, est
accidens: ergo accidentaliter
vnit. Prob. consequ. causa forma-
lis non producit effectum ip-
sa perfectiorem: ergo non
vnit substantialiter, nisi acci-
dentaliter.

Resp. conc. antec. & dist. con-
sequens: ergo accidentaliter
vnit, id est, hoc quod est vnire
conuenit illi per accidens, neg.
quia est ipsius essentia, vel par-
tes, quas vnit sunt potentia, &
actus accidentaliter, vel non sunt
actus, & potentia, similiter neg.
vt ex se patet; id est, partes, quas
vnit, non vniuntur essentialiter,

nisi

nisi per accidens, hoc est, contingenter, conc. vt etiam constat ex se. Ad probationem consequentis, nego suppositum antecedentis, nempe quod vnio sit causa formalis compositi, nisi conditio necessaria, vt diximus, & etiam nego, quod causa formalis, vt talis producat aliquem effectum, quod supponitur etiã in antecedenti. Causa namque formalis, vt talis, non producit, sed informat: ex quo nihil sequitur contra nos.

Sit 7. arg. terminus formalis generationis substantialis debet esse substantia; sed iste est vnio: ergo. Prob. min. specialiter in homine, in quo nec materia, nec forma producantur, nisi vnio solammodo per generationem: ergo vnio est terminus generationis substantialis. Plures difficultates continet argumētum, quæ sub examine suis in locis infra venient.

Resp. igitur ad illud conc. mai. & neg. min. ad cuius probationem neg. suppositum, scilicet quod per generationem producatur aliquid, licet aliquid denominetur productum. Ad cuius intelligentiam, & argumēti solutionem, suppono, quod in sententia Subtilis Doct. effectus non producit actione media præcedente ipsum effectum prioritate naturæ, sed ad absolutum causæ sequitur immediatè absolutum effectus, & postea resultat

in causa actio producentis ad productum, & in effectu passio, siue actio passiva producti ad producentem, vt in suo loco videbimus, & diximus alibi specialiter in Theolog. tract. de Voluntate Dei, disp. 4. sect. 3. subsect. 7. vnde terminus formalis generationis substantialis non est vnio, nisi totam substantiale, quod quidem nec est materia, nec forma, neque vnio, neque omnia ista simul sumpta, sed alia tertia entitas resultans ex illis, & ab illis realiter distincta, vt disput. sequenti examinabimus.

Sit 8. arg. ad relationem non datur per se motus, nec actio; sed vnio propria actione producit: ergo non est relatio.

Resp. conc. mai. & neg. min. Vnio namque non producit, sed resultat (sicuti quævis alia relatio) positis partibus in rerum natura debitè approximatis, & cum omnibus requisitis in materia, vt informetur à forma.

Sit 9. arg. relatio non præsupponitur ad substantiam, neque ad eius esse est necessaria; sed vnio præsupponitur, & est necessaria ad totum substantiale: ergo non est relatio.

Resp. dist. mai. ad substantiam, quæ est fundamentum, vel terminus ipsius relationis conc. ad aliquam aliam substantiam, neg. Conc. min. & neg. conseq. Ad substantiam, quæ vt existat relatio est prærequisitum simpliciter

ter necessarium, necessario debet præsupponi, sicuti quodlibet aliud accidens, quod sit dispositio prævia.

Sit 10. arg. omnis relatio prædicamentalis fundatur super vnum, & multa, aut super acti-uum, & passivum, aut super mensuram, & mensurabile, ex 5. Met. text. 20. vt diximus in Met. tract. 4. disp. 6. sect. 2. vers. ultimo; sed vnio in nullo istorum fundatur, vt patet discutendo per omnia: ergo &c.

Resp. conc. mai. & neg. min. Fundatur enim vnio supra mensuram, & mensurabile, quia perfectio formæ mensurari potest per maiorem, vel minorem perfectionem materiæ, vt reduplicativè ultimò dispositæ ad recipiendum illam, & vt se uniantur; quia non quælibet forma potest naturaliter (quomodo loquitur Philof.) uniri materiæ quomodolibet dispositæ; sed quanto perfectior est forma perfectiorem dispositionem exigit in materia.

Sit 11. arg. compositum substantiale est per se vnum; sed si vnio esset relatio, esset vnum per accidens: ergo. Prob. min. compositum est vnum per vnionem: ergo.

Resp. conc. mai. & neg. min. ad eius probationem neg. antec. Compositum namque substantiale, quod est vnum per se non sunt partes physicæ vnitæ;

sed est tertia entitas ab illis resultans distincta realiter ab eis; & hæc est vnum per se per identitatem realem partium metaphysicarum, quibus constat, & constituitur. Partes enim physice non sunt quid vnum per vnionem; quia licet vnitæ, sunt quæ duo inter se realiter distinctæ: & per vnionem vnitæ, non accidentaliter, id est, non tanquam subiectum, & accidens, neque tanquam partes integrales; sed substantialiter, hoc est, tanquam per se actus, & per se potentia.

Sit 12. arg. illa, quorum vnio est ordo, vel relatio, non sunt simpliciter vnum; sed materia, & forma faciunt vnum simpliciter: ergo vnio ipsarum non est relatio.

Resp. conc. mai. & dist. min. sed materia, & forma faciunt vnum simpliciter, hoc est, constituunt, vel producant efficienter vnum simpliciter, neg. hoc est, causant intrinsecè vnum simpliciter, conc. & neg. consequentiam. Partes vnitæ non sunt vnum simpliciter, nisi secundum quid, quia sunt plura vnita. Totum namque substantiale est simpliciter vnum; at istius partium non est vnio, nisi identitas, quæ non est relatio, nec aliquid ab ipsis partibus distinctum, vt docuimus in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 6. vers. *Ex quibus patet.*

Sit 13. arg. si vnio esset relatio extrinsecus adveniens per-

tineret ad aliquod ex sex vltimis prædicamentis; quia ad nullum ex quatuor primis attinet, vt ex se constat, siquidem quæ ad tria prima pertinent, sunt entia absoluta, & quæ ad quartum sunt relationes intrinsecus aduenientes; atqui ad nullum ex sex vltimis attinet: ergo. Prob. min. non ad actionem; quia hæc est relatio trãsmutantis ad trãsmutatam: neque ad passionem; quia ista est respectus trãsmutati ad trãsmutans; neque ad *vbi* activum, nec passivum; quia illud est respectus, quem dicit res locata ad locum, & istud est respectus, quem locus dicit ad rem locatam; similiter neque ad *situm* activum, nec passivum; quia sunt respectus mutui etiam rei ad locum sic, vel sic dispositæ: neque ad *quando*; quia est respectus rei ad tempus, per quem denominatur tanto, vel tanto tempore durans: denique nec pertinet ad *habitu*m; quia iste est respectus, quem res vestita dicit ad vestem, & armata ad arma, & alij huiusmodi: ergo ad nullum pertinet: ergo non est relatio extrinsecus adueniens.

Resp. conc. mai. & neg. min. ad cuius probationem, nego, quod non pertineat ad *habitu*m. Nam materia, quæ ex se est nuda vestitur forma, & sicuti datur respectus rei vestitæ ad vestem, qui est aliqualis vnio inter rem, & vestitum: ita datur respe-

ctus materiæ ad formam, qui est vnio, licet intimius, & rigorosius vnians materiam, & formam. Exemplum enim istius prædicamenti ponitur in re vestita, & armata; quia in his omnes conveniunt; sed tamen ob hoc non excluduntur ab illo omnes aliæ relationes extrinsecus aduenientes, quæ ad alia prædicamenta non attinent vt sunt vniones; quia res, quæ vniantur cum suis terminis, quasi vestiuntur, & armantur his, quibus vniantur, licet strictiori vinculo, quàm res vestita veste, & armis res armata. Si enim solutio hæc non placuerit, resp. ex Scoto in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad questionem respondeo*, nu. 6. vers. *Et si quæras, ad quod genus, & sequenti* (Scotus enim hoc non resoluit, sed vt quæstionem de nomine eviter, tenet, quod reducitur ad prædicamentum actionis vnio formæ ad materiam, & vnio materiæ ad formam ad passionis prædicamentum, modo quo actio, & passio prædicamenta talia constituentur accipiuntur. Vbi supponit duplicem dari vnionem, quod sect. sequenti probabimus) quod vnio fundata in materia, si passio non solum dicat respectum passi ad agens, sed etiam ad formam, quam recipit, dicta vnio est passio: vnio verò fundata in forma ad materiam, si actio non solum dicat respectum agentis ad patiens, sed etiam formæ

formæ informantis ad illud, talis unio erit actio. Hæc sunt verba Scoti allegati verſ. *Et ſi quaras, ad quod genus.* Sic ait: *Vide ſi forte ad genus paſſionis, ut ſic paſſio dicat non tantum reſpectum paſſi ad agens, ſed ad formam, vel ſi forte ad genus actionis: ut ſi actio dicat non tantum reſpectum agentis ad patiens, ſed formæ informantis ad illud, quod informatur: ſed utroque modo erit reſpectus extrinſecus adveniens.*

Sit 14. arg. agens per nos, dat eſſe immediatè effectui, ſine eo quod mediet aliqua actio inter cauſam, & effectum: ergo forma ſe ipſa perficit, & informat materiam, ſine eo quod mediet aliqua unio. Prob. conſeq. ſicut actio non eſt, qua agens agit, ita unio non eſt, qua forma informat, nec qua materia recipit: ergo non eſt neceſſaria unio ad hoc, quod forma informet, neque materia recipiat. Antec. eſt Scoti 5. Met. quaſt. 9. num. 12. §. *relatio*, adducti à Benjumea, afferenteque ipſius verba, en illa: *Relatio non eſt, qua agens agit, nec qua habens potentiam eſt potens, nec qua receptivum recipit*, ergo &c.

Reſp. diſt. antec. ſine eo quod mediet aliqua actio præcedens abſolutum effectus, per quam cauſa det eſſe abſoluto effectus, conc. ſine eo quod conſequenter detur relatio, quæ ſit actio producentis ad productum, neg. Etiam diſt. conſequens: ergo for-

ma ſe ipſa perficit, & informat materiam, ſine eo quod mediet aliqua unio, tanquam ratio formalis informantis, & perficiendæ materiam, conc. tanquam conditio ſimpliciter requiſita, ut forma perficiat, & informet materiam, neg. Ad probationem conſeq. conc. antec. & diſt. conſequens: ergo non eſt neceſſaria unio ad hoc, quod forma informet, neque materia recipiat tanquam ratio formalis informantis, & recipiendæ, concedo; tanquam conditio ſine qua non, neg. Antec. eſſe Scoti conc. licet verba allata à Benjumea nõ ſint in loco ab ipſo allegato, forte ob errorè impreſſionis. Sicut enim actio non eſt ratio formalis, qua agens agit, niſi ipſius virtus productiva, & tamen poſita ab agente in rerum natura entitate abſoluta effectus, neceſſario reſultat in entitate abſoluta agentis (ſi capax ſit) relatio producentis ad effectum: ita, ſervatis ſervandis, unio non eſt ratio formalis informantis, nec recipiendæ, niſi virtus informativa formæ, & receptiva materiæ, ſed tamen poſitis in rerum natura, & approximatis reſultat in materia (& pariter informa) relatio unionis cum forma, quæ eſt requiſitum ſimpliciter neceſſarium, ut forma informet, & recipiat materia: ſicuti approximatio agentis ad paſſum, ut producat.

SECTIO II.

QUOTPLEX SIT VNIO INTER materiam, & formam?

SIT CONCLUSIO: duplex datur vnio inter materiam, & formam, vna fundata in materia, & terminata ad formam, & alia fundata in forma, & terminata ad materiam. Est contra Recentiores communiter, tam Thomistas, quam Suarezistas. Illam tenet Scotus 8. Met. quæst. 4. §. *difficilia sunt hæc*, nu. 8. vers. *Ad secundum*, & sequenti, & in 2. dist. 1. qu. 4. §. *secundum primam opinionem*, num. 19. vers. *Ad quintum*, & sequenti. Supponit etiam nostram concl. in 3. dist. 1. quæst. 1. num. 3. §. & vers. *de primo dico*, & expressius in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad questionem*, num. 6. vers. *Et si quæras, ad quod genus pertinet. Et sequenti.*

Prob. igitur concl. quando aliqua referuntur ad invicem, in quolibet dari debet relatio (si utramque sit capax): tanquam in fundamento, quod denominatur ab illa; sed materiam, & formam esse ad invicem unitas esse esse ad invicem relatas, ut probatum manet antecedenti sect. ergo in quolibet datur sua relatio unionis, à qua, sive per quam alteri denominatur unita. Patet antec. in duobus similibus, (& in quibuslibet alijs correlativis ca-

pacibus fundandi relationem) quorum in quolibet datur sua relatio similitudinis in ipso fundata, per quam alteri correlato denominatur simile.

Confirmatur: quia si non daretur vna vnio in materia ad formam, & alia in forma ad materiam, sed vnica sola vnirétur, nõ esset ratio cur talis vnio esset in vna parte, magis quàm in alia, aliàs assignent contrarijs. ergo in quolibet illarum est ratio, ut detur vnio: ergo datur in duabus; atqui vnica vnio nequit esse in duabus: ergo in quolibet datur sua vnio. Min. subsumpta patet; quia materia, & forma sunt entitates distinctæ, & correlata in esse unitarum; sed vnica relatio nequit esse in duabus entitatibus distinctis, quæ se habent ut correlata, tanquam in fundamento; quia altera illarum debet esse terminus relationis: ergo &c.

Quod omne confirmatur amplius: in duobus similibus non datur vnica tantum similitudo, qua similia denominantur, sed in quolibet datur sua similitudo, qua alteri denominatur simile, eo quod sunt correlata, & quodlibet est capax fundandi suam similitudinem, nec datur maior ratio, ut fundetur in vno, & non in alio; atqui omnes istæ rationes militant eodem modo in materia, & forma in esse unitarum, ut patet ex dictis: ergo si-

guri

cuti cōceduntur duæ similitudines in duobus parietibus albis v.g. vt vnusquisque sua similitudine denominetur alteri similis; ita in materia, & forma debent admitti duę vniones, vt vnaqueque sua vnione alteri denominetur vnita.

Respondebis, quod in similibus requirantur duæ relationes similitudinis, vt sint, & denominentur similes; non verò in materia, & forma duæ vniones, vt sint & denominentur vnitæ, quamvis vnio sit relatio, & denominatio vniti sit relativa denominatio; quia istæ sunt inter se penetratæ, ac sunt in eodem loco; minimè verò illa, ideoque ad similia non sufficit vna similitudo; benè verò vnica vnio ad materiam, & formam.

Contra 1. si per possibile, vel impossibile vnica daretur similitudo inter duos parietes albos v.g. adhuc essent, & denominarentur similes tales parietes, licèt non essent penetrati in eodem loco existentes, sed maximè distantes; quia ad similitudinem nihil facit distantia, neque indistantia: ergo non datur duplex similitudo ex eo, quod vnica non sufficiat vt sint, & denominentur similes, sed quia, cum quilibet paries albus sit capax fundandi similitudinem, & non sit maior ratio, vt fundetur in vno, quàm in alio, necessario ex natura rerum resultat, & funda-

tur in quolibet sua similitudo: Nunc sic; atqui tam materia, quàm forma est capax vnionis, & non est maior ratio, vt resultat, & fundetur in vna, quàm in alia: ergo dicendum est, quod, licèt vt sint, & denominentur vnitæ, sufficiat vnica vnio, ex natura rerum resultat, & fundatur in qualibet sua vnio.

Contra 2. duo parietes albi v.g. etiam possunt esse penetrati supernaturaliter, ac per cōsequens indistantes in eodem loco existere; atqui in tali casu etiam in vnoquoque daretur sua similitudo; quia quilibet esset capax illius, & non esset ratio, cur resultaret, & fundaretur in alio: ergo cum tam forma, quàm materia sit capax vnionis, nec sit ratio cur resultat, & fundetur in vna, & non in alia; licèt sint penetratæ, indistantes, & in eodem loco existentes, dici debet, quod in vnaquaque resultat, & fundatur sua vnio.

Respondebis iterum, quod non est maior ratio, vt in vno albo resultat, & fundetur similitudo, quàm in alio, eo quod sint eiusdem rationis, & sic resultat in vnoquoque sua similitudo; at verò materia, & forma non sunt eiusdem rationis, imò valdè diuersæ, & sic potest dari in vna, & non in alia, ratio, propter quam resultat, & fundetur in ea vnio: ac per consequens solàm datur vnica vnio resultans, & fundata

in illa parte, in qua talis ratio datur.

Contra 1. quia non facile assignabunt contrarij in qua parte datur ratio fundandi vnionem, & in qua non, maximè cum qualibet sit ex natura sua vnibilis, exigensque vniri alteri, quod quidem, & non aliud est tota ratio fundandi vnionem: ergo falsum est, quod non detur talis ratio in qualibet, etiam si distincta sint rationis: ergo nulla est solutio.

Contra 2. plura sunt extrema, quæ prout fundant relationes, non sunt eiusdem, sed valde diuersæ rationis, vt patet in Patre, & filio creatis, & clarius in causa æquivoca, & istius effectus; sed hoc non obstanti quia quodlibet est capax fundandi suam relationem, & non est ratio, cur detur in vno, & non in alio, non referuntur vnica relatione, sed sua datur in quolibet: ergo quod materia, & forma sint diuersæ rationis, non enervat nostram instantiam.

Si huic dicas, quod in extremis diuersæ rationis, si datur ratio fundandi, ideo est, quia in quolibet datur ratio fundandi, distincta, seu diuersæ rationis, ideoque in quolibet resultat relatio: quia referuntur etiam ad invicem relationibus diuersæ rationis; at verò cum vnio partium sit eiusdem rationis, & ipsæ partes sint diuersæ rationis,

non datur in duabus, sive in quolibet ratio fundandi eiusdem rationis cum ratione fundandi alterius: ergo si in qualibet daretur ratio fundandi, esset diuersa rationis in qualibet: ergo in vna non erit vnio, sed relatio alterius rationis; quia ex rationibus fundandi diuersæ rationis, non resultant relationes eiusdem rationis, quales sunt vniones.

Contra: vnio fundata in materia non est eiusdem rationis, nisi diuersæ, cum vnione fundata in forma: ergo nulla est solutio, sive sicuti causa, & effectus v.g. licet sint diuersæ rationis, non datur ratio, vt causa fundet suam relationem, & effectus non fundet suam, & è contra; quia relationes, quas fundant, etiam sunt diuersæ rationis: ergo similiter est dicendum de materia, & forma, quoad hoc quod est, vnquamque suam vnionem fundare. Paritas est adæquata. Antec. in quo poterat esse difficultas, prob. relationes specificantur à suis fundamentis, & terminis formalibus, sive à rationibus formalibus fundandi, & terminandi eas, vt cõmuniter tenent omnes, & fateri debet: ergo relationes, ad quas dantur rationes formales fundandi, & terminandi diuersæ rationis, diuersæ rationis sunt etiam. Nunc sic; sed ratio formalis materiæ fundandi, & terminandi vnionem diuersæ rationis

nis est à ratione formali formæ fundandi, & terminandi vnionem: ergo diversæ rationis sunt vnio fundata in materia, & terminata ad formam, & vnio fundata in forma, & terminata ad materiam. Prob. min. subsumpta: ratio formalis materiæ fundandi, & terminandi vnionem cum forma est receptibilitas formæ, & perfectibilitas ab ipsa, sive exigentia ad recipiendum formam, & ad perficiendum ab ea, quæ dici potest receptibilitas, & perfectibilitas passiva, quam essentialiter dicit materia: & ratio formalis formæ fundandi, & terminandi vnionem cum materia è contra est receptibilitas, informabilitas, & perfectibilitas actiua materiæ, quam essentialiter etiam dicit forma; sed istæ rationes formales diversæ rationis sunt, & essentialiter, vt satis ex se patet, siquidem quæ competit materiæ, repugnat formæ, & quæ convenit illi, materiæ repugnat: ergo distinctæ rationes formales fundandi, & terminandi vnionem conveniunt materiæ, & formæ: ergo etiam vniones specie distinctæ. Mai. negari nequit. Min. etiam est irrefragabilis, & sequitur conseq.

Ideo ait Scotus, vt vidimus sect. antecedenti in secunda solutione ad 13. arg. quod vnio fundata in materia potest reduci ad prædicamentum passionis, & quod vnio fundata in forma

pertinet ad prædicamentum actionis. Videantur quæ cū Scotto Subtili expendimus ibi. Iuxta quæ notandum est, quod licet, dictæ vniones appellentur hoc nomine generico vnio, possunt etiã appellari nominibus suis specificis, scilicet *vnio actiua*, & *vnio passiva*, vel *informatio*, & *receptio*: sicuti respectus transmutantis ad transmutatum, & producentis ad productum dicitur *actio*, sive productio, & *transmutatio actiua*; & transmutati, ac producti ad transmutans, & produciens dicitur *passio*, sive *transmutatio*, & productio passiva.

Prob. 2. concl. simili argumento, ac præcedens; cuiuslibet relationi debet correspondere in termino, ad quem refert suum fundamentum, sua correlatio; quæ est relatio sibi directè opposita, vt paternitati filiatio, actioni passio, &c. si terminus sit capax fundandi relationem, ergo cum tam materia, quam forma, sit capax fundandi relationem vnionis, vnioni fundatæ in materia, & terminatæ ad formam debet correspondere in forma sua conuio, sive correlatio, quæ erit relatio sibi directè opposita.

In Verbo namque Divino vnio cum natura humana Christi D. per vnionem in ipsa humanitate fundatam, non datur alia vnio fundata, & recepta in illo, eo quia ob suam infinitam perfecti-

fectionem non est capax fundandi; & recipiendi relationes ad creaturas: sicuti ob eandem rationem non dantur in Deo relationes producentis, & Domini terminatas ad creaturas productas, & servas, neque aliqua alia, sed denominatur relativè creans, & Dominus, &c. per relationes passivas fundatas in ipsis creaturis, & terminatas ad ipsum Deum. Nulla autem creatura est incapax fundandi, & recipiendi relationes ad alias, eo quod limitata sit, ac per consequens capax huius imperfectionis, & aliarum: ergo cum vnio sit relatio, ut vidimus sect. antecedenti, non est ratio, cur ex extremis creatis vnitis, vni concedatur vnio in ipso fundata, & negetur alteri: maximè cum in omnibus alijs correlativis concedatur.

Respondebis his, & alijs instantijs, quod quando vnica relatio ex se est communicata duobus extremis, superfluit correlatio in vnoquoque: ob quod (dicitis) non est admittenda duplex vnio ad cõpositum physicam, vna scilicet in materia fundata, & terminata ad formam, & è contra alia in forma fundata, & terminata ad materiam, sed sufficit vna simul materiæ, & formæ communicata.

Sed contra, vel per vnionem esse vtrique extremo communicatam, intelligis esse communi-

catam vtrique tanquam fundamento, vel vni tanquam fundamento, & alteri tanquam termino. Si primum dicas, iam supra manet probatum, hoc repugnare. Deindè idem poteris sentire de omnibus alijs relativis, maximè de relationibus inter materiam, & formam, quod apud omnes est falsum. Vterius, quia vnio in qualibet parte est distincta speciei, ob rationem formalem fundandi, & terminandi diversæ rationis in qualibet, ut etiam extat probatum: ergo non sufficit vna solummodo. Item, quia licet vna sufficeret, ut absolute essent vnita, debent concedi duæ; quia ex natura rerum vnaquæque pars petit fundare suam relationem, sive vnionem distinctam: sicuti duo parietes albi duas similitudines licet vna sufficeret, ut absolute essent similia: & sicuti homo generans, & genitus duas etiam, scilicet paternitatem, & filiationem, licet vna sufficeret, paternitas v. g. ut absolute essent relati, vnusque pater, & filius alter. Et ex hoc sumitur instantia, si asseras secundum; quia omnes aliæ relationes sunt tales, quod vna communicatur duobus extremis, vni ut fundamento, & ut termino alteri, quo non obstanti datur duplex relatio, vna scilicet in quolibet extremo: ergo idem dici debet de vnione inter materiam, & formam.

Negabis paritatem: quia terminus vnionis est terminus intrinsecus, & termini aliarum relationum sunt termini extrinseci: quare alteræ relationes nequeunt vtrique extremo communicari, ac per consequens necessaria est in quolibet sua ratio; at verò cum terminus vnionis sit intrinsecus, nequit communicari fundamento, quin etiã termino cõmunicetur, ac proinde non duabus, sed vnica tantum vniuntur vnione.

Contra: etiam terminus vnionis est extrinsecus ipsi vnioni, sicuti ceteri termini suis relationibus: ergo nulla est solutio. Prob. antec. illud est extrinsecum alicui, quod non est receptum in illo, nec è cõtra istud receptum in eo, etiam si indistantia existant, & sint vnita, vt patet in partibus integralibus, quatum nulla est alteri intrinseca, nisi extrinseca; sed forma substantialis, quæ est terminus vnionis fundata, & recepta in materia, non habet receptam in se talem vnionem, aliàs non esset terminus, sed fundamentum, nec è contra vnio recipit in se formam; quia non est subiectum illius: ergo forma non est terminus intrinsecus vnionis recepta in materia, nisi extrinsecus, aliàs omnes termini aliarum relationum essent etiam intrinseci, & sic nulla erit disparitas assignata. Addo, esse implicantiã in ter-

minis dicere esse terminum relationis, & esse intrinsecum illi.

Si autem pro termino intrinseco relationis intelligant terminum intrinsecè receptum in fundamento ipsius relationis, vt recipitur forma in materia, quæ est fundamentum vnionis ad formam, hoc nihil iuvat; cum hoc non sit formam esse intrinsecam vnioni, sed materiæ, cui vnitur, & in qua recipitur.

Adhuc respondebis, quod vnio, quamvis solùm sit in vno extremo subiectivè, tamen est in altero terminativè, non solùm extrinsecè, vt visio v. g. est in obiecto, sed intrinsecè, non quidem per inhæssionem, sed per adhæssionem, sicut actio est in termino subsistentia in natura, & punctum in partibus continuis qua ratione (dicas etiam) quod vnio hypostatica intrinsecè attingit Verbum per adhæssionem, sive adhærentiam, & quod ideo Verbum debet dici intrinsecè vnitum naturæ assumptæ, & non tantùm extrinsecè. Implicat enim asseris, vnum extremum vnitum alteri intrinsecè, quin istud alterum etiam vniatur intrinsecè illi: ergo vt quodlibet extremum vniatur intrinsecè alteri, sufficit vnica vnio in vno fundata, & terminata ad aliud: sicuti vt Verbum sit intrinsecè vnitum naturæ assumpptæ, & ista Verbo, sufficit vnica vnio fundata, & recepta in natura, & ad Verbum terminata.

ta, non simpliciter extrinsecè, nisi per adhesionem, nec simpliciter intrinsecè per inhesionem, & receptionem.

Sed certè modus iste essendi intrinsecè in alio per adhesionem, novus est, & commentitius, omnis enim modus essendi intrinsecè in alio ad vnionem per informationem reducitur, vt manet probatum; quia denominatio intrinseca sumitur à forma intrinseca, scilicèt recepta in denominato; & vt diximus implicat in terminis aliquid esse terminum alicuius, & esse intrinsecum illi, cuius est terminus. Terminus enim ex sua ratione formali est extrinsecus rei, quam terminat, vt locus rei locatæ v. g. Exempla namque adducta ad hoc figmentum probandum, nihil valent; quia actio non est intrinsecè in termino, sed in agente; & substantia est negatio, vt docuimus in Met. tract. 4. disp. 3. lect. 3. Et si ponatur in positivo, debet esse subiectivè in natura, vt forma modalis. Ad illud de vnione naturæ humanæ cum Verbo dicendum est, non esse intrinsecè vnitum, hoc est, per vnionem in se receptam, sed extrinsecè, id est, per vnionem, ad se terminatam; sed tamen in alio sensu potest dici intrinsecè vnitum, quatenus intrinsecè vnitum sonat esse vnitum per vnionem realem, qualis est hypostatica, & non per vnio-

nem intentionalem, nec moralem, nec qualiter potest dici vnio inter vestitum, & vestem, quæ verè non sunt vniones.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
contraria.

SIT primum argumentum; repugnat, quod vnica vnio non recipiatur in duabus partibus, nempe in materia, & forma; ergo vnica vnio sufficit, vt qualibet pars sit intrinsecè vnita alteri, nempe per vnionem in ipsa receptam, sive fundatam. Prob. antec. recipi in aliquo est vniri cum illo; sed repugnat, quod vnio non vniatur cum qualibet parte; ergo. Prob. min. repugnat, quod ratio formalis non sit per se, quod alteri præstat formaliter; sed vnio est ratio formalis vniendi duas partes; ergo repugnat, quod per se non vniatur duabus partibus.

Resp. neg. primum antec. ad eius probationem dist. mai. recipi in aliquo est vniri cum illo, præcisè, neg. vniri tanquam forma illius, conc. etiam min. & neg. conseq. Vna pars integralis vnitur cum alia, & non recipitur in illa, quia non vnitur tanquam forma illius. Verum enim est, quod vnio fundata in materia, per quam materia vnitur formæ, per se vnitur vt ratio formalis vniendi, sive vt *quo* cum materia, & forma, hoc est, est vnio

mate.

materiae, & formae, sive cum forma, cum quo stat, quod materia sit fundamentum in quo recipitur, & quod intrinsicè denominat unitum, & forma sit terminus, ad quam terminatur talis unio, & quam extrinsicè denominat unitam cum materia. Quod evenit in quibuslibet alijs relationibus mutuis: v.g. repugnat, quod similitudo fundata in pariete albo. B. reddat illum similem parieti albo. C. quia iste sit similis albo. B. ac per consequens, quod ipsa non sit similis ut quo duobus, cum quo stat recipi in uno, & solum terminari ad alium: ergo idem dici debet de unione.

Et si quæras, quare non potest unio recipi in duabus partibus cum ambæ sint penetratæ? Dico, quia unaquæque esset simul fundamentum, & terminus ipsius relationis, quod repugnat. Deinde, quia solum recipitur relatio in illo, ex quo resultat, & unica relatio nequit resultare ex duobus distinctis, maxime se habentibus tanquam fundamentum, & terminus. Neque ad hoc facit aliquid penetratio. i. quia partes integrales non penetrantur, & si unica solum daretur unio inter materiam, & formam, etiam deberet dari una solummodo inter duas partes integrales. 2. quia licet duo alba essent penetrata, adhuc non reciperetur in illis unica si-

mililitudo, sed esset sua in quolibet: sicuti est frigiditas producta ab aqua, & in se recepta sit penetrata cum illa, adhuc in qua libet datur sua relatio, scilicet producentis in aqua, & productæ in frigiditate.

Sit 2. argum. una ex duabus unionibus esset superflua: ergo non debent admitti duæ. Prob. antec. una non uniret; sed unio ad nihil aliud requiritur, nisi ut uniat: ergo esset superflua. Prob. mai. per unicam unionem essent sufficienter unitæ materia, & forma: ergo alia non uniret.

Resp. neg. i. antec. mai. probationem eius, & aliud antec. probationem maioris. Sicuti duo alba essent similia unica similitudine: & etiam sicuti pater, & filius essent relata unica relatione, nempe paternitate, quia impossibile est, quod unum album sit simile alteri, & quod alterum non sit etiam simile isti: similiter in possibile est, quod Petrus sit pater Ioannis, & quod Ioannes non sit filius Petri; & tamen nec alba essent sufficienter similia unica similitudine: nec Petrus, & Ioannes essent sufficienter Pater, & filius sola paternitatis relatione, nisi duabus similitudinibus illa, & isti duabus etiam relationibus, nimirum paternitatis, & filiationis; quia quodlibet debet esse relatum per relationem in se ipso receptam, si capax sit, ut supra

reliquimus stabilitum : ita similiter licet materia, & forma essent vnite per vnicam vnionem, non essent sufficienter vnite, nisi duabas ; quia qualibet debet intrinsecè vniri, nempe per vnionem in se receptam, cū quolibet capax sit. Et noto, quod materia, & forma in esse vnitarum, nulla est prior altera, neque natura, neque cognitione; quia vt sic sunt correlativa, quæ reuerà ex Phil. sint simul natura, & cognitione.

Et si persistas semper, quod non requirunt vniri ambæ per vnionem in se receptam. Concedo, vt absolutè vniantur; nego tamen vt vniantur tanquam correlativa, qualia sunt. Alias eadem instantia posset fieri in alijs correlativis, vt in duobus similibus, & in duobus hominibus, quorum vnus est pater alterius, vt vidimus: & quidquid respondeant aduersarij, possumus & nos respondere.

Sit 3. arg. vnio est ratio formalis, vt partes communicentur ad invicem: ergo ipsa communicatur per se partibus.

Resp. neg. antec. vnio solum est conditio sine qua partes nequeunt se ad invicem communicari. Ratio namque formalis, vt dictum manet suprâ, est perfectibilitas passiva in materia, & activa, vel quasi activa in forma.

Sit 4. arg. si præter vnionem, quæ inest materiæ, daretur alia,

quæ inesset formæ, forma se haberet vt medium inter materiam, & vnionem; sed hoc non ergo non datur secunda vnio. Prob. mai. in tali casu mediante forma in materia recepta, ipsa quoque vnio, quæ inesset formæ, inesset eidem materiæ, & magis proximè, & immediatè inesset materiæ forma, quam vnio: sicut si albedo inest materiæ, mediante quantitate, quantitas est medium, quod propinquius coniungitur materiæ: ergo vnica vnio sufficit se tenens ex parte materiæ, nam ea mediante optimè forma coniungitur materiæ.

Resp. dist. mai. forma se haberet vt medium inter materiam, & vnionem, si pro se habere vt medium intelligant, formam in materia præcedere prioritate naturæ vnionem, tanquam ipsius fundamentum, ex quo, applicato termino, qui est materia, resultat, vt evenit in omnibus alijs relationibus. extrinsecus advenientibus, concedo mai. Et quod sic forma sit medium præcedens vnionem, quam fundat, non solum non est inconueniens, sed necessarium: eodem modo materia præcedit aliam, quam ipsa fundat, & vt terminus præcedit illam, quam fundat forma, & ista etiam vt terminus præcedit quæ fundat materia, quod necessario evenit ex natura ipsarum rerum, sicuti in omnibus alijs relationibus.

lationibus mutuis, & fundamentis, ac terminis illarum. Ad aliud mēbrū distinctionis, si aliquid aliud intelligant per hoc, quod est, formam se habere ut medium inter materiā, & vnionem, neg. Ad probationem maioris, nego suppositum antecedentis, neapē quod vnio, quæ inest formæ, inest materiæ quia materia solum est terminus illius, non subiectum, sicuti forma alterius, quæ inest materiæ. Exemplum quantitatis non est ad rem; quia ista non mediat inter materiam, & albedinem, ut relatio, quæ vna referatur ad aliam, sicuti vnio; sed mediat tanquam forma recepta in materia, & tanquam subiectum recipiens albedinem; & sic nihil mirum, quod recipiatur in materia immediatius, quàm albedo, & ista immediatius in quantitate, quàm in materia.

Sit 5. arg. in rebus naturalibus vnicum punctam coniungit, & vnic duas partes lineæ, vnam gluten duas tabulas, vnus funis vnit, & ligat inter se duo corpora: ergo etiam vna vnio vnit materiam, & formam.

Respondeo disting. anteced. vel fundamentaliter, vel tanquā medium, cui ut quod vniuntur partes, concedo; tanquam formalis vnio, neg. & etiam consequentiam. Si enim per punctam vniens partes continui, intelligant vnionem formalem, dico,

quod in qualibet parte ex duabus immediatē vnitis datur sua vnio, & terminatur ad aliam, sicuti dicimus de materia, & forma vnitis ob easdem rationes. Si verò intelligant aliquid aliud, quod non sit vnio formaliter, sed aliquid absolutum positum inter duas partes continui, cui duæ partes immediatē vniuntur, & inter se mediante puncto, tum dicimus, quod inter punctum, & quamlibet partem dantur etiam duæ vniones, duæ fundatæ in puncto, & terminatæ ad duas partes, scilicet vnaquæque ad suam, & duæ fundatæ in partibus, vna quippè in vna parte, & alia in alia, & ambæ terminatæ ad punctum. Quod non est contra, sed iuxta nostram conclusionem. Idem asserimus de glutine inter duas tabulas, & de fune ligante duo corpora, servatis servandis. Quia non sunt vniones formaliter, sed quædam media absoluta, cui vniuntur tabulæ, & corpora, inter quæ etiam dantur duæ vniones, sicuti manet dictum de partibus continui cum puncto. Materia verò, & forma non vniuntur medio aliquo tertio, cui immediatē vniatur vnaquæque, sed immediatē vniuntur, ideoque vnio, quæ resultat ab vnaquæque terminatur immediatē ad aliam.

Sit 6. arg. vnio partium ordinatur ad vnitatem compositi, sed in composito est vna vnitatis solum.

solum: ergo etiam inter partes erit vnica sola vnio.

Resp. conc. mai. & dist. min. sed in composito est vna vnitas solum, sumpta vnitate pro vnione, sub dist. sumpto composito physice, neg. sumpto pro entitate metaphysica ex partibus, vt vnitis, resultante, nego suppositum min. scilicet quod in composito detur adhuc vna vnio; quia non constat partibus inter se realiter distinctis, quæ vniri possint, sed partibus, siue prædicationis metaphysicis realiter identificatis. Venio ad aliud membrum distinctionis: sumpta vnitate proprie pro vnitate individuali, sub dist. etiam: sumpto composito physice, neg. sumpto metaphysice, conc. & neg. consequ. Compositum namque substantiale, sumpto pro partibus physicis vnitis constat duplici vnione, vt manet probatam, & pluribus vnitatibus individualibus inter se distinctis realiter; quia materia habet suam, forma similiter, & quælibet vnio suam, quam nunquam amittit aliqua ex his entitatibus, dum existit, num sint vnitæ, num verò separate. At si compositum substantiale sumatur pro entitate resultante ex partibus vnitis, & ab illis realiter distincta, in se nullam includit vnionem, sed solum constat vna vnitate individuali, vt videbimus disp. seq. præsuppositivè verò dicit partes

physicas vnitas, tanquam causas intrinsecas sui, includentes, vt diximus, duas vniones, & plures vnitates individuales inter se realiter distinctas.

Sit 7. arg. si essent duæ vniones, non perfectè vnirentur partes per eas: ergo non debent admitti. Prob. antec. non potest aliqua vnio vnire duo, nisi vtrūque attingat; atqui si essent duæ vniones, vnaquæque attingeret suum extremum, in quo est, & non aliud, in quo non est: ergo non benè vnirentur partes.

Resp. neg. antec. ad eius probationem dist. mai. non potest aliqua vnio vnire duo intrinsecè, nisi vtrumque attingat, vt fundamentum, in quo sit, conc. vnum intrinsecè, & aliud extrinsecè, nego. Ad hoc enim solum requiritur, quod attingat vnum, vt fundamentum, in quo sit (& hoc vnit intrinsecè, hoc est, ipsa intrinsecè recepta in illo) & aliud vt terminum, ad quem sit; (& hoc vnit extrinsecè, id est, non quod maneat extra aliud extremum, cui vnitur; nam forma, licet per possibile, vel impossibile vniretur materia vnica vnione solum in ipsa materia recepta, semper esset intrinsecè in materia illam informans, sicut modò, quæ alia vnione in se recepta vnitur) hoc est, quin recipiatur in illo. Quod evenit suo modo in omnibus alijs relationibus mutuis.

Sit

Sit 8. argum. admissis duabus vnionibus non potest benè explicari, quomodò illæ duæ vniones vniantur inter se, quamvis enim singulæ vniantur se ipsis suis extremis, quia sunt rationes formales vnienti illa, non tamen ita videtur dici posse de se ipsis ad invicem: ergo non sunt admittendæ.

Resp. neg. antec. quia vniones, eo quod sint rationes formales vnienti, non vniantur vt *quod*, neque cum suis fundamentis, neque ad invicem, nisi vt *quo*, hoc est, vnaquæque est vnio extremorum, vnus intrinseca, vt fundamenti, in quo est, alterius extrinseca, vt termini, in quo non est, sed ad quem est: vnde ipsæ ad invicem non vniantur vt *quod*, nisi vt *quo*, id est, sunt coniones directè oppositæ, vna, scilicèt materiæ, passiva, & alia, nempe formæ activæ, modo quo manet suprâ cum Scoto explicatum. Idem namque evenit in duabus similitudinibus, & quibuslibet alijs correlationibus, proportione servata, quia similitudines ad invicem non assimulantur vt *quod*, neque suis extremis, nisi vt *quo*, hoc est, vnaquæque est similitudo duorum extremorum (quia vnus solum repugnat, nullus dicitur sibi similis, sed alteri) vnus, scilicèt fundamenti, in quo est, intrinseca, & alterius, nempe termini, in quo non est, sed ad quem est,

extrinseca: vnde deducitur, quod ipsæ ad invicem non sunt similes, vt *quod*, nisi vt *quo*, hoc est, sunt consimilitudines directè oppositæ, sicuti aliæ quæcumque relationes mutæ, nùm sint æquiparantiæ, nùm verò disquiparantiæ.

Sit 9. arg. materia per suam vnionem, quæ dicitur *materializatio*, recipit formam: ergo per eandem forma recipitur in materia, & illam informat: ergo receptio formæ in materia, & istius informatio à forma, vna & eadem vnio sunt, quæ ex diversis extremis variè denominantur.

Resp. neg. antec. Materia enim recipit formam ante vnionem, & similiter forma recipitur in materia, ex hoc enim præcisè adhuc non sunt vnitæ formaliter, nisi fundamentaliter proximè; & in sequenti instanti naturæ ad formam recipi in materia necessariò in qualibet resultat ratio vnionis ad aliam: sicuti prius natura est, quod res sit in loco, & tunc adhuc non datur ratio loci ad rem locatam, neque rei ad locum, ac per consequens in illo primò instanti naturæ adhuc non datur præsentia formaliter, nisi solum fundamentaliter proximè, & in sequenti resultat ratio loci ad rem locatam, & rei locatæ ad locum, quæ est præsentia. Et sic philosophari debet de quibuslibet

bet relationibus, servata semper proportionem. Unde informatio, & receptio, nihil aliud sunt fundamentaliter, quam materia habens formam, & forma habita in materia, ex quo fundamento, quod revera nihil est aliud formaliter, quam ipsae entitates absolute materiae, & formae approximatae, & ultimo dispositae, resultant uniones, una in unaquaque, & sic materializatio formalis, & receptio in materia, & informatio formalis informata, superius pro unionibus.

Sic 10. argum. si daretur duplex unio, una corrupta, vel impedita, posset alia manere: vel saltem potest per intellectum fieri haec praecisio unius ab alia. Tunc queritur, an una sola admittitur, resultet totum per se substantiale, vel non? Non secundum, quia sunt partes unitae, & ideo necessario componunt totum; si primum: ergo superfluit alia unio.

Argumentum potest retorqueri in alijs relationibus sic: corrupta, vel impedita una similitudine, adhuc maneret alia, vel saltem potest sic concipi per intellectum. Deinde, impediatur filiatio, & remaneat paternitas: tunc rogo, vel duo alba essent similia, & pater esset pater, & filius esset filius, vel non? Non secundum; quia unum album esset simile alteri, quod est impossibile, quin alterum sit simi-

le illi: & pater esset pater, quod etiam est impossibile, quin filius sit filius; si primum; ergo altera relatio est superflua. Quod respondeant, respondere possumus.

Resp. tamen ad argumentum, neg. quod possit impediri una unio, remanente alia; quia cum sint relationes, positae extremis, & requisitae, si sint extrinsecus advenientes, resultant necessario: unde si datur una, supponitur extrema, & cum requisitis, ac per consequens necessario resultat, & alia, & simul natura. Imò quia sunt non solum simul natura, sed etiam cognitione; neque potest una cognosci, quin cognoscatur, & alia. Et dato, quod cognosceretur una, & non alia, cum videtur totum non requiratur, quod cognoscantur uniones, adhuc daretur totum. Deinde, admisso, & non concesso, quod una sola unio daretur, adhuc resultaret totum, quia essent partes unitae per illam, & neg. quod altera sit superflua; quia licet non sit necessaria, ut datur totum, est tamen, ut altera pars denominetur intrinsicè unita. Imò esto vlla unio resultaret, dummodo forma esset in materia, & istae solum fundamentaliter essent unitae, adhuc resultaret totum; quia ad hoc solum requiritur, quod forma sit in materia, ut actus illius; ex quo necessario resultat totum, sicuti,

sicuti, & vniones. Veluti si impedirentur relationes similitudinis in duobus albis, per possibile, vel impossibile, adhuc duo alba essent fundamentaliter similia, ac per consequens solum dantur similitudines, vt sint, & dentur formaliter similia, & tamen non dicitur superfluere similitudines: ergo neque vniones, licet duntaxat dentur, vt partes sint, & denominentur formaliter.

Sit 11. arg. in partibus physicis hominis nequit admitti hæc duplex vnio: ergo neque in partibus aliorum compositorum. Prob. antec. quia si in anima poneretur vnio, vtpotè spirituali, deberet esse spiritualis; sed hoc repugnat: ergo. Prob. min. 1. quia talis vnio non potest attingi ab homine in generatione, vt agens corporeum operetur in illa: ergo non daretur agens talis vnionis. Secundo prob. min. quia in nutritione, & accretione hominis adduntur corpori novæ partes: & è contra in decretione, & abscissione alicuius membri, auferuntur aliquæ partes: ergo vel in his casibus eadem omninò vnio incipit esse de novo in novis partibus, & desinit esse in alijs, sicuti dicimus de ipsa anima: vel tota vnio variatur, & prior abit, & alia advenit; non primum, quia vnio est respectus, ac proinde variari debet ad variationem

extremorum, cum ab eis pendeat essentialiter, & omninò repugnet, eandem manere vnionem, si eadem extrema non manent; neque secundum, quia si tota vnio, qua fundatur in anima variatur: ergo & tota compositio, atque adeò homo toties videretur mori, & resurgere, quoties ipsa vnio variatur ex additione, & detractione partium corporis.

Resp. neg. antec. ad cuius probationem conc. mai. & neg. min. Ad primam probationem minoris neg. suppositum antecedentis, nempe quod relationes producantur, ipsæ enim resultant, seu pullulant necessariò positis extremis: vnde homo generans producit formam corporeitatis in materia cum reliquis dispositionibus necessarijs, vt informeretur ab anima, & Deus solus creat animam in materia, & postea resultant vniones, sicuti, & cæteræ relationes, quibus ad invicem, & simul ad alios terminos, referuntur, nec non, & alijs in rebus illæ, quibus ad ipsam animam referuntur, quin ad hoc agens aliquid agat, præter producere extrema, vel aliquod illorum, vel ipsa appropinquare, aut ponere aliqua requisita, vti fuerint relationes. Ad secundam probationem ipsius minoris, dicimus, quod in acquisitione partium de novo, resultant in anima no-

va vniones ad tales partes no-
vas, & in his partibus ad ani-
mam, quæ sunt quædam vnio-
nes partiales integrales, ex qui-
bus, & vnionibus ad alias par-
tes corporis integratur vna vnio
totalis ad totum corpus: &
in diminutione partium pe-
reunt in anima vniones ad par-
tes deperditas, & quæ funda-
bantur in deperditis partibus:
ex quo non sequitur, quod ho-
mo moriatur, & resurgat; nam
ad hoc necesse erat perire om-
nes vniones ad omnes partes
corporis, & omnes partium cor-
poris ad animam, & postea ite-
rum vniri animam saltem ad
aliquas partes corporis, & è
contra.

DISPVATIO VI.

DE TOTO PER SE SVBSTAN-
tiali.

EGIMVS hucusque per totum
lib. I. Phys. de principijs en-
tis naturalis, tam in facto esse,
quàm in fieri, ac vt transmuta-
tio est, imò & de vnione partes
essentiales, siue principia totius
in facto esse nectente, quæ ad
compositum conditio sine qua
non, siue simpliciter necessaria
ab omnibus communiter iudi-
catur. Ne igitur presentis libri
opus quasi imperfectum relin-
quatur, de ipso principiato, vi-
delicet de ente naturali, quod

revera est compositum per se
substantiale pro libri huius cal-
ce in presenti disp. venimus in-
quirendum, vtrum scilicet to-
tum per se substantiale nihil
aliud exprimat præter ipsius
partes physicas, vt vnitas simul,
& in recto sumptas? Vtrum verò
aliquam aliam entitatem ab
ipsis partibus physicis simul
sumptis, & vnitis distinctam
omniò realiter dicat? Ad
quod.

SECTIO I.

QVOTPLEX SIT? ET ALI-
qua prænotantur de toto.

MVLTIPLICITER potest
fumi totum, ipsiusque
vnitas, qua vnum denominatur,
& qua distinguitur ab omni il-
lo, quod non est ipsum, vt adno-
tat Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §.
secundo oportet videre, num. 44.
à vert. In primo minima vnitas.
Vbi ait Subtilis Doctor, quod in
primis datur vnitas aggregatio-
nis, ac per consequens datur
totum per aggregationem, v. g.
acervus lapidum: & huius vnitas
est minima vnitas, vt tenet Sco-
tus; quia nec est ordo, nec vnio
aliqua, neque identitas, nisi so-
lum aggregatio partium.
Secundo, ait, datur vnitas or-
dinis, ac per consequens totum
per ordinem, vt exercitus v. g.
cuius partes, quæ quidem sunt
mili;

militēs, neque sunt identificata, neque aliqua vnione vnitæ, & dicunt aliquam aliam vnitatem supra aggregationem, nempe ordinem, quo inter se milites vnus exerciti ordinati sunt.

Tertio, asserit, datur vnitas per accidens, consequenterque totum per accidens, & est illud, cuius partes vltra ordinem sunt vnitæ, & vna alteram informat, licet accidentaliter, hoc est, illa pars, quæ est forma, siue actus, est accidens, quapropter non dicitur per se actus, sed per accidens, vt album v.g.

Alia datur vnitas, quæ dicitur integralis, ac perinde totum integrale, quod potest etiam totum per accidens appellari, non quia aliqua eius pars sit accidens informans aliam, sed quia partes illius non sunt per se actus, & potentia. Partes enim huius totius vniuntur inter se, non tanquam potentia, & actus, nec per se, nec per accidens, sed tanquam partes aliquod totum integrantes, v.g. corpus humanum, constans capite, brachijs, pedibus, &c. inter se vnitis, & illud integrantibus.

Quarto, inquit Scotus, datur vnitas per se compositi, & consequenter datur totum, quod est per se compositum, nempe ex principijs, siue partibus physicis physicè inter se vnitis, quarum vna est per se actus, nempe forma

substantialis, quæ reuera informat aliam, quæ est per se potentia, hoc est, non continet in se ex sua ratione actum informativum, vt est materia prima, huiusmodi totum est quodlibet totum substantiale constans materia prima, & forma substantiali vnitis.

Quinto, ait Scotus, datur vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas. Huic consequenter correspondere debet totum, quod non sit compositum physicè, siue physicum, sed metaphysicè, siue metaphysicum. Et hoc erit, cuius partes non sunt entitates physicæ per vnionem physicam realiter ab ipsis distinctam vnitæ; sed sunt partes, siue prædicata metaphysica, quæ vt actus, & potentia metaphysicè, siue vt genus, & differentia se habent, & cum distinctæ realiter non sint, ad constituendum totum non vniuntur vnione physica realiter ab ipsis distincta, sed per se metipsas identificantur realiter, & constituunt vnum totum metaphysicum. Sic namque ait Scotus allegatus, vers. *In quinto*, postquam quatuor primas vnitates prædictas enumeravit: *Quinto est vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas, quidquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantum est vnum illi vnitati vnionis, sicut in alijs modis.* Hoc modo Angelus v.g. est vnum; quia quidquid est in illo est per idem

SECTIO II.

*VTR. PARTES ESSENTIALES
physicae coexistent toto substantia-
li secundum suum pro-
prium esse?*

LICET hæc difficultas com-
muniter non exagitetur,
illam expédimus breviter prop-
ter singularem opinionem P. Fa-
bri, qui solus ex Scotistarum Cæ-
tu, in sua Phil. Theo. 21. cap. 3. &
4. & in 3. disp. 9. cap. 3. & nuper
7. Met. disp. 22. defendit, partes
vnitas, dum compositum sub-
stantiale constituunt, omninò
in tertiam entitatem pertransi-
re, ita vt amittentes proprias
entitates fiant penitus illud ter-
tium, quod ab ipsis sic in ter-
tiam entitatem transactis, non
distinguantur realiter.

Præfatum dicendi modum
refert, & rejicit Basolius 2. dist.
12. quæst. 1. art. 1. vt quorundam
antiquorum Theologorum di-
centium materiam, præsertim
in generatione, transmutari in
totum, in quo reservatur entitas
materiæ nobilius, & perfectius
quàm in se ipsa; & idè mate-
riam primam sic transire asse-
bant in generatum, quod non
omninò corrumpatur, quia estò
proprium esse non retineat in
composito; tamen habet esse no-
bilius, & perfectius, quod qui-

dem est esse compositi: hocque
explicabant exemplo pasta,
quia dimensiones pasta trans-
mutabiles sunt in figuram, tali-
ter quod post transmutationem
non sunt nisi figura ipsa.

Certè hæc est ipsissima Fabri
sententia; nam si benè perpen-
datur locus citatus, ipse non su-
stiner, partes ita verti in totum,
quod nullo modo maneat in
ipso, sed tantum vult, quod non
maneant secundum esse suum,
quod prius habebant, sed in esse
perfectiori, quod est esse compo-
siti. Sic namque ait Theor. cit.
cap. 3. *Desinunt esse, & tamen ma-
nent in composito, desinunt esse in
suo esse, quod prius habebant, &
manent in esse, & entitate compo-
siti, in quo ab agente mutantur, &
paulò infra repetit: Manent ergo,
& non manent, non manent in prio-
ri esse, manent in esse compositi. Et
in 3. disp. 9. num. 23. inquit: Ma-
teria, & forma, cum ingrediuntur
totum, non corrumpuntur quoad en-
titatem, sed quoad esse, quod prius
habebant, & recipiunt perfectius
esse in toto.*

Ante quam præsentem diffi-
cultatem resolvamus, noto, nos
modò non vertere in dubium
illam aliam gravissimam difficul-
tatem viriliter exagitatam inter
Scotum cum suis ex vna parte, &
ferè omnes alios ex altera, nem-
pè vtr. totum per se substantiale
distinguat realiter à suis par-
tibus simul sumptis, & vnitas?

nam sect. seq. illam examinabimus, consultò non inquirimus an partes maneant in toto secundum proprium esse? Sed an maneant in rerum natura, siue coexistent toto secundum proprium suum esse? Quia si distinguuntur realiter à toto, & manent, nequeunt manere in toto per identitatem, aliàs iam non distinguerentur realiter, neque per unionem, quia licet partes inter se uniantur, totum cum illis non unitur: vnde solum restat, quod si manent, & distinguuntur, maneant solum quoad inexistenciam, siue coexistentiam necessariam cum toto.

SIT CONCLUSIO: materia, & forma manent secundum suum esse. Est contra Theologos antiquos relatos, & P. Fabrum, estque communis omnibus, tam distinguentibus realiter totum per se substantiale à partibus simul sumptis, & unitis, quam nò distinguentibus. Prob. 1. concl. autoritatibus Arist. nam in 1. Phys. docet, materiam, & formam non solum esse principia compositi in fieri, sed etiam in facto esse, quia remanent in composito, & quia privatio non remanet, ait solum esse principium in fieri. Deinde, 2. Phys. text. 3. naturam definit, quod sit principium eius, in quo est, & postea text. 10. naturam dividit in materiam, & formam. Ulterius, text. 28. loquens de causis intrin-

secis, tenet, materiam esse, ex qua inexistente res fit, & formam esse quod quid est rei. Item 1. de Gener. text. 23. docet, materiam eandem remanere ingenito, & corrupto. Insuper, 2. de Anima text. 6. eam definit, quod sit actus corporis physici: Et denique sapius vocat materiam, & formam elementa, quia composito inexistunt secundum proprium esse earum.

Prob. 2. autoritatibus Scoti. In 1. enim dist. 1. quæst. 1. vers. ultimo ait, materiam naturaliter quiescere sub forma: vbi certum est, non loqui de illo primo omnino instanti, in quo uniantur, quia tunc forma non potest quiescere in materia, nisi tempore sequenti. Deinde, in 2. dist. 12. quæst. 1. per totam docet, in composito substantiali reperiri materiam, & formam secundum proprias suas entitates realiter inter se distinctas. Et dist. 15. quæst. vnic. propugnat, mixtum fieri ex elementis, veluti ex termino à quo, & non ex partibus, quia elementa non manent formaliter in mixto: ex quo patet non bene uti Fabrum similitudine compositionis mixti ex elementis ad declarandam compositionem compositi physici ex materia, & forma; quia, ut ait Subtilis Doctor, elementa non manent in mixto, sicut partes in composito. Item in 3. dist. 22. quæst. vnic. per totam tenet,

ner, materiam, & formam manere in composito. Idem docet de materia in 4. dist. 11. quæst. 3. §. de secundo art. a n. 19. verū. Et potest ratio confirmari. Et dist. 43. q. 3. §. ad illa ergo, a n. 16. verū. Ad illud dico, quod principium. Et qu. 5. §. de secundo dubio, a n. 12. verū. Hac omnia, loquendo de resurrectione, sic ait: Et ex illis collectis, id est, ex materia in eis, quæ fuit prius materia corporis corrupti, reparabitur iterum idem corpus. Et denique expressè docet nostram concl. quodl. 9. a n. 11. §. alio modo posset, & infra in aliquibus locis eiusdem quæstionis.

Prob. ratione: materia, & forma sunt causæ intrinsecæ totius substantialis; sed repugnat quod esse causæ transubstantietur, sive convertatur in esse effectus: ergo & quod materia, & forma non maneant secundum suum esse, nisi secundum esse totius.

Prob. 2. totum per se substantiale dependet essentialiter à materia, & forma secundum proprium esse ipsarum, & nõ secundum entitatem totius; sed id quod dependet essentialiter ab aliquo, nequit esse sine illo, aliàs iam non erit essentialis dependentia: ergo remanent cum toto materia, & forma secundum esse earum. Prob. mai. materia, & forma secundum esse totius sunt ipsū totum; sed nihil dependet à se ipso: ergo nec totum à materia, & forma secundum esse totius, ni-

er secundum proprium esse earum.

Prob. 3. si non remaneret materia, & forma secundum earum esse, neque remaneret compositum; sed hoc nequit dici: ergo. Prob. mai. de essentia compositi physici est includere partes inter se realiter distinctas: ergo si istæ non remanerent, neque maneret compositum.

Prob. 4. quia ex hoc sequeretur, quod materia toties definiret esse, quoties compositum contingeret ex illa generari: & toties rediret, quoties corrumpi contingeret. Imò materia nunquam esset, aut existeret secundum proprium suum esse, neque forma substantialis materialis; quia nunquam existit sine forma materia, neque sine ista, forma substantialis materialis, quæ omnia sunt maxima absurda: ergo, &c.

Denique prob. quia sunt multa composita naturalia, quæ constant ex materia, & forma spiritali, ac per consequens incorruptibili, vt ex corpore, & anima rationali: & in Christo D. verè fuit corpus, & verè fuit anima secundum proprium esse eorū hypostaticè vnita Verbo: & de fide est ipsum assumpsisse carnem, & animam: ergo.

Respondet Faber, quod licet anima rationalis sit incorruptibilis secundum substantiam, tamen est mutabilis quoad esse substantiale: vnde, ait, aliud esse

habere in corpore, & aliud extra corpus; quia in corpore dat esse corpori, & facit unum per se; extra corpus verò nihil horum facit, & ideò mutatur quoad esse substantiale, licet nò quoad substantiam suam. Quod roborat dicens, hanc explicationem haberi clarè apud Scotum in 1. dist. 17. quæst. 3. §. *supposito charitatem*, &c. ubi circa medium (vt ait Maftrius hic disp. 5. quæst. II. art. 2. num. 133. vers. *Resp. Faber*,) inquit Scotus: *Concedo ergo conclusionem istarum rationum, & quod realitas illa positiva, quæ est in charitate realiter minore, manet eadem in charitate realiter maiore, nec corrumpitur, nisi quantum ad esse, quod habuit prius per se, & manet in alio, vt pars in toto, exemplum de materia per se, & forma per se, quæ non corrumpuntur, vt sunt in toto, sed manent perfectius in toto, quàm quando habuerunt esse per se: ergo iuxta Scotum sicut charitas, quæ augetur non corrumpitur quantum ad esse, dum augetur, sed solù quoad esse, quod prius habebat: ita materia, & forma, dum ingrediuntur totum, non corrumpuntur quoad esse, sed quoad esse, quod prius habebant, & recipiunt perfectius esse in toto.*

Licet enim §. Scoti allegatum à Maftrio in tota præfata dist. non inveniatur, fortè ob errorem impressiõis in allegando, certum est, asserere Scotum in

dicta dist. quod affert pro se Faber; at verò apposita Scoti doctrina nullatenus est pro Fabri sententiã; quia vt satis clarè patet ex ipsis authoritatis allatæ verbis, non ait Scotus, quod entitas charitatis, sive cuiuslibet alterius qualitatis remissæ, sive minoris, corrumpitur quoad esse, dum intenditur, sive dum fit maior; sed solùm vult, quod illud esse, nempe existens, sine alia parte, sive gradu qualitatis, qui advenit, dum fit maior, corrumpitur; quia iam tunc non est sine illo gradu, adveniente, imò est cum illo: quod explicat paritate materiæ, & formæ dicens, quod extra compositum existens habent esse per se, hoc est, non sunt in toto, & adveniente vnione, corrumpitur hoc esse per se; quia tunc iam sunt in toto, quod nullatenus est dicere, corrumpi, secundùm suum esse, sive esse entitativum, & acquirere aliud esse, quod est esse totius; sed quod amittunt esse absque toto, & acquirunt esse in toto, secundùm illud ipsissimum esse essentialiale, & entitativum, quod habent etiam vt separatæ. Hæc namque est genuina Scoti mens, vt patet ex ipsis verbis allatis, & ex toto textu dist. citatæ, quod non solum non est in favorem Fabri, sed contra eius sententiã.

Deindè sic impugnatur dicta sententiã: esse rei non distinguitur ab ipsius entitate; ergo si in
gene-

generatione totius corrumpuntur materia, & forma quoad esse, quod prius habebant, etiam corrumpuntur quoad ipsarum entitates, quod prius habebant; atqui quoad entitates non corrumpuntur, per vos: ergo neque quoad esse.

Impugnatur secundò: nam inintelligibile videtur, quod in generatione hominis mutetur anima quoad esse substantiale, & non quoad substantiam suam, ut inquit Faber; nam esse substantiale non distinguitur à substantia; atqui si remaneret substantia, & non remaneret esse substantiale distinguerentur; quia nullum maius signum distinctionis realis, quam separabilitas: ergo &c. Eadem instantia fit de esse, & entitate; quia similiter non distinguuntur realiter.

Tamen respondet Faber, se non asserere, quod partes omnino desinant esse in generatione compositi, nisi quod desinunt quoad esse, quod prius habebant, & manent in esse compositi, qua ratione non solum non debet dici, per generationem compositi esse partium corrumpi, sed potius recipere perfectius esse, quam prius habebant in se ipsis.

Sed contra: vel intendit Faber dicere, quod partes iam unitæ, & generato toto, manent essentialiter eadem, ac antea, num

distinctæ, num indistinctæ realiter à toto, vel quod quando sunt iam unitæ, & totum generatum, iam non est eadem essentia partium, sed perijt, & solum est essentia totius, quæ alia est ab essentijs, quæ antea habebant partes? Si primum, habemus intentum; quia si essentia remanet eadem, cum hæc ab esse, & entitate non distinguatur, iam remanent partes quoad entitatem, & quoad esse, quod antea habebant. Si secundum dicat, reddunt instantiæ prædictæ. Et quomodo intelligi potest, quod non corrumpantur, & pereant, si pereunt earum essentiæ? Hoc namque esset manifesta contradictio.

Contra 2. ex Scoto asserente expressis verbis, partes in toto habere esse totius participativè, & in hoc sensu habere perfectius esse in composito, quam in se ipsis, sed præter hoc esse dicit habere etiam esse proprium, aliud ab esse totius: vnde de anima rationali coniuncta, quod l. 9. §. de tertio principali, num. 15. vers. Dico ergo, hæc asserit: videtur ergo ista neganda, quod esse animæ est idem, quod esse totius: quia anima habens esse videtur pars totius habentis esse. Consimiliter videtur esse se habere ad esse. Quod profequitur vers. sequenti, ubi hæc habet de formis materialibus: alia autem forme materiales non manent in suo esse, corrupto toto;

non quia esse earum non fuerit aliud ab esse compositi corrupti: sed quia ipsa corrumpuntur per accidens, &c. ergo in sententia Scoti partes manent in toto retinentes proprium esse, aliud ab esse compositi.

Aliqua argumenta proponit contra nostram concl. Faber, quæ hic omittimus, quia eorum solutio pendet ex difficultatis sequentis resolutione.

SECTIO III.

*AN TOTUM PER SE SUB-
stantiale distinguatur realiter à
suis partibus physicis, simul
sumptis, &
vnitis?*

GRAVISSIMA cenfetur apud omnes difficultas præfens, quam vt claritate aliqua, firmisque principijs resolvamus, ac iuxta Doctoris nostri Subtilis mentem, noto, quidquid dicat Mastrius, quod quæstio non procedit de toto physico; quia reverà nihil aliud physicum datur in toto physico præter materiam formam, & vnionem resultantem ex coniunctione, sive applicatione earum ad invicem. Non enim facile assignabitur aliqua entitas physica, quæ sit distincta realiter à partibus simul sumptis, & vnitis. Quæ namque entitas physica reperitur in Petro v.g. præter corpus, & ani-

mam vnita? Certè nos nullã invenimus. Scotista frequenter de toto, sive composito physico defendunt distingui realiter à partibus simul sumpis, & vnitis. Mirantur contrarij, & Scotistas in hoc irrident, & non miror. Proccedit verò difficultas de toto metaphysico, quomodo Scoti sententiam, non solum probabilem iudico, sed mihi reverà evidens apparet.

SIT IGITUR Scotica conclusio: totum per se substantiale distinguitur realiter à suis partibus physicis simul sumptis, & vnitis. Consultò diximus à suis partibus physicis, quia à Metaphysicis certum est non distingui. Omnes namque vno ore fatentur, quod homo v.g. qui est totum per se substantiale, est animal rationale, quæ quidem sunt partes metaphysicæ ipsius. Neque dubitat aliquis, animal rationale esse essentiam hominis; & essentiam rei non distingui realiter ab ipsa re, cuius est essentia.

Licet aliqui Scotista contrariam sententiam defendentes citent pro se Scotum 1. Phys. quæst. 9. dubitari nequit, nostram conclusionem esse ipsissimam Scoti mentem. Primò, quia cum in 1. Phys. ibi non agat de rebus, sive prædicatis metaphysicis, nisi de rebus physicis, defendit compositum physicum, sive totum substantiale physicè considera-

T tum,

tum, nihil esse præter partes
physicas, nempe materiam, &
formam simul, ac collectivè sumptas,
& unitas, quod etiam propugnamus
nos omnibus, sive ferè cunctis
rationibus, quibus adversarij nostram
conantur oppugnare conclusionem.

Secundò, quia dato, & non
concesso, quod in Phys. contrariam
defensisset sententiam, cù postea
in lib. Met. & in Sent. lib. scripsisset,
vbi contrarium pro viribus defendit,
vt citò videbimus, tenendum est,
quod in Metaphys. & Theol. vbi
maturiùs iam scripsit, retractavit,
quod in Phys. dixerat, vestigia
premens in hoc, sicuti in omnibus,
quæ opinatur, sui Magistri Magni P.
Augustini retractantis, dum
maturiùs scripsit, plura quæ celerè
scripserat antea.

Docet igitur nostram concl.
Scotus Subtilis 8. Met. quæst. 4.
per rotam, vbi clare constat loqui
de toto metaphysico resultante,
& causato à materia, & forma
unitis, tanquam à causis intrinsecis
ipsius, & ab agente naturali,
tanquam à causa extrinseca efficiente.
Distingui namque totum à suis partibus
vt unitis docet expressè num. 2.
§. & vers. Responsio sicut unum,
his verbis: *Singula entia secundum
proprius gradus entitatis, consequitur
immediate propria unitas: sicut
ergo non omnis entitas est unius
rationis, ita nec unitas. Nec est alia*

*ratio diversa unitatis, nisi alia entitas,
quam consequitur. Sicut ergo omnino
simplex se toto est ens, & unum,
ita ens compositum ex principijs
essentialibus eius, sicut materia, &
forma, quæ sola nata sunt aliquod
ens per se constituere, est unum per se,
& hoc propria unitate alterius
rationis ab unitate simplicis, sicut
ab entitate altera est entitas. Vbi
clare propugnat, præter unitates,
& entitates simplices materię, &
formę, dari aliã entitatem, ac
unitatẽ alterius rationis ab illis,
quæ est entitas, & unitas compositi,
sive totius. Ex quibus etiam constat
loqui de composito, ac toto metaphysico,
in quo vna solummodo entitas, &
unitas reperitur; & non de composito
physico, in quo plures dantur
unitates diversę rationis, licet inter
se unitę, nempe entitas, & unitas
materię, entitas, & unitas formę,
& entitas, ac unitas unionis, vnientes
illas formaliter. Constat etiam ex
dictis verbis, totum integrale, &
accidentale, nihil aliud esse præter
eorum partes unitas simul, &
collectivè sumptas: quia ex eis non
resultat alia tertia entitas, nec
unitas, vt amplius constabit infra.*

Deindè §. *difficilia sunt hæc, num. 8. vers. Ad secundum de
novitate, hæc habet; loquendo de
tertia entitate compositi: Hęc
entitas compositi est aliqua entitas
tertia ab entitate materię, & for-
mę,*

ma, & causata ab eis; in illa fit mutatio corruptionis (scilicet quando destruitur totum) quia non est, postquam fuit, & ad illam dicebantur ambo causantia per se: (nèpè per relationem causalitatis ad totum causatum) ideo sequitur mutatio relationis in eis, ad corruptionem relationis in eis: nam corrupto termino, ad quem erat causalitas, qui quidem erat totum, istam etiam corrumpi necessè est. In quibus verbis expressè ac clarè continetur nostra conclusio. Tenet insuper nostram assertum, licèt non tam expressè, in 2. dist. 12. quæst. 1. §. Sed contra hoc obijcitur, num. 14. vers. Respondeo Phil.

Expressissimè docet nostram concl. etiam in 3. dist. 2. quæst. 2. à num. 7. §. quantum ad primum ostendo, & duobus sequentibus, cuius verba, & quia clarissima sunt, & quia ad longam nostram concl. probat, non adducimus. Idè tenet distinctione 22. quæst. vnic. num. 18. §. & versic. Modo ad propositum, sic ait: Natura enim humana non est partes, nec partes unitæ: quia pono, quod natura in se dicit entitatem absolutam ultra partes, ut probavi dist. 2. huius. Et vers. sequenti: Dico igitur, quod homo habet unitatem quandam, & entitatem aliam ab istis partibus etiam unitis, non tamen entitatem partialem, qua cum istis faciat compositum: tunc enim procederetur in infinitum. Potest ne

clarius nostram conclusionem docere? Idem docet §. sed quid logicè, num. 20. vers. Ad secundum, cum dicitur, & vers. sequenti. Id propugnat quodl. 9. §. alio modo, n. 11. vers. Tertius intellectus.

Ratione prob. 1. concil. causa vera, & realis necessariò debet distingui realiter ab illo, quod causat; quia idem non potest, saltem naturaliter, causare se ipsum; sed materia, & forma, quæ sunt partes essentielles physice totius, sunt veræ, & reales causæ verè, & realiter causantes totum per se substantiale: ergo distinguuntur realiter à toto.

Respondent 1. partes compositi, scilicèt materiam, & formam, ut unitas non causare totum, sed divisim sumptas, & sic argumentum concludit de partibus divisim sumptis, & non unitis; minimè verò de eis simul sumptis, & unitis.

Contra: partes compositi ut separatæ nullatenus possunt causare totum; quia impossibile est dari totum, materia, & forma non unitis: ergo ut unitæ causant illud: ergo ut unitæ distinguuntur realiter ab illo.

Licèt aliqui ita respondeant, cenfeo non sic intendere respondere; cum nullus dubitet, partes separatas non causare totum. Fortè igitur conantur respondere, quod estò partes causent totum, ut unitæ; non tamen copulativè sumptæ, nisi seorsim

acceptæ, & sic argumentum concludere, totum distingui realiter à partibus, non simul sumptis, nisi seorsim acceptis, hoc est, à qualibet illarum, quod nullus negat.

Sed contra huiusmodi solutionem etiam arguo 1. partes, causare totum copulativè sumptas, nihil est aliud, quam quod ambæ simul causent totum; sed partes, ultra ut vnitas causare, & quod ambæ simul causent totum, satis ex se liquet: ergo non seorsim, sed copulativè causant.

Contra 2. causa adæquata, ut adæquata est, debet causare, suum causatum adæquatum; sed partes simul, vel copulativè sumptæ sunt causa adæquata totius, & hoc est causatum adæquatum illarum: ergo causant illud coniunctim, ac copulativè sumptæ. Prob. min. materia prima est causa partialis intrinseca, & etiam forma divisim, & seorsim sumptæ: ergo coniunctim, aut copulativè sumptæ erunt causa intrinseca totalis, & adæquata; quia ex omnibus causis intrinsecis partialibus coalescere debet causa intrinseca totalis, & adæquata: sicuti ex omnibus causis extrinsecis efficientibus partialibus coalescit causa extrinseca efficiens totalis, & adæquata.

Confirmatur hoc: quilibet effectus, si e quodlibet causatum debet habere causam adæquatam

in illo genere, in quo habet causam: ergo totum per se substantiale, quod quidem est causatum à materia, & forma, tanquam à causis ipsius intrinsecis, debet habere causam adæquatam intrinsecam; sed nulla alia potest esse, nisi materia, & forma coniunctim, & copulativè sumptæ; quia disiunctivè acceptæ sunt causæ partiales: ergo &c.

Contra 3. materia prima seorsim sumpta est causa totius: (idē dicimus de forma) ergo causat totum, vel saltem aliquid ipsius; sed non causat se ipsam, neque formam, ut satis patet ex se: ergo totum, vel illud aliquid totius, quod causat, neque est ipsa materia, neque forma: ergo est aliquid realiter distinctum ab illis.

Respondebis 2. causas intrinsecas propriè loquendo, non causare totum, sed illud componere, ac constituere.

Contra: Arist. assignavit ad quodlibet totum per se substantiale quatuor genera causarum, inter quas materiam, & formam recenset; sed si non causarent propriè, non essent causæ propriæ contra Phil. ergo propriè loquendo causant totum.

Confirmatur: causa extrinseca, propriè loquendo causat extrinsecè: ergo etiam causa intrinseca, propriè loquendo, causat intrinsecè.

Respondebis 3. causas intrinsecas

fecas non debere distingui à suo causato; nam idè dicuntur intrinsecæ; quia intrinsecè sunt ipsum causatum, ad differentiam extrinsecarum, quæ idè dicuntur extrinsecæ; quia non sunt ipsum causatum, sed sunt entitas, sive entitates realiter distinctæ ab illo.

Sed contra: idem non potest esse causa, adhuc intrinseca sui ipsius: ergo nulla est solutio. Prob. antec. si idem esset causa sui ipsius, licèt intrinseca, materia esset causa sui ipsius, & consequenter nihil aliud esset, materiam causare totum, quàm se ipsam causare, quod est falsum, aliàs etiam vt separata causaret totum, quia vt separata est causata; ergo idem non potest esse causa intrinseca sui ipsius.

Contra 2. illa propositio, scilicèt *causa vera, & realis necessario debet distingui realiter ab illo, quod causat*, quæ est maior argumenti principalis, fundatur in definitione causæ in communi ad intrinsecas, & extrinsecas, quatenus causa est, *quæ influit esse in aliud*, id est, in effectum, vel causatum: ergo falsum est, causam intrinsecam non debere distingui realiter à causato.

Contra 3. habitudo causæ ad causatum est vera relatio realis; sed relatio realis exigit extrema realia realiter inter se distincta, vt in Met. trac. 4. disp. 6. sect. 2. vers. Deinde dividitur: ergo cau-

ta, etiam intrinseca, necessario debet distingui à causato.

Contra 4. quodcumque causatum secundum absolutum suum est posterius natura sua causa, quæcumque sit, etiam secundum absolutum eius, estque dependens ab illa; sed idem nequit esse posterius natura se ipso, neque à se ipso dependere: ergo etiam causa intrinseca debet distingui à causato.

Alteri respondent, quod in causis intrinsecis non datur causa adæquata, & totalis, nisi partialis: vnde dicunt, quod materia, vt vnita formæ disiunctim sumpta est causa totius, à qua asserunt iam distinguitur totum; & idem tenent de forma vt vnita materiæ, etiam disiunctim sumpta: quæ reuera coniunctæ, ac copulativè sumptæ nõ sunt causa intrinseca adæquata totius; quia non causant illud, sed componunt intrinsecè, & constituunt illud: ac perindè simul, & copulativè sumptæ non debent distingui ab illo.

Qui nimirum sic respondent, planè omnia principia philosophica evertunt, vt obstinatè suã defendant conclusionem; quia certè negari non potest, quod quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, sive causatum, quarum vnã sine altera nõ sufficit, dicuntur causæ partiales, & inadæquata, & simul iunctæ integrant, sive adæquant vnã

vniam causam totalem: ergo cum ita se habeant materia, & forma respectu totius, disiunctim sumptæ erunt causæ partiales, & coniunctim, siue copulativè acceptæ erunt totalis, & adequata causa intrinseca totius.

Prob. 2. concl. totum per se substantiale per se primo terminat generationem, & corruptionem 1. Phys. 64. ergo est aliqua substantia præter materiam, & formam simul sumptas, & vnitas. Prob. conseq. nec materia, nec forma per se sumptæ sunt adæquatus terminus generationis, vel corruptionis: ergo neque vt vnitæ. Prob. conseq. quia vt vnitæ solùm dicunt vnionem præter suas entitates; atqui si ipsæ per se non sunt terminus generationis, neque possunt esse eo precisè, quod eis addatur vnio: ergo. Prob. min. vnio est accidens relativum, vt vidimus supra; sed quod non est terminus generationis substantialis, nequit fieri talis per quodcumque aliud accidens additum illi: ergo &c.

Prob. 3. quia totum per se substantiale ponitur directè in prædicamento; sed materia, & forma simul sumptæ, & vnitæ non collocantur in prædicamento: ergo distinguuntur realiter à toto. Prob. min. quia adhuc vt vnitæ sunt duo entia partialia diversis essentijs atomis constituta: ergo vt vnitæ nequeant

collocari in prædicamento.

Prob. 4. ex materia, & forma vnitis resultat tertia vnitas individualis, quæ nec est vnitas individualis materiæ, neque formæ, neque duæ simul: ergo distincta realiter ab illis: ergo alicuius entitatis distincta realiter ab illis; atqui ista est totum resultat ex materia, & forma vnitis: ergo &c. Prob. antec. ex materia, & forma vnitis resultat vnitas individualis hominis; sed vnitas individualis hominis nõ est vnitas materiæ, neque formæ, vt ex se patet, neque ambæ simul: ergo. Prob. vltima pars minoris: vnitas individualis hominis est vna, & non plures; sed vnitas materiæ, & vnitas formæ simul sumptæ non est vna, sed duæ: ergo vnitas hominis non est vnitas materiæ, & vnitas formæ simul sumptæ: ergo alia distincta; atqui quævis vnitas individualis habet suam entitatem, ac speciem atomam, cum qua identificatur realiter: ergo ex materia, & forma vnitis resultat aliqua tertia entitas distincta realiter ab illis simul sumptis, & vnitis, & hæc est totum per se substantiale.

Confirmatur ex Scoto in 3. dist. 2. quæst. 2. num. 7. §. & vers. *Quantum ad primum*, quia si totum per se substantiale non esset nisi coniunctum ex materia, & forma vnitis, tunc non esset magis vnum; quàm totum per

accidens, quod quidem non est per se vnum, cum etiam totum per accidens sit coniunctum ex subiecto, & accidente vnitatis.

Respondent, quod vnitatis per se compositi substantialis respicit entitates partium vnitatis per modum per se actus, & per se potentiae, quae sic sunt vna entitas vnitatis per se compositi; & sicut compositum non est ens simplex, sed compositum, ita eius vnitatis non est simplex, sed composita; neque requiritur, ut compositum substantiale sit magis per se vnum, quam compositum per accidens, quod detur maior distinctio illius a suis partibus, sed quod detur maior vnitatis, & maior proportio suarum partium; in hoc enim posuit Arist. 8. Met. tex. 15. & 2. de Ani. cap. 1. vnitatem per se compositi substantialis, & non in illa maiori distinctioe a suis partibus, quae potius impedire videtur hanc maiorem vnitatem; quia eo ipso quod aliquid sit magis vnum, minus addit; quam illud, quod est minus vnum.

Sed contra istam solutionem instatur 1. quia valde diversa est vnitatis, qua aliqua inter se distincta dicuntur vnum per vnitatem, sive quia inter se sunt vnitatis, ab vnitatis, qua aliquid dicitur vnum per identitatem, sive quatenus in suo esse non continet intrinsece entitates reali-

ter inter se distinctas; quia illa dicit duo, vel plura, inseparata, sive vnita, sed realiter inter se distincta; haec autem dicit vnum in se indivisum, sive non continens in suo esse intrinseco duo, vel plura realiter inter se distincta; atqui vnitatis compositi substantialis, ut istud dicit partes inter se vnitatis, est vnitatis vnitatis, quam vnitatem etiam dicit totum per accidens, ut ex se patet; ergo vnitatis totius per se debet esse vnitatis identitatis, alias non esset maior, quam vnitatis totius accidentalis; ergo totum per se substantiale, quod revera vnitatem identitatis dicit, quid distinctum realiter est a suis partibus simul sumptis, & vnitatis.

Instatur 2. licet partes compositi substantialis respiciant se invicem, ut per se actus, & per se potentia, adhuc tamen per hoc, non plus sunt vnum ens per identitatem, nec minus sunt entia realiter inter se distincta, quam substantia, & accidens, quae sunt partes compositi accidentalis, adhuc dato, quod per hoc dicantur magis vnita partes compositi substantialis, quam accidentalis partes; ergo ideo totum per se est magis vnum, quia est vnum per identitatem, hoc est, non includens in suo esse intrinseco plures entitates inter se distinctas realiter; ergo totum per se aliqua entitas est realiter distincta ab ipsis parti-

bus

bus simul sumptis, & vnitis.

Ad alia, quæ adducunt in solutione, tam ex Phil. quam ratione, satisfiet in solutione argumentorum, vbi quomodo totum per se substantiale dicatur compositum, ad differentiam totius per se substantialis simplicis, vt est Angelus, cum per nos in suo esse intrinseco non includat partes, ex quibus componatur? Explicabo.

Deindè respondent, idem esse à parte rei compositum dici per se vnum, ac dicere partes per se vnitas; quia ista diuersitas pendet solum ex diuerso modo concipiendi idem obiectum à parte rei; nam cum dicimus, hominem esse per se vnum, concipimus eius entitatem implicite; cum verò dicimus, corpus, & animam esse per se vnita, & ex eis fieri per se vnum, concipimus eandem hominis entitatem explicitè, vnde nulla tertia entitas hinc potest inferri, alioquin etiam inferri deberet ex lapidibus aggregatis, & dicere, quod acervus lapidum est totum distinctum realiter à lapidibus, ex quibus constat, simul sumptis, & aggregatis; sed hoc non: ergo neque illud.

Sed contra hoc militant omnes rationes allatæ, probantes distinctionem realem totius per se à suis partibus simul sumptis, & vnitis, & aliæ proponendæ, quæ reverà locum non habent

in acervo lapidum, in quo nullam aliam entitatem, neque vnitatem inuenit intellectus, præter vnitates singulorù lapidum, & aggregationem eorum ad invicem, quæ aggregatio, nec est vnitas individualis alicuius entitatis absolutæ, nec est vnio physica lapidum, sed proximitas, sive indistantia localis vnorum ab alijs; at verò, vt manet probatum, homo est vnus vnitate indivisibili, sive identitatis, quomodo corpus, & anima non sunt vna, sed distincta inter se realiter, & physice vnita, quæ quidem valde diuersa sunt, non solum quoad modum concipiendi, verum & à parte rei independenter à quacumque intellectus consideratione.

Prob. 5. concl. dantur aliquæ proprietates in homine v. g. vt risibilitas, cum ipso homine realiter identificatæ, quæ non sunt proprietates materiæ, neque animæ, neque vnionis: ergo tales proprietates sunt distinctæ realiter à corpore, & anima vnitis, & simul sumptis. Antec. quoad omnes suas partes est certum; quia nullus dubitat, risibilitatem v. g. esse proprietatem hominis in quarto modo. Quod autem talis non sit corporis, neque animæ, neque vnionis, satis ex se patet. Conseq. prob. nulli entitati, eo quod cum aliâ vnietur potest advenire per identitatem realè ali-

quod

Quod prædicatum, à quo independenter ab vnione, siue vnione seclufa, distinguitur realiter; sed risibilitas distinguitur realiter à corpore, & anima, seclufa vnione, & ab ipsa vnione, nam vnio est accidens relativum, & risibilitas, est proprietas substantiæ, nempe hominis: ergo risibilitas distinguitur realiter à corpore, & anima simul sumptis, & vnitis.

Respondebis, quod risibilitas, & aliæ huiusmodi proprietates conveniunt homini ratione alicuius partis.

Sed contra, & rogo: per convenire homini risibilitatem ratione alicuius partis, vel intelligunt identificari realiter cum aliqua parte, nempe cum illa, ratione cuius dicunt convenire homini, vel intelligunt ratione talis partis resultare risibilitatem identificatam realiter cum homine, & à tali parte realiter distinctam. Si primum, iam manet probatum contrarium, aliàs etiã si talis pars esset sine vnione, identificaretur cum risibilitate; quia prædicata, quæ cum aliqua entitate identificantur, repugnat semper non identificari, quomodolibet existat talis entitas. Si secundum, ergo iam ex partibus vnitis, licet ratione alicuius partis resultat risibilitas, distincta realiter ab ipsis partibus, vt vnitis, sicut probat argumentum; atqui risibilitas est

proprietas totius per se substantialis, nempe hominis, cum illo realiter identificata: ergo etiam totum per se substantiale, scilicet homo, resultat ex corpore, & anima distinctum realiter ab illis simul sumptis, & vnitis.

Prob. 6. concl. efficaci, meo videri, ratione. Arguo in hunc modum: ex materia prima, & anima rationali, simul sumptis, & vnitis resultat, seu fit totum per se substantiale distinctum realiter ab ipsis simul sumptis, & vnitis: ergo à materia prima, & qualibet alia forma substantiali etiam: ergo totum per se substantiale distinguitur realiter à suis partibus physicis simul sumptis, & vnitis. Prob. antec. in quo tota est difficultas: ex materia prima, & anima rationali vnitis resultat, seu fit homo; sed homo est totum per se substantiale realiter distinctum à materia, & anima rationali simul sumptis, & vnitis: ergo &c. Mai. apud omnes est certa: Et etiam prima pars minoris, nempe quod homo est totum per se substantiale: vnde cum consequentia sequatur, solum secunda minoris pars erit probanda, scilicet quod homo distinguitur realiter à materia prima, & anima rationali simul sumptis, & vnitis, quam sic probò: homo est animal rationale; sed animal rationale distinguitur realiter à materia prima, & anima ratio-

nali simul sumptis, & unitis: ergo. Prob. min. in primis distinguitur animal, deinde etiam rationale; ergo. Probata prima parte, sequitur evidenter secunda; quia animal, & rationale identificantur realiter, ac per consequens ab omni illo, quod unum distinguitur realiter, debet, & aliud distingui. Ultra quod, sicuti probatur de animali, & de rationali probari poterit, servatis servandis. prob. iam prima pars antecedentis: in primis animal distinguitur realiter à materia prima, deinde etiam ab anima rationali, & denique etiam ab unione: ergo distinguitur realiter à materia prima, & anima rationali simul sumptis, & unitis. Conseq. est certa, supposito antecedenti; quia materia, & anima unitæ, nihil aliud est, quam materia, anima, & unio; ergo si cum nulla istarum identificatur realiter animal, ab omnibus simul distingui realiter, necesse est. Quod distinguitur animal realiter ab unione, in sententia omnium distinguendum illam à partibus (quæ erat tertia pars antecedentis) certissimum est; quia animal est substantia, & pars metaphysica essentialis, licet potentialis, sive generica hominis; unio verò est accidens, vel modus substantiæ, & conditio sine qua non. Apud defensantes unionem consistere in ipsis partium entitatibus,

prob. iam contra ipsos, & omnes alios prima, & secunda pars antecedentis: si animal non distingueretur realiter à materia, identificaretur realiter cum illa; (& eodem modo suaderetur distingui etiam ab anima) sed hoc est falsum: ergo & quod non distinguitur. Mai. est certa; quia illa dicimus non distingui realiter, quæ realiter identificantur. Min. prob. si animal identificaretur realiter cum materia prima, ista esset animal, adhuc separata ab anima, & sine vlla forma existens, vel existens cum forma lapidis v.g. sed hoc non dices: ergo neque quod animal identificetur cum illa dicere debes. Mai. est certa; quia, ut manet dictum, prædicata identificata nequeunt amitti, adhuc de potentia Dei absoluta. Min. etiam est constans, aliàs lapis esset animal. Conseq. sequitur.

Respondebis, verum esse, quod animal non identificatur realiter cum materia prima, sed distinguitur realiter ab illa; sed hinc non sequi distingui à partibus simul sumptis, & unitis; quia (ais) identificatur realiter cum anima rationali. Sic responsum fuit mihi aliquando in thesibus publicis; nec video quid aliud dici possit, si non conceditur animal distingui realiter à materia, & forma.

Sed contra hanc solutionem insto: ergo anima rationalis existens

fiens separata à materia, v.g. anima D. Petri est animal. Concedis conseq. & consequenter esse rationale illa rationalitate, quæ est differentia metaphysica specifica, ac constitutiva hominis; quia non est maior ratio, vt anima separata sit animal, quàm vt sit rationale, quod est differentia metaphysica hominis. Ex quo infero: ergo in anima separata datur adæquata essentia hominis: ergo anima separata est homo: ergo vt detur homo, non requiritur essentialiter materia prima: ergo neque vt detur leo, neque quodlibet aliud totum per se substantiale; quia in sola forma salvabitur tota essentia illius, sicuti in sola anima rationali tota hominis essentia, quæ omnia sunt absurda, sicut & plures aliæ consequentiæ, quæ ex concessis sequuntur.

Deindè probatur evidenter, animal distingui realiter, sive non identificari realiter (quod idem est) cum anima rationali, & arguo sic: nullum animal est anima rationalis: ergo omne animal distinguitur realiter ab anima rationali. Conseq. sequitur, quia si hæc concedatur, *nullum animal est homo*, nequit negari ista: *ergo omne animal distinguitur realiter ab homine*; quia idem est vnum non esse aliud, ac distingui realiter ab illo. Nunc autem prob. antec. hoc syllogismo in prima figura, &

in secundo modo, nempe *celarent* constructo: nullum corpus est anima rationalis; sed omne animal est corpus: ergo nullum animal est anima rationalis: ergo quia omne animal distinguitur realiter ab anima rationali. Mai. syllogismi est certa; quia anima rationalis est spiritus, sive spiritualis, & certissimum est, quod nullum corpus est spiritus, sive spirituale. Min. etiam est constans; quia de animali prædicatur corpus, vt genus intermedium prædicamenti substantiæ; nam vt vidimus in Log. tract. 2. disp. 3. sect. 4. sic præfatum prædicamentum ordinatur: *substantia* est genus supremum, *corpus*, quod quidem sub *substantia* collocatur, est genus intermedium, & etiam *vivens* sub genere *corpus* collocatum; *animal* verò, quod genus infimum est talis prædicamenti, collocatur sub illis: ac per consequens tria dicta genera supra *animal* collocata, verè de animali prædicantur, quia realiter identificantur cum illo: & sic omnes istæ propositiones sunt certæ: *omne animal est substantia*; *omne animal est corpus*; *omne animal est vivens*. Consequentia negari nequit, concessis præmissis; quia syllogismus est rectè constructus in modo *celarent*, qui est vnus è quatuor primis, ac perfectis primæ figuræ directè concludentibus.

Probita iam nostra Scotica conclusione, non solum Doctoris Subtilis auctoritatibus, verum etiam efficacibus rationibus ab ipso desumptis. Prob. etiam Philosophi auctoritatibus. Et 1. ex 2. de Ani. tex. 2. & 7. Met. cap. 3. & lib. 11. cap. 3. ubi dividit substantiam in tria membra, scilicet in materiam, formam, & compositum, dixitque tres esse substantias: ergo ex Phil. totum per se substantiale tertia substantia est realiter distincta à materia, & forma.

Respondent, quod per compositum intelligit Phil. materiam, & formam unitas, non verò aliquid distinctum ab illis, ita ut sensus sit: alia substantia est materia, alia forma, & alia materia cum forma.

Sed contra, quia hoc esset manifesta negatio; nam si totum aliud non est, quam forma, & materia simul; non deberet ponere totum esse substantiam condistinctam ab illis; sed deberet dicere, materiam, & formam esse duas substantias, & totum non esse aliam substantiam, præter has duas unitas. Et patet; quia ex unione hypostatica naturæ humanæ Christi D. cum personalitate Verbi, non resultat tertia entitas distincta ab illis ut unitis, nequit dici quod dentur tres substantiæ, Divina scilicet, humana, & totum, nisi duæ unitas, Divina nempe, & hu-

mana; ergo cum Phil. asserat dari tres, materiam scilicet, formam, & totum substantiale, vult quod totum non sit solum illæ duæ substantiæ unitas, sed alia realiter distincta ab illis duabus simul sumptis, & unitis.

Confirmatur: & supponamus per possibile, vel impossibile materiam, & formam non esse unitas, sed solum aggregatas, in hoc casu nequiret Phil. dicere esse tres substantias, materiam scilicet, formam, & aggregatum, sed esse duas aggregatas; atqui non alia ratione, nisi quia illud aggregatum nihil aliud esset, quam materia, & forma simul sumptæ, & aggregatæ: ergo cum Phil. asseret, esse tres substantias, nequit intelligere, totum esse materiam, & formam unitas, sed aliam substantiam distinctam ab illis simul sumptis, & unitis.

Secundò prob. ex 8. Met. text. 15 ubi ait Phil. omne, quod plures partes habet, & non est totum quasi coacervatio, ipsum totum est aliquid aliud præter partes: ergo ex Phil. totum per se non est ipsæ partes, sed aliquid aliud distinctum ab illis simul sumptis, & unitis.

Respondent, quod Arist. locutus fuit de partibus, non simul sumptis, & unitis, nisi secundum se acceptis, cum quibus comparat totum, asserens, aliquid aliud dicere præter illas, quod

quod verum est, cum includat modum vnionis realem, quem non includant partes secundum se; non verò (dicunt) locutum fuisse de partibus, vt vnitis, quia vt sic nihil aliud sunt nisi totum.

Sed contra; quia si benè dependantur loca adducta Arist. clarè videbitur, mentem ipsius esse, quod totum supra partes non addit solùm simplicem modum vnionis, sed quamdam tertiam substantiam distinctã realiter à partibus simul sumptis, & vnitis; quia in tribus primis locis, vbi dividit substantiam in materiam, formam, & compositum, seu totum, planè per totum, seu compositum non intelligit modum vnionis; quia vnio non est compositum, aut totum. Deindè, quia vnio non est substantia, sicut asseritur ibi esse totum, sed est relatio prædicamentalis, vt diximus disp. 5. sect. 1. & in sententia aliorum ad summum est modus quidam substantialis.

Insuper, in 8. Metaphysicæ textu 15. quærens Philosophus quomodò ipsum compositum sit vnum ex pluribus entibus? sub textu 16. exclusit inter alios quemdam dicendi modum, qui omnino coincidit cum modo opinandi Recentiorum. Ait enim: *Ob hanc quærem dubitationem, quidam participationem aiunt, & causam quamdam participationis,*

quidam copulam animæ, quidam compositionem, aut coniunctionem animæ cum corpore. Et paucis interpositis, reddens huius rei rationem, ex propria sententia ait, quod per se actus, & per se potentia vnum sunt nata facere: ergo in hoc loco non intelligit Arist. totum præter partes dicere solam vnionem illarum, nec partes vnitas; quia sic non sunt vnum quid, sed plura vnita: ergo vult, quod sit aliqua tertia substantia distincta realiter à partibus simul sumptis, & vnitis.

Denique probatur nostra conclusio ex Symbolo D. Athanas. vbi de Christo D. hæc recitantur: *Qui licet Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conversione Diuinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ; sed vnitæ personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus. Vbi quia dicit, quod Deus, & homo vnus est Christus, sicuti anima rationalis, & caro est vnus homo, dixerat prius, non confusione substantiæ, sed vnitæ personæ, vt credamus, quod Christus non est aliqua entitas, siuè aliquod totum distinctum realiter à natura humana, & personalitate Verbi simul sumptis, & vnitis; quia si ita esset, iam illa tertia entitas, nempe Christus, nec esset substantia.*

stantia Dei, nec substantia hominis, sed alia distincta, in qua confunderetur substantia Dei, & hominis: sicuti in homine confunditur substantia materiæ primæ, & animæ rationalis; quia homo est alia substantia distincta ab illis aliàs non erat necessè, ad dicendum, quod Deus, & homo est vnus Christus, sicut caro, & anima vnus homo, animadvertere quod Christus non erat vnus confusione substantiæ, si homo etiam esset vnus non confusione substantiæ: ergo quia homo est vna tertia substantia, quæ non est materia, & anima vnita, & in qua substantia istarum non est formaliter, sed virtualiter, & confusa: sicuti in mixto elementa in communi sententia.

*SOLVUNTUR ARGUMENTA
contraria.*

SIT primum argumentum ex D. Aug. 3. de Trinit. cap. 4. vbi ait, quod homo nihil aliud est, quàm anima, & corpus: ergo non distinguitur ab eis iuxta D. Aug.

Resp. 1. ex Bassol. non ita loqui D. Aug. in loco allegato, nec alibi.

Resp. 2. dato, quod sic loquatur S. Doctor, loqui in esse physico, quomodo verum est, quod homo non est aliud, sed vt sic nõ est homo nisi principiativè;

quia corpus, & anima sunt principia intrinseca, ex quibus resultat homo; qui formaliter inspectus est distinctus realiter à corpore, & anima vnitis, vt principium à suo principio.

Eodem modo debet explicari D. Athanas. in Symbol. asserens, quod anima rationalis, & caro vnus est homo, hoc est, principiativè, non verò formaliter. Quod patet ex vltima probatione conclusionis: siquidem supponit esse vnum hominem confusione substantiæ, quomodo dicit, quod Deus, & homo non est vnus Christus, nempe confusione substantiæ; & si homo non esset quid distinctum à corpore, & anima, non esset vnus confusione substantiæ, nisi solum vnione formæ cum materia.

Sit 2. argum. D. Dion. de Cœlesti Hierarchia ait, quod mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio: ergo quia homo ex D. Dion. nihil aliud est, quàm partes vnite.

Resp. eodem modo, scilicet, quod non est substantiæ physice consumptio, licet sit substantiæ metaphysice. Et quod loquatur S. Dion. de substantia physica, patet; quia voluit contra quosdam declarare, quod in morte hominis anima non consumitur, sed tantum à corpore separatur.

Sit 3. arg. ex D. Damasc. asserens

rente de Verbo, quod nunquam dimissit, quod semel assumpsit; sed si resultaret tertia entitas ex partibus unitis, quæ sit totum, istam dimississet Verbum in triduo mortis: ergo ex D. Damasc. non datur talis tertia entitas.

Resp. 1. D. Damasc. loqui de his, quæ extiterunt semper, adhuc in triduo mortis, ut fuerunt corpus, & anima, quibus adhuc in triduo fuit unitam; non verò loquitur de illo, quod per aliquod tempus non extitit, ut homo in triduo, huic enim non erat unitum; quia non dabatur, & sic Verbum in triduo non fuit homo.

Resp. 2. Verbum non dimississe aliquid, quod assumpsit post resurrectionem. Et in hoc sensu loquitur Divus Damasc. ut tenet Amicus citatus à Mastrio hic disp. 5. quæst. 13. art. 1. num. 175. vers. Resp. bene explicari, constatque ex ipso textu D. Damasc. Alteri alias afferunt expositiones, sed dictæ sufficiunt.

Sit 4. arg. ex Phil. 4. Phys. 23. afferente, totum nihil esse præter partes. Et 2. de Ani. text. 7. non oportet quærere, si unum est anima, & corpus, sicut neque cæra, & figura. Et text. 10. sicut oculus est pupilla, & visus, ita anima, & corpus est anima: sed hic non loquitur Phil. in sensu causali, nisi formali: ergo &c.

Resp. Arist. in locis adductis loqui de toto in esse physico,

quomodo verum est nihil esse præter partes, neque oportet quid aliud physicum quærere nisi corpus, & animam quemadmodum verum est, non loqui in sensu causali, scilicet de causa totius in esse physico; non verò si intelligatur de toto in esse metaphysico; quia ut sic totum physicum est causa intrinseca totius in esse metaphysico sumpti, ut vidimus ex mente ipsius Philosophi. Aliquæ aliæ auctoritates, tam Philosoph. quam SS. PP. solent contra nos afferre, quibus, sicuti prædictis, respondetur.

In tabis: Arist. 1. Phys. docet, materiam, & formam nõ solum esse principia in fieri, sed etiam in facto esse; quia remanent in composito. Et 2. Phys. definit naturam, quod sit principium eius, in quo est text. 3. & postea text. 10. dividit naturam in materiam, & formam. Et text. 28. loquens de causis intrinsecis, ait, materiam esse, ex qua inexistente res fit, & formam esse quod quid est rei. Et 8. Phys. ostendit, quædam à principio intrinseco moveri, quod est forma. Et 1. de Gener. text. 23. docet, materiam eandem remanere in genito, & corrupto; sed si totum distingueretur realiter à materia, & forma unitis, non est intelligibile, quomodo sint in toto, si quidem totum non est unitum cum partibus: neque quomodo totum moveatur à principio intrinse-

co, movendo se à forma: ergo dici debet, quod ex mente Philosophi totum non distinguitur à partibus simul sumptis, & unitis: & etiam ex Scoti mente idem asserentis varijs in locis, vt vidimus sect. 2. vers. Prob. 2. *authoritatibus Scoti.*

Resp. conc. totum antec. & neg. vniversaliter min. Quia partes sunt in toto, & totum in partibus, non per identitatem; quia, vt vidimus, non solum ex Phil. & Scoto, verum etiam à ratione, totum distinguitur realiter à partibus: neque per vnionem; quia ista, vt manet dictum supra, non datur inter totum, & partes; sed sunt per inexistenciam necessariam, & mutuam compenetracionem: & hoc est, quod volunt Phil. & Subtilis Doct. vt satis ex ipsorum verbis patet: & quia apertè docent, vt observavimus, totum per se distingui realiter à materia, & forma simul sumptis, & unitis. Deindè cum forma sit principium intrinsecum totius, ratione cuius convenit toto ab intrinseco moveri, dicitur totum moveri à principio intrinseco, quod est forma.

Sit 5. argum. à ratione: si materia, & forma unita non essent totum per se substantiale, sed alia tertia entitas resultans ex illis, distincta realiter ab eis, nec totum per se substantiale esset compositum physicum constans

materia, & forma physicis, nec compositum physicum esset vnum per se; sed hæc sunt contra omnes Philosophos communiter: ergo dicendum est, quod totum per se substantiale non distinguitur realiter à materia, & forma simul sumptis, & unitis. Prima pars maioris patet ex se. Secunda etiam est certa in nostra sententia; quia dicimus totum per se debere esse vnum, non per vnionem, sed per identitatem; & compositum physicum est vnum non per identitatem; quia materia, & forma, ex quibus constat, non sunt vna res per identitatem, (siquidem adhuc in composito realiter ab invicem distinguuntur realiter) nisi per vnionem. Min. etiam constat ex modo loquendi Philosophorum communiter asserentium, totum per se substantiale dividi in simplicem, & compositum, & simplicem esse, quod non constat ex actu, & potentia physicis, & compositum quod constat, & componitur ex eis, vt materia prima, & forma substantiali, homo v.g. Quod totum per se communiter vocant vnum per se, & compositum per se substantiale. Consequentia sequitur.

Confirmatur: quia si totum per se deberet esse vnum per identitatem, vt nos asserimus, compositum ex materia, & forma substantiali unitis non esset totum per se: ergo esset totum

per accidens; quia non datur medium; sed hoc nequit dici: ergo ad totum per se substantiale non requiritur, quod sit vnum per identitatē, sed sufficit, quod sit vnū per vnionem, dummodo ex partib⁹ vnitis vna sit per se actus, & alia per se potentia.

Confirmatur 2. quia si materia, & forma vnitæ non essent vnum per se, nisi per accidens, non esset ratio cur materia prima esset per se potentia, & forma substantialis per se actus, & tales non essent subiectum, & forma accidentalis.

Resp. ad argum. dist. primam part. mai. sic: nec totum per se substantiale esset compositum physicum constans materia, & forma physicis formaliter, conc. præsuppositivè, neg. & secundam sic: nec compositum physicum esset vnū per se principiativè, neg. formaliter, & idèticè conc. & neg. min. & conseq. Probatio mai. quoad vtramque partem solum probat illam in sensu concessio in distinctione. Min. solum est vera apud Philosophos negantes totum distingui realiter a partibus simul sumptis, & vnitis; non verò apud Scotum, & suos asserentes firmiter, quod compositum substantiale, prout constat materia, & forma substantiali vnitis, non est totum per se, sed aia tertia entitas distincta realiter à composito, prout istud est formaliter mate-

ria, & forma vnitæ. Cum hoc tamen stat, quod totum dicitur compositum physicum, nō quia ipsum includat in sua formali entitate materiam, & formam in esse formali earum, sed quia includit illas in alio esse, eminentiali, quomodo per identitatem relucet in toto. Et similiter cōpositum substantiale, prout in suo esse formali nihil est aliud quàm materia, & forma vnitæ, dicitur vnum per se; quia vt sic est principium intrinsecum à quo ita necessariò resultat totum per se, vt non possint esse partes vnitæ sine toto, neque totum sine illis: vndè partes vnitæ, dicuntur esse in toto per se, & totum per se in partibus vnitis, non per identitatem, neque per vnionem inter partes vnitas, & totum, sed per inexistenciam, & compenetracionem eorum. Hinc est, quod multoties totum per se sumitur pro partibus physicis vnitis, & compositum physicum, siue partes vnitæ pro toto per se; at hoc non in sensu rigoroso loquendo, cum ab invicem distinguantur realiter, sed in sèlu prædicto in distinctione maioris.

Respondeo secūdò, quod partes vnitæ sunt compositum activum, & hoc non est vnum per se formaliter; quia formaliter pluribus cōstat vnitatibus realiter inter se distinctis; sed tamē sunt totum per se principiativè; quia

sunt principium seu causa intrinseca adæquata causans totum per se: & hoc totum per se causatum est compositum physicum, non activum; quia non includit partes physicas in suo esse; sed est compositum physicum passivum, quatenus scilicet causatur à partibus physicis unitis, quæ unitæ sunt totum physicum activum; vnde in hoc sensu totum per se dicitur compositum physicum, scilicet passivum; & compositum physicum activum dicitur totum per se, nempe principiativè.

Ex dictis constat ad anteced. primæ confirmationis, & dist. consequens: ergo compositum physicum esset totum per accidens præcisè, neg. esset totum per accidens in suo esse, & totum per se principiativè, conc. Et hoc est medium inter totum per se, & totum per accidens. Et dist. etiam ultimum consequens: ergo ad totum per se substantiale formaliter sumptum non requiritur, quod sit vnum per identitatem, neg. principiativè acceptum, conc. hoc est, illud totum, quod habet principia intrinseca, nõ requirit, quod illius principia sint vnum quid per identitatem, nisi per unionem, id est requirit, quod principia sint inter se distincta realiter, & realiter unita, tanquam per se actus, & per se potentia. Vnde si totum nõ esset tertia entitas distincta

à partibus unitis, quæ sit quid vnum per identitatem, sed esset solum ipse partes unitæ, totum substantiale non magis esset vnum per se, quam totum per accidens; quia istud etiam constat subiecto, & forma unitis, quod docet Scotus in 3. dist. 2. quæst. 2. nu. 7. §. & vers. *Quantum ad primum*, & num. 8. §. & vers. *De secundo dico*.

Resp. ad secundam confirmationem neg. sequelam. Materia namque prima, & forma substantialis non sunt per se potentia, & per se actus; ita ut ipsæ prout unitæ constituent formaliter vnum per se; nam ipsæ ut unitæ non sunt vnum per se, ut vidimus; sed dicuntur tales; quia nata sunt causare vnum per se, tãquam causæ intrinsece illius, quod nullatenus habent subiectum, & forma accidentalis, ut ex se patet, & fortè videbimus amplius infra.

Et si quæras: quare forma substantialis nata est cum materia prima causare vnum per se, & non forma accidentalis cum subiecto?

Resp. ex Scoto in 4. dist. 11. q. 3. §. *secunda ratio*, num. 44. vers. *Et si quæras*, & duobus sequentibus, quod si quæretur de ratione in se, nulla est, nisi quia una est forma substantialis, & alia accidentalis: sicut nulla est ratio, quare calidum calefacit. Si verò quæretur de ratione quoad no-

stram

stram cognitionem, dicemus nos cognoscere à posteriori formam substantialem esse per se actum, & materiam primam per se potètiā; quia causant vnum per se, nempe totum substantiale, quod non faciunt subiectum & forma accidentalis, nisi componere vnum per accidens, videlicet vnum, non per identitatem, nisi per vnionem plurium inter se realiter distinctorum. Alias rationes affert Scotus, vt suadeat intentum in 2. dist. 12. quæst. 1. & in 3. dist. 22. qu. vnic. sed brevitatis gratia, quia dicta sufficiunt, illas omittimus.

Sed contra apposita instabis: quantò magis aliqua distant, ràtò minùs nata sunt facere per se vnum; sed materia, & forma maximè distant: ergo &c. Prob. min. materia, & forma sunt alterius, & alterius rationis: & vna habet rationem potètiæ, rationemque actus altera: ergo maximè distant.

Resp. ex Scoto in 2. dist. 12. q. 2. §. respondeo ad quæst. num. 6. vers. Ad argumenta principalia, dist. mai. quantò magis aliqua distant, tantò minùs nata sunt facere per se vnum per vnionem, neg. per identitatem, sub dist. formaliter, conc. principiativè, neg. Etiam dist. min. sed materia, & forma maximè distant in entitate, & essentia, conc. in proportione vnibiliù, neg. & etiam consequentiam.

Conc. antec. probationem minoris, & dist. consequens, sicuti min. ipsam distinxi. Quæ enim minùs distant in essentia, & entitate, distant magis in proportione vnibiliù, vt patet in duabus formis eiusdem rationis, & in materia, & forma. Ex materia namque, & forma non dicimus fieri vnum formaliter vnitate identitatis, sed vnitate vnionis, & principiativè vnum vnitate idètitatis quatenùs scilicèt materia, & forma vnità sunt principia, & causæ intrinsecæ principiantes, & causantes totum per se substantiale, quod quidem, vt probatum reliquimus, est vnum vnitate identitatis.

Vrgebis: partes homogeneæ continui, vt partes aquæ v. g. magis efficiunt vnum, quàm partes etherogeneæ; quia illa sunt eiusdem rationis; hæ autem diuersæ, & efficiunt magis vnum vnitate vnionis: ergo illa maior, quantò magis aliqua distant, tantò minùs nata sunt facere per se vnum. Est absolutè, & vniuersaliter verum: ergo non debet distingui, sed absolutè concedi.

Resp. neg. antec. quia licèt verum sit, quod quælibet pars homogenea continui, sit eiusdem rationis cum alia, non facit cum illa vnum per se, nisi vnum integrale, constans pluribus vnitatibus, siue vnis per identitatem, inter se vnitis ad integrandum aliquod totum, siue compositum

integrale: quod etiam faciunt partes integrales etherogeneæ, licet sint diverse rationis; quia eadem est in illis proportio unibilium nempe ut partes integrales solummodo.

Sit 6. arg. materia, & forma constituunt totum; sed constitutiva non distinguuntur realiter à constituto: ergo neque materia, & forma unitæ à toto substantiali. Prob. mai. materia, & forma causant ipsum totum; sed non possunt aliter causare totum, nisi ipsum constituendo: ergo constituunt illud.

Confirmatur: materia, & forma sunt idem essentialiter cum toto, & in eo intrinsecè continentur: ergo non distinguuntur ab illo. Prob. conseq. quod est essentialis, & intrinsecum alicui, non distinguitur realiter ab illo: ergo &c.

Resp. ad argum. neg. mai. Licet enim materia, & forma constituant compositum physicum; quia hoc nihil aliud est, quam materia, & forma unitæ; non tamen constituunt totum per se; quia hoc est alia entitas distincta realiter à materia, & forma unitis, quæ quidem constituitur per sua prædicata metaphysica; v.g. homo non constituitur per materiam, & animam rationalem, nisi per hæc prædicata *animal rationale*.

Resp. ad confirmationem eodem modo, scilicet quod materia, &

forma sunt idem essentialiter cum composito physico, & sunt intrinsecè in illo; non verò cum toto per se substantiali; quia huius non sunt nisi principia essentialia, sive causæ essentialis intrinsecè causantia illud. In quo enim distinguantur causæ intrinsecæ ab extrinsecis, cum omnes distinguantur realiter à causato? Fortè examinabimus infra.

Sit 7. argum. si totum per se substantiale distingueretur realiter à partibus unitis, homo v.g. à corpore, & anima, sequeretur, quod homo (idem dico de quolibet alio toto per se, servatis servandis) nihil esset, & etiam quod non viveret; sed hæc nequeunt dici: ergo. Prob. 1. pars mai. non esset corpus, cum ab eo ponatur distingui, neque anima ob eandem rationem; sed nihil aliud est in homine, nisi corpus, & anima: ergo esset nihil. Secunda pars prob. vita est effectus formalis, & proprietas animæ: ergo si homo distingueretur realiter ab anima, homo non viveret.

Resp. neg. utramque partem mai. Ad probationem primæ, concessa secunda parte maioris, dist. primam: non esset corpus organicum, quod revera est pars compositi, conc. non esset corpus distinctum realiter à corpore organico, nego. Etiam dist. min. nihil aliud est in homine, nisi

nisi corpus, & anima (loquimur de corpore organico, vt supponit argumentum) tanquã principia, & causã intrinsecã hominis, conc. tanquam quid essentialiale, & intrinsecum illius, nego, & etiam conseq. Ad secundã partis probationem concessa secunda parte antecedentis, dist. primam: vita est effectus formalis animã respectu materiã, sive corporis, quod informat, & vivificat, conc. respectu totius, nego, & dist. conseq. etiam: ergo si homo distingueretur ab anima, homo non viveret vita animã formaliter, conc. vita propria essentiali ipsius formaliter, & principiãtivẽ vita animã, nego. Licet homo non sit illud corpus, quod est altera pars compositi, neque illa substantia, quã est anima, neque vivat formaliter vita animã; eo quod ab illis distinguatur realiter; tamen homo essentialiter est substantia, corpus, vivens, &c. distinctum realiter à corpore, & anima. Imò vita identificata cum homine, cum sit vita vegetativa, & sensitiva, nequit esse vita animã, quã est purẽ spiritualis.

In Instabis: ergo in homine dantur plures animã. Prob. conseq. dantur plures vitã, scilicet vegetativa, sensitiva, & intellectiva; sed sola intellectiva, vtpotẽ spiritualis, est vita animã rationalis: ergo aliã dantur animã, scilicet vegetativa, & sensi-

tiva, quarum sint vita vegetativa, & sensitiva.

Resp. pro nunc (relinquendo ad tract. de Ani. examen, quippẽ an dentur tres animã in homine) neg. conseq. Ad cuius probationem conc. mai. nempẽ dari duas vitas realiter inter se distinctas, quarum vna est duplex formaliter ex natura rei distincta. Conc. etiam min. & neg. conseq. In homine v. g. dantur per identitatem vitã vegetativa, & sensitiva, quã realiter, & identicẽ vna vita est solummodò, & duã formaliter ex natura rei distincta: sicuti vivens, & sentiens vnum solummodò est predicatum realiter, & identicẽ, & duo formaliter ex natura rei distincta. Istã namque vitã hominis, nempẽ vegetativa, & sensitiva, non sunt vitã alicuius, vel aliquarum animarum, quẽ sint formã physicẽ hominis, sed sunt predicata essentialia, vel saltem proprietates realiter identificatã cum homine; vita verò intellectiva, cum sit purẽ spiritualis, non est predicatum essentialiale, neque proprietas hominis cum ipso identificata, vtpotẽ corpore; sed est essentialiale quid, vel proprietas identificata cum anima: & sic dicitur esse in homine, non per identitatem, neque per unionem, sed per inexistentiam, & compenetracionem, vt de ipsa anima manet dictum: ex quibus clarẽ sequitur, quod

licet in homine dentur vita vegetativa, & sensitiva, & etiam vita intellectiva, non datur nisi vnica anima, nempe rationalis, & hæc non per identitatem, neque per vnionem cum homine, sed per inexistenciam necessariam, & mutuam compenetracionem, à qua, & materia prima disposita vnitis, tanquam à causis intrinsicis resultat, & causatur vita vegetativa, & sensitiva, sicuti & ipse homo, cuius sunt prædicata essentialia generica.

Quomodo autem rationale, quod est prædicatum essentialiale, & specificativum hominis, sit principium discursus, cum sit distinctum realiter ab anima rationali, præterquam quod nihil aliud est in homine principium discursus, secundum datam doctrinam? Infra videbimus;

Replicabis contra hoc: ergo homo non intelligit, nec discurret: ergo rationale, quod est prædicatum constitutum specificum hominis, non est principium discursus contra omnes Philosophos. Prima cõseq. prob. illud solam potest dici, quod intelligit, & discurret, quod producit, & recipit intellectionem; sed quod producit, & recipit intellectionem est anima rationalis, à qua, per nos, distinguitur homo realiter: ergo anima, & non homo intelligit, & discurret. Hinc sequitur secunda consequentia; quia illud solum est

principium discursus, quod est virtus productiva, & receptiva discursus; sed ista est intellectus, quæ est potentia identificata realiter cum anima, ac per consequens realiter distincta à rationali constitutivo specifico hominis, utpotè cum homine identificato, & à quo anima realiter distinguitur: ergo rationale constitutum specificum hominis non est principium discursus, nisi intellectus, qui identificatur cum anima, & distinguitur realiter à rationali, quod est constitutum specificum hominis. Vrgens videtur hæc instantia.

Cui resp. ex Scoti doctrina quodl. 9. a num. 11. §. *alio modo*, à vers. *Tertius intellectus*, nego absolute primam consequ. & dist. secundum consequ. ergo rationale, quod est constitutum specificum hominis, non est principium discursus formaliter, concedo, præsuppositivè, nego. Ad probationem primæ consequ. cont. mai. & dist. min. sed quod producit, & recipit intellectionem est anima primò, & immediatè, conc. secundò, & mediatè, nego, & similiter dist. consequens: ergo anima intelligit, & discurret primò, & immediatè, conc. secundò, & mediatè, nego, & non homo primò, & immediatè, conc. secundò, & mediatè, nego. Hinc etiam ad probationem secundæ consequ. resp. conc. mai. & dist. min. sed intellectus est virtus

tus productiva, & receptiva discursus primò, & immediatè, conc. secundò, & mediatè, nego, & dist. etiam conseq. ergo rationale constitutum specificum hominis non est principium discursus primò, & immediatè, conc. secundò, & mediatè, nego. Homo namque ex vna parte, & corpus organicum, ac anima rationalis vnita ex alia, licèt realiter distinguantur, non debent considerari ita inconnexa, & separabilia, ac cætera, quæ realiter distinguantur, & nullum est causa, & principium intrinsecum alterius, sicut anima, & corpus organicum vnita hominis, sed debent considerari ita inseparabilia, ac connexa, ad invicemque inexistencia, & compenetrata, quod licèt homo formaliter sumptus distinguatur realiter ab illis, homo absolutè dictus dicit ipsam entitatem hominis in se distinctam realiter à suis partibus vnitis, & præsuppositivè, tanquam principia intrinseca illius, ipsas partes inter se vnitas: vndè operationes totius dicuntur partium secundò, & mediatè, & operationes partis, vt animæ, secundò, & mediatè dicuntur totius: quia operationes denominativè sunt suppositorum, & partes subsistunt in toto, istius subsistentia.

Et ne liberè prolata arbitretur hæc doctrina, vltra quod fundatur in distinctione reali

totius per se à suis partibus physicis simul sumptis, & vnitis, quæ authoritatibus Sanctorum, Philosophi, & Scoti, ac evidentè ratione probata manet, affero quæ circa hoc tenet Subtilis Doct. loco allegato, licèt aliquantulum immorer. Sic igitur alloquitur: *Intellectio non est primè alicuius materialis, tanquam proximi receptivi, sed eius receptivum proximum, & proprium est forma, non illa totius, quæ est quidditas, sicut est humanitas, sed illa, quæ est simplex, & altera pars compositi, qualibet autem operatio sensitiva est primò compositi ex materia, & forma, sicut principij receptivi, sicut patet in principio de sensu, & sensato: non enim ipsa anima est immediatè receptiva visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata parte corporis est proxima ratio recipiendi visionem, nec est anima, nec aliquid animæ, nec illa forma mixtionis, quæ est in determinata parte corporis, sed forma totius organi eo modo, quo humanitas est forma totius hominis, est proxima ratio recipiendi visionem.* Et per totum §. prosequitur intentum sua claritate, & subtilitate.

Sit 8. arg. si totum distingueretur realiter à partibus vt vnitis posset esse sine illis; sed hoc est falsum: ergo &c.

Resp. ex Scoto in 3. dist. 2. qu. 2. §. quantum ad tertium, num. 11. vers. Et ideo illud Commentatoris,

& dist. 22. quæst. vnic. num. 13. §. & vers. *Quantum ergo ad istum art. neg. mai.* quia totum dependet essentialiter à partibus unitis; & quod dependet essentialiter ab aliquo, licet ab illo distinguatur realiter, nequit sine illo existere; aliàs dependentia iam non esset essentialis.

Instabis: ergo saltem partes unitæ possent existere sine toto. Prob. consequ. quia partes unitæ non dependent à toto, suntque natura priores; atqui ex Scoto, ut diximus in Theol. tract. de Trinit. disp. 2. sect. 9. à vers. *Sextus ordo dicitur natura*, quod est prius natura alio, distinctamque realiter ab illo, potest sine illo existere: ergo si totum distingueretur realiter à partibus simul sumptis, & unitis, istæ possent existere sine toto; atqui hoc repugnat: ergo & quod totum distinguatur à partibus simul sumptis, & unitis.

Resp. neg. cons. ad cuius probationem conc. mai. & dist. min. quod est prius natura alio, distinctamque realiter ab illo, potest sine illo existere absolute, neg. secundum quid, vel sine contradictione, conc. & similiter dist. consequens. Nego min. subsumptam in sensu, quo conceditur min. distincta, & neg. consequens. Ut salvetur distinctio realis inter totum, & partes simul sumptas, & unitas, sufficit, quod distinguatur ab illis, & unione

secundum se acceptis; quia ut manet probatum, quod identificatur cum alio, nequit ab illo distingui, nec è contra, adhuc de potentia Dei absoluta: ergo cum totum distinguatur à partibus secundum se acceptis, etiam si istæ inter se uniantur, non poterit cum illis iam identificari.

Quod autem partes, licet sint natura priores toto, non possint, ut unitæ, absolute sine toto existere, provenit ex eo quod sunt causa intrinsecæ totius, à quibus totum non producitur actione physica, & reali; sed dimanat, sive resultat ex illis, tanquam ex per se actu, & per se potentia, quæ genera causalitatis nequeunt suppleri à Deo, neque impediri proximè, nisi remotè, scilicet impediendo unionem.

Quod etiam evenit in relationibus; nam si sint intrinsecus advenientes, positis extremis, non potest Deus impedire earum resultantiam, nisi remotè, hoc est, destruendo, sive impediendo unum saltem ex extremis: & si sint extrinsecus advenientes, impediendo conditionem necessariam ad illam, videlicet approximationem extremorum, vel aliquid aliud, uti fuerit relatio. Quod partes unitæ sint natura priores nõ obest; quia Scotus non ait, absolute posse existere prius natura sine posteriori; sed posse sine contradictione, ut docuimus loco citato vers.

Circa quod noto. Et quod partes vnitæ, licet non possint esse sine toto, quia necessariò resultat istud ab illis; tamen nõ est contradictio quod existant sine illo: sicuti neque essetia sine proprietatibus, quam etiam, ait Scotus, esse priorem illis natura.

Sit 9. arg. sequeretur, quod Verbum Divinum prius assumpsisset corpus, & animam, & deinde humanitatem, sive totum; sed oppositum docet Scotus: ergo &c. Prob. mai. partes sunt prius natura, quàm totum: ergo prius vnirentur, & distincta vnione.

Resp. conc. mai. & neg. min. Dum enim Scotus in 3. dist. 2. qu. 2. ait Verbum prius assumpsisse naturam humanam, sive totum, quàm partes, non loquitur de assumptione, & vnione simpliciter; quia sic partes fuerunt prius natura vnitæ, & suis distinctis vnionibus; sed loquitur de assumptione ad personalitatem, vt patet ex solutione ipsius ad secundum argum. vbi ait, quod quia partes non sunt personabiles, sed totum, licet Verbum prius natura vnietur partibus; posterius tamen ad personandum; quia istæ non personantur, nisi in toto. Quod ergo detur distincta vnio ad totum, non est inconueniens, imò est necessarium; quia ad distinctam terminum distincta requiritur relatio.

Sit 10. arg. sicut dicitur to-

tum per se fieri ex materia, & forma substantiali, sive, quod idem est, ex per se actu, & per se potentia: ita dicitur totum per accidens fieri ex subiecto, & forma accidentali: totum integrale ex partibus integralibus: & totum per aggregationem ex partibus aggregatis: ergo dicendum est, vel quod tota per accidens, integrale, & per aggregationem, distinguuntur à suis partibus simul sumptis, & vnitis, vel aggregatis, vt fuerit totum, vel quod totum per se non distinguitur à suis.

Resp. neg. antec. Totum namque per accidens, (idem asserimus de totibus integrali, & per aggregationem, seruat seruantis) cum nihil sit præter suas partes simul sumptas, & vnitas; & nihil fiat ex se ipso, idèd nequit dici totum per accidens fieri ex suis partibus vnitis, sed est suæ partes vnitæ. Imò si propriè sit loquendum, neque debet dici fieri ex suis partibus, adhuc sigillatim sumptis, sed componi ex illis; at verò de toto per se nunquam sentit Philof. quod est materia, & forma vnitæ, sed quod fit ex illis, tanquam ex principijs, seu causis intrinsecis; quia istud distinguitur ab illis simul sumptis, & vnitis.

Sed instabis 1. probando totum per accidens, v.g. paries albus, distingui à suis partibus simul sumptis, & vnitis, authori-

rate Scoti in 3. dist. 2. quæst. 2. §. quantum ad primum, vbi docet, vnum per accidens non esse suas partes, sicut vnum per aggregationem: ergo &c.

Resp. Doct. Subtilem cum Phil. docere, totum per accidens esse magis vnum, quam totum per aggregationem; quia vnitas aggregationis est infimus gradus vnitatis, & vnum per accidens addit super illud vnitatem informationis. Deindè ait cum Phil. totum per accidens non esse suas partes; quia vltra addit vnionem, quam non dicit totum per aggregationem. Addo, quod quæst. allegata à num. 9. §. quantum ad tertium, expressè docet, totum per accidens non esse vnum per se, hoc est, vnica vnitate constans, sed pluribus, videlicet vnitate subiecti, & vnitate formæ: ergo quia sustinet totum per accidens non distingui ab illis simul sumptis, & vnitis.

Instabis secundò: probando totum integrale, & totum per aggregationem distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, sive aggregatis, & probas ex Arist. primò ex 5. Met. cap. 14. vbi asserit, *sex* non esse *bis tria*; sed numerus *sex* est totum purè integrale, sive per aggregationem, cuius partes integrales sunt *bis tria*: ergo ex Arist. totum integrale, & totum per aggregationem non est suæ partes simul sumptæ, & vnitæ,

sive aggregatæ. Secundò ex 7. Met. cap. 17. vbi ait, quod syllaba *ba* non est *B.* & *A.* sed tertium aliud; atqui syllaba *ba* est totum purè integrale, sive per aggregationem, cuius partes sunt *B.* & *A.* ergo &c. Quod etiam docet Scotus in 3. dist. 2. quæst. 2. num. 7. §. quantum ad primum. vers. Tertio potest argui. Vbi hac eadem paritate syllabæ *ba* probat, totum distingui à suis partibus simul sumptis, & vnitis: ergo ex Phil. & Scoto totum integrale, & totum per aggregationem distinguuntur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, sive aggregatis.

Resp. ad primum locum Arist. 1. Philof. velle, *sex* non esse *bis tria* seorsim sumpta; non verò simul accepta, quod verissimum est, sed non contra nos.

Resp. 2. dato, & non concesso, quod Arist. non disiunctim, sed simul, & collectivè sumat ibi *bis tria*, dico, loqui non de vnitatibus, ex quibus, tam numerus *sex*, quam numerus *bis tria*, tam ex materia, sive subiecto numeri pro formali accepti constant, sed loqui de ipso numero pro formali, quasi diceret, quod numerus *sex* vnitatum, non est numerus *bis trium* vnitatum, quod verum est, vt numeri sunt formaliter; nam *sex* vnitates non sunt numerus pluralis ternarij, sed singularis, & ternarij est numerus pluralis, siquidem sunt

sunt duo ternarij ; sed hoc non est totum integrale distingui à suis partibus, sed esse distinctam formam rationis, quæ constituit numerum singularem, sive vnus ab illa, quæ constituit numerum pluralem, sive duorum.

Ad secundum locum Arist. resp. etiam loqui de *B.* & *A.* seorsim sumptis ; non verò simul acceptis, & vnitis, sive aggregatis.

Secundò resp. quod licet loquatur de eis simul sumptis, & vnitis, sive aggregatis, hoc adducit, non vt argumentum, sed vt exemplum, vt præsertim se explicat, dum ait totum per se distingui à suis partibus simul sumptis, & vnitis ; & in exemplis non attenditur omnimoda paritas. Valet igitur paritas tantum in hoc de syllaba, & carne, quod sicut dissolutis *A.* & *B.* non ampliùs remanet syllaba *ba* : ita dissolutis partibus essentialibus carnis, non ampliùs remanet caro, atque adeò vtrumque totum, nempe per se, vt est caro, & integrale, sive per aggregationem, vt est syllaba *ba*, supra partes addit vnionem, sive aggregationem earum, sed ex hoc nequit deduci, quod caro non addat aliquid aliud præter vnionem partium, sive præter partes simul sumptas, & vnitas. Et Scotum allegatum loqui in eodem sensu, patet euidenter ex dictis,

vbi vidimus, expressè docere totum per se distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis ; minimè verò totum per accidens, neque integrale, neque totum per aggregationem.

Sit II. argum. si totum distingueretur realiter à suis partibus vnitis, vel distingueretur ab eis secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem : non primo modo ; quia sic, secundum omnes partes suas (hoc enim significat ly *secundum se totum*) distingueretur ab omnibus partibus suis, quod implicat ; nec secundo modo ; quia tunc secundum vnã sui partem distingueretur realiter ab omnibus partibus suis, quod pariter implicat ; quia in illis omnibus etiam involvitur illa pars, secundum quam distingui ponitur : ergo nullatenus distinguitur realiter à suis partibus vnitis.

Resp. totum distingui à suis partibus simul sumptis, & vnitis secundum se totum. Et nego suppositum alterius partis dilematis, scilicet, *vel distinguitur secundum aliquam partem sui*, vbi supponitur includere in suo esse intrinsecè, sive per identitatem partes físicas, quarum secundum aliquam distinguatur, quas dicimus totum non includere, aliàs non distingueretur rea-

liter ab illis. Undè neg. ly non primo modo, scilicèt quod non distinguitur secundum se totum, & nego suppositum illius causalis, quia sic secundum omnes partes suas distingueretur ab omnibus partibus suis; quia supponit includere in suo esse suas partes physicas, à quibus distingui dicimus. Et nego etiam, quod ly secundum se totum significet secundum omnes suas partes physicas, nisi secundum totam suam entitatem, quæ tota dicitur distingui ab illis. Nihil enim distinguitur ab alio nisi secundum suum esse: ergo cum esse totius sit esse distinctum ab esse partium, dicere totum distingui à partibus, supponit non distingui ab illis secundum ipsas, nisi secundum intrinsecum, & essenziale esse ipsius totius.

Instabis totum non includit in suo esse partes physicas: ergo non est compositum, sed simplex.

Resp. conc. antec. & dist. primam partem consequentis: ergo non est compositum activè, seu principiativè, conc. nõ est compositum passivum, seu principiatum, nego. Totum enim non est partes componentes, sed quid distinctum realiter ab illis resultans, & causatum: & sic non est compositum activum, sed passivum, hoc est, causatum à partibus, ut componentibus. Ex quo

neg. 2. partem cõsequentia; quia ut aliqua entitas sit simplex non solum activè, verum neque passivè debet esse composita, ut diximus in Theol. tra&. de Essent. & Attribut. Dei, disp. 3. sect. 3. in solutione ad 1. argum.

Sit 12. arg. si totum esset tertia entitas realiter distincta à partibus simul sumptis, & unitis, vel esset corporea, vel incorporea; quia vna, & eadem indivisibilis entitas nequit esse corporea, & incorporea; sed in homine non est maior ratio, cur sit corporea, quàm spiritualis, cum non minùs concurrat anima, quàm corpus ad ipsius constitutionem: ergo dicendum est, quod homo non distinguitur realiter à suis partibus physicis simul sumptis, & unitis, & consequenter nullum totum per se substantiale à suis partibus.

Resp. quod dicta tertia entitas est corporea; non solum totum quod fit ex partibus materialibus, ut leo v. g. sed etiam homo, qui fit ex parte materiali, & spirituali, & neg. min. Mai. ratio, quæ datur est; quia effectus, ad quem necessariò, & essentialiter requiruntur duæ causæ, in illis, quæ in eadem entitate reperiri repugnant, ut corpus, & spiritus v. g. cum ob hoc non possit sequi duas suas causas, sequitur debiliorem, & imperfectiorem: idèd homo resultans ex parte

corporea, & ex parte spiritali, evadit corpus, & non spiritus.

Instabis: ergo duo corpora erunt in eodem loco, nempe corpus, quod est altera pars hominis v.g. & ipse homo; sed hoc repugnat: ergo etiam quod homo sit corpus, vel quod distinguatur à partibus.

Resp. dist. conseq. ergo duo corpora erunt in eodem loco, sub eadem quantitate, conc. sub diversis quantitatibus, neg. similiter dist. min. Quia cum ratione quantitatis corpora expellant ad invicem ab eodem loco, si plura corpora sint sub eadem quantitate, nullum expellet aliud. Homo enim licet sit corpus, & extensum, non est extensum ratione alterius quantitatis ab illa, quæ est in illo corpore, quod est altera pars hominis, sed ratione illiusmet, ideoque in eodem compatiuntur loco, imò necessario debent esse in eodem loco.

Instabis adhuc: ergo geminanda erunt omnia accidentia materialia, ut quantitas, cicatrix, color, &c. Prob. conseq. hæc omnia accidentia remanent in cadavere, homine mortuo: ergo alia similia dabantur in homine ante mortem.

Resp. neg. conseq. ad cuius probationem conc. antec. & neg. conseq. Ipsamet accidentia, quæ reperiuntur in corpore, homine mortuo, conveniunt, & di-

cuntur de homine, dum vivit, non primò, immediatè, & ratione sui, nisi secundò, mediatè, & ratione corporis, quod est altera pars physica illius: sicuti diximus supra de operationibus proprijs animæ, servatis servandis.

Sit 13. arg. totum nequit intelligi sine partibus: ergo non solum non distinguitur ab illis realiter, verum neque formaliter.

Resp. dist. antec. totum ut compositum est passivum, nequit intelligi sine partibus, conc. totum quidditative sumptum, neg. & etiam conseq. Totum ut compositum passivum, est totum, ut causatum à partibus, & ut sic est correlativum partium, quomodo nequit cognosci, quin partes cognoscantur, sicuti evenit in quibuslibet alijs correlativis; quia sunt simul natura, & cognitione, ut ait Phil. ex quo non solum non probatur indistinctio, verum distinctio realis concluditur; quia correlativa debent distingui realiter. At verò sumpto toto quidditative, bene potest cognosci, quin cognoscantur partes, cognito enim animali rationali, non est necesse cognoscere materiam primam, & animam; & cognito animali rationali, cognoscitur homo, qui est totum.

LIBER II.

PHYSICORVM.

POSTQVAM de principijs entis naturalis, tam in fieri, quam in facto esse egit Philosophus, vt vidimus in antecedenti libro, disputat præterea de omni genere causarum in hoc secundo; præmissa prius de Natura, & Arte disputatione. Quamobrem semel, atque iterum sub diuersis considerationibus, naturæ scilicet, & causæ de materia, & forma differit. De his omnibus, Duce semper Nostro Subtilissimo Magistro, suo ordine in hoc secundo Physicorum libro venimus agendum.

DISPUTATIO I.

DE NATVRA, & ARTE.

MULTIPLICITER vsurpari solet natura, sed ad præsentem lib. sub vnica tantum consideratione attinet. Vnde nõ sumimus hic naturam pro Deo, qui cõmuniter natura naturans appellatur ad creaturam differenciam, quæ naturæ naturatæ dicuntur, eo quod producantur à Deo,

iuxta quod dixit D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 7. supra hanc nostram naturam esse aliam, non creatam, sed creatricem. Neque sumitur pro essentia cuiuslibet rei, in quo sensu dicimus definitionem explicare naturam rei. Neque pro vniuersitate rerum omnium creatarum, in quo sensu asserimus esse in rerum natura, quod existit à parte rei. Neque accipitur pro naturalibus causis, quatenus scilicet secundum propensionem innatam operantur, quo sensu dicimus, naturam aborrere superfluum, vacuum non permittere, &c. Neque sumitur pro temperamento, seu complexionem viventis ex quatuor qualitatibus resultante. Neque pro agente absque electione, & libertate, vt sunt bruta, & plantæ, quæ naturaliter dicuntur agere. Sumitur verò in præsentem pro principio operationum naturalium, naturaliter rem aliquam consequentium,

**

SECTIO I.

QVID SIT NATURA?

NATURAM in sensu, quo hic accipimus definit Arist. & cum eo Philosophi cuncti sic: *Est principium, & causa motus, & quietis eius; in quo est primo, & per se, & non per accidens.* Istam definitionem tradit ex Phil. Subtilis Doct. & explicat illam hic quest. 3. Et prius notat, quod *natura* est nomē relativum, quia significat substantiam in ordine ad motum, & operationes naturales.

Ponitur in definitione *principium, & causa*, & ait Scotus adhiberi non tanquam distincta, sed tanquam quæ convertuntur; sed hoc non debet intelligi ex natura rei; quia, ut diximus in 1. lib. disp. 1. sect. 1. latius patet principium, quam causa; sed intelligi debet circa subiectam materiam, de qua in præsentī agitur; nempe de principio intrinseco entis naturalis, & de causa intrinseca illius, quomodo causa, & principium certum est converti. Unde, ait Scotus, quod ista copula & non capitur copulativè, nisi expositivè, scilicet *ly &* ponitur pro *id est*, quia si dicat, *natura est principium, id est, causa.* Et hoc tenet Scotus, quia vnus terminus potest esse magis notus vni, & alius magis notus alteri.

Et noto, quod secundum aliquos, prout modò definitur natura, comprehendit tam principium activum, quam passivum; (quia diversimodè sumendo naturam, certum est vtrumque comprehendere, definitionemque posse adaptari) aliam alij adducunt explicationem dictæ particulæ, & etiam sequentis. Nos verò illam solum, ut de mente Scoti expendimus, quæ ipsius sententiæ adaptatur, sumpta natura, non in quavis acceptione, nisi ut debet in præsentī sumi, nempe prout principium motus violenti, & neutrius contraponitur. Cateuū namque erit solum modò de nomine disputare.

Illæ aliæ particule, *motus, & quietis, sive movendi, & quiescendi*, loquendo actualiter, non debent sumi copulativè præcisè, taliter quod solum illud principium sit natura, quod actū sit causa motus, & quietis simul, sed taliter quod ad rationem naturæ sufficiat, quod actū sit causa, vel motus solum, vel solum quietis. Neque sumi debet distinctivè præcisè, taliter quod solum sit natura illud principium, quod actū est causa motus solum, vel tantum quietis, & non illud, quod actū est causa motus, & quietis simul; sed debet sumi utroque modo, nempe quod ad rationem naturæ sufficit quod actū sit causa vnus, vel alterius, scilicet motus, vel quietis.

tis, & non obest, quod actū sit causa vtriusque simul; at verò aptitudinaliter sumitur copulativè.

Ly motus non sumitur solum pro locali, neque solum pro productivo, sive pro motu ad formam productam, neque pro instantaneo tantum, neque pro succelsivo præcisè, sed pro quolibet motu corporeo; quia quilibet motus corporeus pertinet ad Physicæ considerationem.

Deindè, *ly quies* non accipitur pro mera carentia motus; quia sic est purum nihil, cuius non est principium, neque causa; sed sumitur pro perseverantia, formæ alicuius in composito.

Particula illa, *eius in quo est*, ponitur ad denotandum, quod ut aliquod principium sit natura, debet esse principium motus, vel quietis illius, compositi scilicèt, cuius est principium, qua particula excluduntur à ratione naturæ omnia illa principia, quæ extra suum compositum producant aliquas formas, ut forma ignis v.g. respectu caloris in aqua producti.

Denique, *primò, & per se, & non per accidens*, ponitur ad significandum, quod ut principium sit natura debet convenire composito essentialiter, & non accidentaliter: vnde solum materiæ, & formæ substantiali poterit ex hac particula ratio

naturæ convenire. Vel meliùs poni dicitur ad denotandum, quod solum illud principium est natura, ratione cuius per se, & independentè ab alio motus, & quies sunt naturales composito.

Noto, obijcibiliter, quod licèt Cœlū non habeat in se principium motus, & quietis localis, ob quod talis motus non sit naturalis Cœlo, sed neuter; tamen eius materia, & forma sunt natura; quia sunt principia, & causæ motus ad qualitates proprias Cœli, & etiam quietis ipsarum qualitatū in Cœlo. Idem dico de quolibet alio composito physico, dummodò eius partes physice essentielles sint principia, & causæ alicuius motus, & quietis.

Deindè est notandum, quod corpus simplex, si daretur, non esset natura, neque materia, & forma separata, si separata existèrent, etiam si essent principia motus, & quietis aliquarum qualitatū, quas reciperèt; quia non essent principia, & causæ alicuius, cuius esset motus, & quies, quos producerent, & reciperent, quod ad naturam requiritur in sensu, in quo hic sumitur, ut vidimus ex definitione Aristotelis.

Sed adhuc obijcies: motus, & quies opponuntur privativè: ergo idem nequit esse principium vtriusque.

Resp. neg. antec. quia quies ut dixi-

diximus supra, non sumitur pro
meta carentia motus, sed pro
perseverantia formæ, ad quam
fuit motus in subiecto. Neque
obest, ut idem sit principium
utriusque, quod secundario op-
ponantur privativè; quia motus
dicit carentiam quietis, & quies
carentiam motus; nam hoc pro-
venit ex eo quod dicant inter se
successionem, nempe tanquam
via ad terminum. Quod patet
in quibuslibet successivis, quo-
rum partes etiam habent idem
principium, & necessariò vna
dicit carentiam alterius, aliàs
successivæ non essent.

SECTIO II.

VTR. TAM PRINCIPIO ACTI-
vo, quàm passivo rat. o natura
conveniat?

VT à quæst. de nomine de-
clinemus, ultra adnota-
tum in principio disp. videlicet
plures esse modos, quibus solet
sumi natura, iterum observo,
quod natura, ut sumitur hic à
Phil. debet esse illud, si strictè ac-
cipiatur, quod est principium
motus, & quietis, non utcum-
que, nisi ratione sui, quod vult
Phil. declarare per illam defini-
tionis particulam, *primò, & per
se, & non per accidens*: vnde quod
tale principium est, non ratio-
ne sui, sed ratione alterius, licet
sit natura in sensu magis lato;

non verò in isto strictiori sen-
su. His prænotatis.

SIT CONCLUSIO: princi-
pium activum, ut tale, non est
natura, prout definitur hic ab
Arist. sed solum principium passi-
vum. Licet Scotus hic quæst. 3.
doceat principium activum esse
naturam. Nostrum assertum pro-
pugnatur à Scoto expressè 5.
Met. cap. 4. num. 29. vers. *Sed ad-
vertendum, quod hoc*. Et in Prolo-
go quæst. 1. nu. 25. §. *ad argumen-
ta pro opinione Arist.* vers. *Ad cõ-
firmationem rationis*. Vbi licet di-
cat principium activum etiam
esse naturam, ait non prout su-
mitur hic, scilicet prout est prin-
cipium motus contradistincti
motui violento, & neutri, nisi
prout est principium naturale,
quatenus principium naturale
contraponitur arti. Quomodo
etiam accipit naturam quæst. 3.
allegata, vel prout motus, sive
effectus est iuxta naturalem exi-
gentiam principij activi. Docet
etiam expressissimè nostram cõ-
clusionem in 2. dist. 2. quæst. 10.
§. *concedo quod potest*, num. 9. vers.
Tamen propter unum. Hæc sunt
verba Doctoris: *Tamen propter
unum verbum Philosophi, addo ul-
tra, quod motus iste non est natura-
lis in se, ex hoc quod habet princi-
pium activum in se: sed solum ex
hoc, quod mobile habet principium
intrinsicum passivum naturaliter
inclinans ad motum*. Eadem ex-
pressionem loquitur dist. 18. quæ-

unic. num. 5. §. arguitur contra illud, ubi à veris. Præterea, natura ut est, tenet, quod principium activum intrinsecum est natura, sed non ratione sui, nisi ratione principij intrinseci passivi. Insuper incaleat hanc doctrinam in 4. dist. 43. quæst. 4. num. 2. & 3. §. intelligendum est hoc.

Deindè, concl. est Philosophi varijs in locis dicentis, naturam esse principium, ut recipit, & ut patitur, ut liquet ex 2. Phys. 71. & 3. Phys. 8. asserentis; movètia mota esse physica considerationis, non sic movètia non mota: ergo quia in præsentia accipit Phil. naturam pro principio passivo, & nõ pro activo. Etia in eodem 2. Phys. 71. text. 3. definiens naturam iuxta lectionem Græcorum ait, esse principium, ut moveatur, & quiescat, ex text. 5. exemplificans de his, quæ secundum naturam sunt, dicit, ut ignem ferri sursum, & 8. Phys. text. 32. ait, gravia, & levia naturaliter moveri, quia principium habent intrinsecum patiendi.

Ratione prob. concl. & quidem quod principio passivo, v.g. principio receptivo frigiditatis in aqua, conveniat ratio naturæ modo dictæ, patet ex se, quia tota definitio Philos. tradita convenit illi; nam est principium primò, & per se, & non per accidens aquæ, cuius est motus ad frigiditatem, & quies in illa.

Maiores diffic. est, an etiam conveniat principio activo, ut tali, quod non convenire asserimus in concl. Et prob. ut aliquid sit natura, prout in præsentia sumitur ab Arist. non sufficit, quod sit principium, & causa motus, seu formæ iuxta exigentiam activam ipsius causæ, sed ultra requiritur, quod sit principium, & causa motus, seu formæ receptæ in illo, cuius est principium; neque hoc adhuc sufficit, sed requiritur ultra, quod sit principium, & causa motus, seu formæ receptæ primò, & per se, & non per accidens in illo, cuius est principium, quod est natura, quæ omnia constant ex naturæ definitione Aristotelica, eiusque explicatione lect. antecedenti apposita; atqui principium intrinsecum aquæ v.g. productivum, & activum frigiditatis in illa, quæ activum est, non est id, propter quod frigiditas est connaturaliter in aqua, sive aquæ naturalis, aut connaturalis primò, & per se, nisi valde per accidens: ergo principium activo, quatenus activum est, non convenit Aristotelica definitio naturæ. Min. prob. 1. quia frigiditas producta in aqua à principio intrinseco ipsius aquæ, potest etiam produci in illa à principio extrinseco ipsi; atqui licet à principio extrinseco produceretur, esset naturalis, sive connaturalis aquæ, quia

quia tam aqua, quam frigiditas essent eiusdem naturæ: ergo non est frigiditas connaturalis aquæ primò, & per se, quia est à principio activo intrinseco aquæ, nisi valde per accidens.

Eadem min. prob. 2. si per possibile, vel impossibile, supposito in aqua principio activo frigiditatis, non esset in illa principium passivum innatè appetens frigiditatem, nisi reués illam, etiam si frigiditas in illo casu produceretur in aqua, & activè esset à principio intrinseco aquæ, frigiditas non esset naturalis, siue connaturalis aquæ, nisi violenta: ergo quia valde per accidens se habet principium intrinsecum activum, ut tale, ad hoc, ut forma sit naturalis, siue connaturalis composito, cuius est principium.

Prob. 2. conclus. simili ratione: illud principium est natura, in sensu in quo hic accipitur natura ab Arist. ratione cuius motus aliquis est naturalis composito, cuius est principium, prout naturale opponitur violento, & distinguitur à neutro; sed solum ratione principij passivi motus, seu formæ, ad quam est motus, hoc convenit motui: ergo &c. Prob. min. ideo motus, siue alia quæcumque forma dicitur naturalis, quia recipitur in principio passivo habente inclinationem, siue propensionem naturalem ad ipsam formam, &

ideo dicitur violenta, quia recipitur in subiecto renitente ipsam formam, & denique ideo dicitur neutra, quia recipitur in subiecto, nec innatè appetente, nec renitente talem formam, nùm talis forma introducatur activè à principio intrinseco compositi recipientis illa, nùm à principio, & causa extrinseca illi: ergo quod motus, vel forma sit naturalis, aut non, attenditur penes principium passivum, & non penes activum; atqui natura est principium, à quo eius motus dicitur naturalis composito: ergo est principium passivum, quia passivum, & non activum, quia activum.

Confirmatur: illa est causa formalis, & per se præcisè essendi motum naturalem, qua posita, & quovis alio circumscripto, ponitur, motum esse naturalem, & qua ablata, quovis alio posito, non ponitur motum esse naturalem; sed posito principio passivo habente inclinationem naturalem ad motum, & quolibet principio activo circumscripto per possibile, vel impossibile, ponitur motum receptum in tali principio passivo esse naturalem, & circumscripto tali principio passivo, etiam si quodcumque principium activum talis motus ponatur, motus non est naturalis: ergo motum esse naturalem præcisè, & formalissimè attenditur penes

principium passivum: ergo solum principium passivum motus est natura in sensu quo hic sumimus naturam.

SATISFIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum ex Phil. in hoc 2. lib. cap. 2. tex. 3. afferente, naturalia distingui ab artificialibus, quia hæc non habent principium sui motus in se; illa vero sic; atqui tam artificialia, quam naturalia habent in se principium passivum: ergo ex principio activo concluditur naturalitas: ergo non principium passivum, sed activum est natura.

Confirmatur: quia Phil. non excludit medicinam à ratione naturæ, ex eo quod sit principium activum sanitatis, nisi ex eo quod sanabili conveniat medicina accidentaliter: ergo quando principium activum convenit per se, cui moveretur, ut aqua, dum ex se moveretur ad frigiditatem, principium activum, est natura.

Resp. arg. Phil. velle, naturalia distingui ab artificialibus, quia illa habent in se principium passivum cum inclinatione naturali ad motum, & artificialia non, in quo sensu est falsa min. quia licet artificialia habeant principium passivum ad formam artificialem, sed non cum inclinatione naturali ad illam.

Ad confirmationem resp. 1. ex quolibet capite potest excludi medicina à ratione naturæ, & quia convenit accidentaliter sanabili, & quia non recipit sanitatem cum inclinatione ad illam. Philof. excludit illam ex primo, quia illud sufficit.

Resp. 2. sufficienter excludere illam ex utroque cap. quia ex eo quod conveniat accidentaliter, nequit esse principium passivum, nisi activum, ut supra manet probatum.

Sit 2. argum. ex eo quod aqua v.g. reducat se ad frigiditatem, colligitur, quod motus ad illam est naturalis aquæ: ergo ex principio activo frigiditatis concluditur naturalitas motus aquæ ad frigiditatem: ergo principium activum est natura.

Resp. neg. antec. Ratio est; quia hic sumitur naturalitas motus, prout opponitur violento, & neurri; & frigiditas non ideo non est violenta, neque neutra aquæ; quia in aqua datur principium ex natura sua exigens producere frigiditatem; sed quia datur principium ex natura sua exigens frigiditatem recipere, & in illa quiescere, & patet; quia si per possibile, vel impossibile, supposito in aqua principio activo, daretur principium passivum renuens frigiditatem, ista esset illi violenta: ergo ratio naturæ, ut sumitur in presenti soli principio, qua passivo competit.

Instabis: si aquæ impediretur producere frigiditatem, fieret illi violentia: ergo producere frigiditatem est illi naturale, prout istud opponitur violento: ergo principium aquæ activum frigiditatis, quæ activum, est natura, prout sumitur hic natura.

Resp. 1. dist. antec. fieret illi violentia positivè, neg. negativè, conc. similiter dist. consequens: ergo principium activo, quæ activo, est naturale producere, prout istud opponitur violento positivè, neg. negativè, conc. & neg. ultimam consequ. Solum illud est violentum positivè, quod est quid positivum, & contra exigentiam naturalem illius, cui fit violentia, & de naturali prout huiusmodi violento opponitur, loquitur in præsentia Arist. Ad hoc enim ut principium activo impediatur producere præcisè solum requiritur, quod illi non applicetur passivum, & si fit applicatum, quod non detur illi causæ primæ concursus, quæ nihil positivum sunt.

Resp. 2. & est ratio solutionis prædictæ, dist. etiam antec. fieret illi violentia quoad principium motus præcisè, conc. quoad principium motus, & quietis simul, neg. similiter dist. primum consequ. ergo principium activo, quæ activo, est naturale producere, quæ principium motus est præcisè, conc. quæ principium est motus, & quietis simul, neg. &

etiam ultimam consequ. Quod sumatur hic natura, prout est principium motus, & quietis, & non prout est principium motus præcisè, patet ex ipsa definitione Arist. eiusque explicacione. Unde cum solum sit principium quietis illud, quod est principium, ut quiescat forma, ad quam est naturalis inclinatio; & hoc sit quod recipit, & sustentat talem formam ad quod valdè per accidens se habet in composito principium intrinsicè cum activum talis formæ: hinc est, quod soli principio passivo, quæ passivo, cõvenit ratio natura, prout hic sumitur ab Arist. Licet in alio sensu natura sit, sicuti & plures alia res in diversis sensibus, ut manet supra adnotatū.

Sit 3. argum. Scotus in prol. quæst. 1. num. 25. §. ad argumenta pro opinione Arist. verè. Ad confirmationem, hæc habet: *Non correspondet omni passivo naturaliter principium activum, quod sic sit natura, quia multa sunt naturaliter receptiva alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsicè activum*: ergo iuxta Scotum in hoc loco saltem alicui principio passivo correspondet principium activum, quod sic sit natura: ergo non debet negari absolute, quod principium activum sit natura.

Resp. 1. quod licet fuisset de mente Scoti in loco præsentis, quod nullatenus conc. contrarium.

rium tenet expressè in omnibus supra allegatis, quod potius iuxta ipsius mentem amplecti debet, & quia plura sunt, & quia post scripta.

Resp. 2. quod hic non loquitur de natura in sensu, quo hic definitur à Phil. sed prout est illi con naturale producere, in quo sensu ait, quod multa sunt naturaliter receptiva alicuius perfectionis, cuius non habeat principium intrinsecum activum, quod sic fit natura, nempe naturaliter productivum: ex quo sequitur, quod dantur aliqua, quæ habent principium intrinsecum activum naturaliter productivum, quod sic est natura, scilicet prout natura distinguitur contra supernaturale, & contra liberum, quod verum est, vt patet in aqua: unde absolutè non debet negari, quod principium activum, quæ activum fit natura; bene verò in sensu quo hic accipitur ab Arist. vt vidimus.

Sit 4. arg. Si principium activum non esset natura, sequeretur talem non esse formam contra Philos. ergo. Prob. antec. forma est principium activum: ergo non esset natura.

Resp. neg. antec. ad eius probationem dist. antec. forma est principium activum solum, neg. activum, & passivum, conc. & etiam dist. consequens: ergo non esset natura, quæ principium activum est, conc. quæ passivum, neg.

v. g. forma aquæ respectu frigiditatis.

Si autem objicias aliquas auctoritates Philos. asserentis principium activum esse naturam?

Resp. multipliciter sumi naturam à Philos. & in illis locis non accipere illam sicuti in præfenti definit, sed in aliquo ex pluribus, quos diximus supra.

Si autem inquiras, quare Phil. solum voluerit definire in definitione naturæ principium passivum motus, & non activum? Resp. quia in alijs locis iam explicuit quid sit natura in alijs acceptionibus, ac per consequens vt natura contraponitur libero, & supernaturali, quomodo principium activo competit: hic verò cum tractetur de motu naturali, violento, & neutro, prius voluit definire naturam, prout est principium motus, & quietis, prout motus opponitur, & contradistinguitur motui violento, & neutri, quomodo ratio naturæ soli principio passivo, vt vidimus, adaptari potest.

EX QVIBVS infero primò, quod materia prima est natura. Et patet; quia est principium passivum motus, non solum ad formam substantialem, verum etiam ad plures accidentales, quæ in materia recipiuntur, & ratione illius in còposito, estque principium quietis in illis, ad quas dicit naturalem inclinationem, sive appetitum innatum,

tum, vt dixi de substantialibus (serè eisdem rationibus potest probari de accidentalibus perfectivis materiæ, vt est quantitas, & quamplurimæ qualitates) in 1. lib. disp. 2. sect. 4.

Sed dices contra hoc: materia prima est indifferens ad hanc, & illam formam: ergo ad nullam est per se principium motus, nisi per accidens: ergo non est natura, vt ista definitur à Philos.

Resp. dist. antec. est indifferens per meram non repugnantiam ad habendum illas divisivè, neg. est indifferens per appetitum naturalem, & innatum ad singulas, conc. & nego utramque consequè. Licèt enim sit quid contingens, quod materia moveatur ad hanc, vel illam formam; tamen cum singulas appetat innatè, dum movetur ad aliquam, per se movetur ad illam; non sumpto per se essentialiter, quasi sit essentia materiæ moveri ad hanc formam (hoc modo non requiritur, quod sit principium per se; sed est per se, quatenus *ly per se* denotat, repugnare esse principium motus, & quietis cuilibet, quod non sit principium passivum. Secundò, *ly per se* non tantum ponitur à Philos. in ordine ad motum, & quietè, quantum ad illud, cuius sunt motus, & quies, nempe compositum naturale, cuius materia prima est principium per se, & non per accidens,

INFERO secundò: forma substantialis est natura. Patet ob eandem rationem; quia est receptiva aliquarum qualitatum, ad quas naturaliter, & innatè inclinatur, vt aquæ forma ad frigiditatem, & forma ignis ad calorem. Deindè, quia ideò compositum physicum dicitur ens naturale, quia ipsius principia, & causæ intrinsecæ sunt naturæ.

Dices contra hoc: forma substantialis non recipit motum ad formas accidentales, neque istas, nisi ipsum compositum substantiale est, quod recipit illas: ergo forma non est natura.

Resp. conc. de aliquibus, & de aliquibus negando; sed do, quod ita sit de omnibus, & neg. consequè. quia ad naturam non requiritur, quod motus, & forma recipiantur in illa; sed vel in illa, vel in composito ratione illius, vt patet ex definitione; sed licèt plures formæ, & motus ad illas recipiantur in composito, & nõ in materia, neque in forma, cum ratione illarum recipiatur, hinc est, quod sunt naturæ.

EX QVO infero tertio, quod compositum, etiam si recipiat motus ad plures formas, & istas, non est natura; quia ista debet esse in illo, & per se principium illius, cuius est motus, vt patet ex definitione, & compositum neque est in se ipso, neque est principium sui ipsius. Neque privatio; quia licèt sit principium

pium compositi naturalis, non est in facto esse, nisi in fieri, & ut est mutatio. Deinde, quia non est ens positivum, ac per consequens nec recipere valet motum, neque formam.

INFERO quartò: materia, & forma, ut separata, si sic existerent, non essent natura. Ratio est, quia ut sic non essent in composito: ac per consequens neque principium motus, & quietis eius, in quo essent, siquidem non essent in composito, neque in aliquo alio, respectu cuius possent dici natura. Essent verò natura aptitudinaliter remotè, quatenus possent scilicet esse in composito, & principium motus, & quietis istius.

IXTA QVOD infero quintò: Angelus non est natura. Ratio est; quia in nullo est Angelus, cuius possit esse principium intrinsecum receptivum motus corporalis, & quietis, quod essentialiter requiritur ad rationem natura, ut ex istius definitione compertum est.

SECTIO III.

DE MOTV NATVRALI, VIOLento, & neutro.

CVM autem sectionibus antecedentibus actum sit de natura, prout ista est principium motus, & quietis naturalis contradistincti violento, & neutri,

ut vidimus, in presenti aliqua breviter de his motibus tradere oportet, ut ita perfectior natura habeatur notitia.

Iuxta quod suppono, non sumi hic motum naturalem, prout supernaturali, vel libero contraponitur; sed præcisè prout violento contrariatur, & à neutro distinguitur.

Sic igitur acceptus motus naturalis est ille, qui advenit rei, qui movetur iuxta ipsius naturalem, sive innatam exigentiam, ut motus deorsum in lapide v.g. Violentus est ille, qui advenit rei contra ipsius innatam inclinationem, ut in lapide motus sursum. Neuter verò est ille, qui nec est iuxta, nec contra ipsius naturalem inclinationem, ut motus circularis v.g. quo corpus perfectè sphericam movetur supra corpus perfectè planum.

Circa quod est notandum, quod violentia potest esse positiva, vel negativa. Positiva erit, si in re aliqua introducatur forma positiva contra illius naturalem inclinationem. Negativa erit, si præcisè non detur rei forma positiva, quam innatè appetit. His sic.

SIT I. CONCLUSIO: ad motum naturalem non requiritur, quod proveniat activè ab ipsa re, cui est naturalis. Ita Scotus supra in Prologo allegatus. Prob. ille motus est naturalis, qui est iuxta inclinationem naturalem,

& Innatam rei; atqui potest ita esse, quin activè proveniat ab ipsa re: ergo &c. Prob. min. non magis convenit aquæ ad sui cōservationem frigiditas proveniens ab ipsa aqua, quàm proveniens ab alio extrinseco agente; quia in quolibet casu aqua, & frigiditas suas easdem retinent essentias: ergo si proveniens ab ipsa aqua activè est iuxta illius naturalem inclinationem, etiam proveniens illi ab extrinseco agente.

SIT 2. CONCLUSIO: datur motus violentus positivus contra principium passivum. Est Scoti in omnibus locis pro nostra concl. sect. antecedenti allegatis. Prob. ille motus, sive illa forma dicitur violenta contra hoc, vel illud principium, cuius contrariam appetit innatè tale principium; sed dum recipitur calor in aqua, qui violentus est aquæ, principium passivum caloris est, qui appetit frigiditatè, quæ est forma calori opposita: ergo motus ad calorem violentus aquæ est contra principium, quod recipit calorem, & appetit innatè recipere frigiditatem: ergo est contra principium passivum.

SIT 3. CONCLUSIO: contra principium activum, vt activum non datur motus violentus positivè. Etiam est iuxta Scotum allegatum antecedenti sect. Patet, & explicatur concl. solum est

cōtra principium activum, quod est contra eius naturalem inclinationem; sed inclinatio naturalis principij activi solum producere suum effectum: ergo sola non productio effectus est contra eius innatam inclinationem; atqui non productio effectus non est quid positivum, sed negatio: ergo contra principium activum non datur motus violentus positivè.

SIT 4. CONCLUSIO: contra principium activum datur motus violentus negativè. Hæc sequitur ex antecedenti, & etiam esse iuxta Scoti allegati doctrinam. Explicatur: principium activum exigit innatè producere: ergo non producere est contra ipsius appetitum innatum; atqui vt non producat causa per se solum potest esse non applicatio passi, sive non concursus causæ primæ, quæ quidem sunt merè negationes: ergo contra principium activum datur motus violentus negativè.

SIT 5. CONCLUSIO: contra primum principium passivum nudè, sive secundum se sump-tum, scilicet contra materiam primam non datur motus violentus positivè, sed potest dari negativè de potentia Dei absoluta. Etiam est conformis Scoto. Ratio est; quia vt diximus cum Subtili Magistro in 1. lib. disp. 2. sect. 4. materia prima appetit omnes formas: ergo nulla datur

contra ipsius naturalem exigentiam: ergo nequit dari motus violentus positivè contra illam. Alia pars etiam patet; quia ut docuimus ibidem cum Scoto sect. 9. divinitus potest existere materia sine ulla forma; sed appetit innatè omnes; ergo in tali casu esset privata illo, quod innatè appetit; ergo violenta, sed nõ per aliquid positivum: ergo per negationem motus positivi ad aliquam formam.

*SOLVUNTUR ARGUMENTA
contra aliquas ex prædictis
conclusionibus.*

SIT primum argumentum contra secundam conclusionem: violentum est contra internum impetum rei, taliter quod illi resistat; sed principium passivum non resistit; ergo.

Resp. conc. mai. & neg. min. Aquam v. g. appetere frigiditatem idem est, ac resistere calorem propter contrarietatem istarum formarum; atqui principium passivum frigiditatis in aqua appetit frigiditatem; ergo & resistit calorem.

Sit 2. argum. ex nostra sententia sequuntur plura absurda: ergo est falsa. Prob. antec. sequitur, quod aer tenebrosus esset violentus, & cælum mobile, materiaque prima sub quavis forma: ergo. Prob. antec. quia aer inclinatur ad lucem, cælum ad quietem, & materia prima ad formam absentem: ergo &c.

Resp. neg. primum, & secundum antec. ad probationem secundi neg. quod aer inclinatur ad lucem, & cælum ad quietem; quia solum habent ad illas potentiam neutram, quare sine illis non violentantur. De materia prima diximus iam ubi supra sect. 4. in solutione ad instantiam secundam primi argumenti, non violentari; quia appetit omnes formas, non simul habendas, nisi divisivè. Addo, quod neq; natura humana Christi D. violentatur sine propria substantia, etiam si innatè appetat illam; quia substantia divina facit, imò perfectius, quod faceret propria.

Sit 3. argum. contra 3. concl. principium activum appetit producere; ergo violentatur per id, quod impedit ipsum producere; sed potest impedi per aliquid positivum; ergo datur motus violentus positivè contra principium activum. Prob. min. subsumpta, primò in organo visus, & alijs impeditis ad suas operationes producendas per aliquod positivum in ipso organo receptum. Secundò, quia si eidem passio applicentur duo activa ad eundem specie effectum, unum maioris activitatis, quàm aliud, illud impedit istum producere; ergo violentabit illud; atqui agens maioris virtutis est quid positivum; ergo violentatur in dicto casu per aliquid positivum; ergo

ergo datur motus violentus positivè contra principium activum.

Resp. conc. antec. & dist. consequens: ergo violentatur formaliter per id, quod impedit illum producere, neg. causaliter, vel occasionaliter, conc. similiter dist. min. subsumptam: sed potest impediri formaliter per aliquid positivum, neg. causaliter, vel occasionaliter, conc. & neg. conseq. Ad primam probationem min. subsumptam dicimus, quod visus impeditus per aliquid positivum in organo, non violentatur formaliter principium activum visionis per illud positivum, nisi per non producere visionem, & causaliter, vel occasionaliter per tale positivum. Deinde, licet per illud positivum violentaretur formaliter, non ut principium activum est organum, sed ut habet in se receptum illud, quod impedit: ergo non violentatur tunc ut principium activum per tale positivum, nisi ut principium passivum. Similiter respondetur ad secundam probationem ipsius minoris, quod quando agens minoris virtutis impeditur à maioris virtutis agente, impeditur causaliter, vel occasionaliter; formaliter verò per ipsum non producere: & sic non per aliquem motum positivum, nisi per carentiam. Addo, quod si impediretur per aliquem motum positivum, deberet recipi in ipso principio activo, &

sic iam non impediretur, ut activum motus impediens, nisi ut passivum respectu illius.

SECTIO III.

QUOMODO INTER SE DISTINGUANTUR Ars, & Naturæ

QUID, & quotuplex sit ars, diximus iam in Log. tract. 1. disp. 4. sect. 1. à vers. *ut autem tutius*: quo supposito solum quaerimus hic discrimina principalia inter naturam, & artem, non solum inter naturam sumptam, ut violento positivo opponitur, quomodo sumitur, & definitur hic ab Arist. & Scoto cum illo, ut vidimus; sed etiam inter naturam sumptam pro principio activo contraposto ipsi arti, ut principio suo modo activo, quomodo accipitur etiam natura in alijs locis, tam ab Arist. quam à Scoto, ut sectionibus antecedentibus notatum manet.

Doctor de hac re agit in isto 2. lib. quaest. 1. & per aliquas conclusiones, & per notabilia quaedam, præcipua discrimina assignat inter naturam, & artem, quo semper duce.

SIT 1. CONCLUSIO: ars, & natura discriminantur in hoc, quod ars supponit deliberationem ut sic, vel sic fiant, quæ fiant ab arte; minimè autem natura. Hoc docet Scotus allegatus à num. 3. vers. *quantum ad primum.*

Paret experientia; nam semper artifex, vt sua artefacta maiori perfectione, qua potest cōficiat, deliberat, vel actualiter, vel habitualiter, vel virtualiter iuxta has, vel illas regulas conficere illa; opera verò naturæ, cum ista sit ex se determinata ad effectū, etiam sine deliberatione fiunt, ex sola naturæ determinatione. Vndè, ait Scotus, illa, quæ fiunt ab homine absque deliberatione, vt ruptio festucæ v. g. non fiunt ab arte: neque quæ fiunt ab apibus, & formicis v. g.

SIT 2. CONCLUSIO: discriminantur etiam in hoc, quod ars nullam potest facere formam substantialem; benè verò natura. Ita Scotus vbi supra num. 5. vers. *Tunc ponuntur conclusiones.* Et probat sic: quælibet forma substantialis est natura: ergo omnis transmutatio, qua fit forma substantialis, est naturalis: ergo non artificialis: ergo omnis forma substantialis fit à natura, & nulla ab arte: ergo &c.

SIT 3. CONCLUSIO: discriminantur etiam in hoc, quod ars nullam potest facere qualitatem consequentem formam substantialem; benè verò natura. Etiam est Scoti num. 6. vers. *Secunda conclusio.* Quod probat hac ratione: idem est agens dans formam, & consequentiā formam, & ideo dicit Arist. in 8. huius tex. 32. quod grave movetur à generante; sed forma substan-

tialis non potest fieri ab arte, nisi à natura, vt manet probatum: ergo neque qualitas consequens talem formam.

SIT 4. CONCLUSIO: aliud discrimen est hoc, quod nullus motus corporeus alius à motu locali potest fieri ab arte; benè verò à natura. Sic Scotus num. 7. vers. *Quarta conclusio.* Prob. ab ipso: nullus motus corporeus alius à locali potest esse voluntarius: ergo nullus potest esse ab arte. Antec. & conseq. patent ex dictis; quia ad artem requiritur deliberatio; non verò ad opera naturæ.

Secundò probat ex conclusionibus antecedentibus: quia cum quilibet motus corporeus alius à locali sit ad formam substantialem, vel ad qualitatem, quas ex dictis non potest ars, sed natura: sequitur quod nullus motus corporeus alius à locali potest fieri ab arte, nisi à natura.

SIT 5. CONCLUSIO: etiam discriminantur in hoc, quod agentia naturalia habent in se principium passivum inclinatum naturaliter ad formam productam; & artificialia non. Hoc docet Scotus in 2. dist. 18. quest. vnic. num. 5. §. *arguitur etiam,* vers. *Respondetur ad argum.* De agentibus naturalibus ex ipsismet patet: *Artificialia autem* (ait Scotus) *non habent huiusmodi principium, sic inclinatum, vel in-*

clinans ad talem incisionem, vel erectionem, ut patet in edificijs: imò inclinatur ad contrarium. Undè artificialia, vel moventur ad formam talem contra inclinationem naturalem, & per consequens violentè: vel diceretur, quod sunt in potentia neutra, si talis forma artificialis non insit eis contra inclinationem principij receptivi. Alia quam plura discrimina possunt afferri; sed dicta sufficiunt.

Sit primum argumentum cōtra secundam conclusionem. Ægyptij Sapientes per artem magicam faciebant serpentes, ut habetur Exod. 7. Similiter Magi incantatores faciebant mirabilia opera naturæ, ut tonitrua fulgura, &c. ergo ars potest facere opera naturæ: ergo tam formas substantiales, quam qualitates istas consequentes.

Et confirmatur: aurum fit arte chimica: ergo forma substantialis auri, & qualitates istam consequentes.

Resp. ad arg. neg. antec. Magi enim non poterant facere omnia illa, nisi applicando activa naturalia passivis naturalibus, quod faciebat Dæmon propter pactum, quod cum illis habebat. Dæmon enim scit, quæ activa applicata, & quibus passivis, producent hunc, vel illum effectum naturalem: & applicat, quando vult, & Deus permittit, & tunc producantur illi effectus naturales, non à Dæmone

applicante activa passivis, neque à Mago pactum faciente, nisi ab ipsis agentibus naturalibus passivis naturalibus applicatis. Quo non obstanti dicuntur fieri à magis, non quia ab illis producantur, sed quia ipsi petunt à Dæmone ex vi pacti, ut applicet talia activa talibus passivis, ut ista producant dicta opera naturalia. Undè ad summum solum moraliter potest dici Magos producere dicta opera naturalia.

Ad confirmationem resp. dist. antec. dispositivè, conc. efficienter, neg. & similiter dist. consequens. Chimica namque ars non est quæ producit aurum; sed docet taliter disponere agentia naturalia, quod ista producant effectivè aurum. Aliqua alia argumenta, quæ possunt fieri, facile solventur ex dictis.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

ANTEQVAM ad differendum de causis in specialibus deveniamus, nonnulla de illis sub ratione causæ ut sic præcisè, rectam methodum servando, Philosophumque sequendo, & cum eo Subtilem Magistrum, tradere oportet, ad quod præsentem disputationem apponimus.

SECTIO I.

QUID SIT CAUSA?

CVM enim causæ omnes non convenient vnivoce in ratione causæ, vt infra disputabimus, ac perindè, rigorosè definiti nequeat causa, nisi latè, aut describi, non immoror in diversis impugnandis causæ descriptionibus ab Authoribus, tam Antiquis, quàm Modernis traditis, quapropter breviter cum Phil. & Subtili Magistro quid sit causa explicabimus: ex quo quælibet alia descriptio impugnari poterit, vique dum ad sensum nostræ descriptionis tradatur.

Arist. igitur lib. de bona fortuna, teste Scoto in hoc 2. quæst. 7. num. 2. vers. *Secundò notandum*, sic causam definit, seu describit: *causa est ad cuius esse sequitur aliud*, quam descriptionem tradit etiam Scotus lib. 4. Met. cap. 2. sum. 2. tex. & com. 3. num. 9. vers. *Notandum*, quod dupliciter, sed tamen Doctor aliam causæ descriptionem tradit 2. Phys. citatus, quæ sic est: *Causa est propter quod alterum est, scilicet secundum esse, vel secundum fieri, aut conservari, aut secundum aliquam aliam dispositionem.*

Quæ descriptiones hunc vertunt sensum iuxta Scoti explanationem, (& hæc erit exacta

causæ descriptio) scilicet: *causa est principium per se influens esse in aliud.* Quam ita expendimus: particula *principium* ponitur loco generis, per quam convenit cum alijs principijs, quæ non sunt causæ; nam licet omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa, vt notavimus hic lib. 1. disp. 1. sect. 1. in principio. Quæ particula continetur in Arist. descriptione; quia ex aliquo non potest aliquid sequi, quin illud sit principium huius, quod sequitur.

In secunda descriptione tradita à Scoto includitur etiam; quia omne illud propter quod alterum est, etiã est principium illius alterius, quod est propter illud. Circa quod notat Subtilis Doctor, quod *ly* propter quod non sumitur pro illo præcisè, propter quod agens, tanquam propter finem operatur; quia, vt ait, hoc est commune cuilibet causæ, licet propter excellentiam causæ finalis approprietur ipsi & ideo dicit Phil. quod causa finalis ist id, propter quod agens operatur.

Illa alia particula, *per se influens esse*, denotatur; quod ad causam requiritur, quod influat in effectum per suum influxum, hoc est per suæ virtutis exercitium. influxus enim nihil est aliud, quàm exercitium virtutis causæ, per quod de actu primo re-

duci-

ducitur ad actum secundum, & communicat existentiam effectui. Vtr. autem talis influxus sit aliquid absolutum, vel respectivum superadditum entitati causæ medians inter absolutum causæ, & absolutum effectus? videbimus infra. Quæ particula continetur in descriptione Arist. sub illis verbis: *ad cuius esse sequitur aliud*; quia licet unum sit post aliud, vt dies post noctem v. g. cum nox non influat in diem, propriè loquendo non dicitur, quod ad esse noctis sequitur dies, nisi quod post esse noctis sequitur dies. Etiam continetur in alia Scoti sub illis verbis: *propter quod alterum est*, quorum intelligentia manet iam supra enodata.

Vltima denique particula, scilicet *in aliud*, denotat, quod effectus, qui accipit esse à causa, est aliud à sua causa; hoc est, habens naturam saltem realiter distinctam à sua causa, per quod distinguitur principium productivum in divinis à causa; quia principium divinum producens, Pater v. g. producens filium, non producit aliud; quia filius eiusdem individuae naturæ est cum Patre: vnde licet ista propositio, *filius est alius à Patre*, concedatur à Theologis, eo quod filius distinguitur realiter à Patre propter proprietatem personalem, sive hypostasim; tamen hæc altera, *filius est aliud à Patre*, nunquam

conceditur, imò vt hæretica negatur; quia *ly aliud* denotat, non solum filium distingui realiter à Patre, sed etiam habere naturam realiter distinctam à natura Patris, quod hæreticum censetur, cum fides doceat, quod eadem natura, & essentia, quæ est in filio, eademmet numero reperitur in Patre, & in Spiritu S. Quæ particula expressè continetur, tam in prima definitione Arist. quam in secunda Scoti, estò in hac non eodem termino, sed isto alio synonymo, *alterum*.

Sed notari debet, quod secunda definitio Scoti latius patet, quam Arist. siquidem extenditur ad formam, tam substantialem, quam accidentalem penes subiectum, quod informat, respectu cuius forma non est propriè causa; quia non influat in aliud, cui det naturam distinctam; quia effectus formalis formæ est ipsa forma communicata subiecto: vnde licet paries v. g. sit albus propter albedinem, in esse albi non habet ab albedine, neque propter albedinem aliquam naturam realiter distinctam ab ipsius albedinis natura; quare forma accidentalis non est propriè causa formalis, neque substantialis forma respectu materiæ, quam informat ob eandem rationem; bene verò respectu totius per se substantialis, quod ex illa, & materia resultat realiter distinctum à duabus, vt diximus.

ximus lib. 1. disp. 6. sect. 3. Deinde, animadverti debet, quod præfata definitio non est univoca omni causæ, scilicet materiali, formali, efficienti, finali, & exemplari; quia tres primæ sunt causæ physicae, & reales, & quarta solum metaphoricè, & secundùm quid. Quinta verò non est propriè causa; quia non influit, nisi ad summum metaphoricè, in quo casu reduci debet ad finalem, sive rationis, vt in suis locis videbimus; & enti reali, & rationis nullatenus datur conceptus univocus, vt in Met. tract. 3. disp. 1. sect. 1. Insuper, neque est univoca ad causam formalem accidentalem, neque ad substantialem respectu materiæ quàm informat; quia, vt manet dictum, non sunt causæ propriè, nisi impropriè: vnde dictæ definitiones potiùs descriptiones, quàm definitiones appellari debent.

SECTIO II.

QUOTVPLEX SIT CAUSA?

OMISSIS circa hoc Philosophorum deliramentis, qui modò infinitas, modò vnã solum, modò plures esse causas aiebant; communiter tamen dividitur causa ab omnibus in materialem, formalem, efficientem, & finalem. De qua divisione diximus iam non esse uni-

vocam antecedenti, sect. Et nunc asserimus esse adæquatam; quia nihil potest influere in aliud nisi efficiendo, & sic erit causa efficiens; vel recipiendo, & sic erit materialis: vel informando, & sic erit formalis; vel alliciendo, & sic erit causa finalis.

Sed tamen prædicta causæ divisio non est immediata; quia priùs potest dividi causa, vt sic, in intrinsecã, & extrinsecam. Intrinseca est, quæ intrinsecè influit in effectum, hoc est, in illo per inexistentiam remanendo, tales sunt materia, & forma substantialis inter se vnite. Et etiam materia potest dici causa materialis intrinseca respectu formæ ab illa educæ; quia ista manet intrinsecè in materia recepta. De forma diximus iam sect. antecedenti, non esse propriè causam formalem respectu materiæ, sive subiecti, quod informat; at verò modo quo dicitur causa respectu illius, potest dici causa formalis intrinseca; quia intrinsecè in illa recipitur. Ex quibus patet, quod causa intrinseca subdividitur in materialem, & formalem; & extrinseca in efficientem, & finalem, quæ extrinsecæ dicuntur; quia non manent per se in effectum. De his omnibus per varias disp. in præfenti lib. pertractabimus.

Vtteriùs causa efficiens subdividitur in primam, & secundam.

Nam. Prima est, quæ à nulla alia dependet, & cæteræ dependet ab illa, & hæc est Deus. Secunda est, quæ à prima dependet, vt causa efficiens creata. Causa namque materialis etiã dividitur in primã, & secundã. Causa materialis primã est materia prima, quæ est pars materialis cõpositi substantialis. Secunda verò dicitur ipsum compositum respectu accidentium; quæ recipit. Causa formalis dividitur in substantialem, & accidentalem; at ista, vt diximus, non est propriè causa. Substantialis est pars physice formalis compositi substantialis, & accidentalis quodlibet accidens, ex quibus illa dicitur primã, siue actus primus, & istud secunda, siue actus secundus. Denique causa finalis, seu finis etiam dividitur in vltimum, & non vltimũ, siue intermedium. Vltimus est, qui non ordinatur ad alium, & intermedius, qui ad alium ordinatur.

Insuper potest dividi causa in proximã, seu immediatã, & etiã remotã, seu mediã. Proximã, seu immediã dicitur quæ immediatè, & ratione propriæ virtutis producit effectum, vt ignis, dum alium producit ignem. Remota, & mediã appellatur, quæ non immediatè, seu propria virtute, sed mediã, hoc est, virtute distincta producit effectum, vt aqua calida v.g. quæ non producit calorem ra-

tionem sui, sed ratione caloris in illa recepti, & ab ipsa distincti.

Ampliùs dividitur causa in totalem, & partialem. Totalis est, quæ se sola potest producere effectum. Partialis, quæ se sola nõ potest, sed indiget alia in eodem genere.

Iterũ dividitur causa in univocã, & equivocã. Univocã est, quæ effectum specie sibi similem producit, vt ignis alium producit ignem. Æquivocã est, quæ effectum à se specie distinctum producit, vt ignis calorem.

Item assolet dividi causa in principialem, & instrumentale. De quibus in suo loco agemus. Circa quas notandum est, quod causa principialem aliquandò solet accipi, non vt instrumentali contraponitur, sed quatenus ab alia superiori non dependet, vt Deus, & sic, nulla causa creata est principialem; quia omnes à Deo dependent. Noto etiã, quod è duabus partialibus, principialem solet dici perfectior, & minus perfecta non principialem, siue minus principialem.

Deindè, dividitur causa in subalternatã, & subalternantem. Subalternans est illa, à qua altera dependet ad producendũ, & ista, quæ dependet, dicitur subalternata, vt Deus, & creatura appellantur causæ subalternatæ, Deus est subalternans, & creatura dicitur subalternata.

Deinceps dividitur causa in

universalem, & particularem. Universalis dicitur, quæ plures specie effectus valet producere; & particularis, quæ ad vnam speciem effectus est ex natura sua determinata, determinatque universalem: v.g. intellectus est universalis ad plures specie actus, & obiectum, sive habitus ad vnam speciem actus, sive scientiæ.

Ab hæc dividitur causa in liberam, & naturalem. Libera est, quæ non determinatur ab alio, sed se ipsam determinat, vt voluntas. Naturalis, quæ ab alio determinatur, vt intellectus, qui determinatur ab obiecto.

Deniquè dividitur causa in realem, & moralem. Realis est, quæ verè, & realiter producit effectum, vt ignis calorem v.g. Moralis, quæ verè, & realiter nõ producit effectum, sed movet, & suadet, ob quod imputatur, sive tribuitur illi, vt suadens homicidium, v.g.

SECTIO III.

PER QUID CONSTITUTUR

causa in actu primo.

INDUBITATVM extat apud omnes, causam in actu secundo esse entitatem causæ, vt reduplicativè actum causantem effectum: & causam in actu primo esse eandem entitatem, quatenus ex se est potes causare effectum, & non dum illum causat. Etiam

supponitur, vt certum, ab omnibus, causam in actu primo dicere intrinsecam, & secum identificatam virtutem ad causandum effectum. Difficultas ergo est, an causa in actu primo constituitur formaliter per virtutem prædictam secum identificatam, vel an per effectum possibilem, vel per possibilem causalitatem?

Quod vt claritate possibiliter iuxta Scoti mentem resolvamus, suppono primò, quod hic non inquitur de causæ primæ constitutivo, prout reduplicativè causa est in actu primo proximo; quia absque dubio est in esse proximo constitui per ultimam conditionem, sive per omnes conditiones necessarias simpliciter ad producendum, vt approxinatio ad passum, &c. sed inquirimus de causa in actu primo, vt præcisè est potens producere effectum, num sit proxime, num remote, num adæquatè, & num inadæquatè potens.

SIT CONCLUSIO: causa in actu primo non constituitur per possibilitatem effectus, neque causalitatis, sive per effectum, aut causalitatem possibilem, sed per ipsius virtutem productivam secum realiter identificatam, connotantem carentiam existentie effectus possibilis. Ita Scotus lib. 2. Phys. in expositione textus post quætionem 7. num. 14. tex. 34. vers. Præter 3. omnes autem. Prob. conclus. per illud consti-

tritur essentialiter causa in actu primo, per quod est potens causare effectum; quem ut in actu primo non causat; sed causa est potens causare effectum per suam intrinsicam virtutem, & eo quod nondum existat effectus possibilis, non est in actu secundo: ergo constituitur in actu primo per suam virtutem connotantem carentiam existentiae effectus, & non per causalitatem, sive effectum possibilem. Mai. est certa, quia causa in actu primo, nihil est aliud, quam potens causare nondum causans. Min. etiam constat, quoad primam partem, quia causa in actu primo actualiter est potens: ergo constituitur potens per quid actuale, & non per quid possibile: ergo per suam virtutem, quae actu existit identificata cum ipsa, & non per causalitatem, sive effectum qui nondum existit, sed est possibilis. Quoad secundam partem, quia si effectus, & causalitas non essent posibles, neque causa esset potens, ut citò videbimus: & deinde, si actu existerent, causa, licet retineat totam suam virtutem, ut potè cum illa realiter identificatam, iam non esset in actu primo, nisi in actu secundo: ergo prout in actu primo connotat carentiam existentiae effectus possibilis.

Respondet, quod causalitas, sive effectus possibilis, licet actu non existant, actu sunt pos-

sibiles, & sic habent esse possibile actualiter: ac per consequens constituere possunt causam in actu primo in esse actuali.

Sed contra: quia, ut diximus in Met. tract. 3. disp. 2. sect. 1. ens possibile non habet esse reale, sed solum potest habere; atqui quod non habet esse reale, sed solum potest habere, nequit constituere aliquid in esse reali actuali: ergo cum causa in actu primo sit quid reale actuale, nequit constitui per aliquid actu possibile, nisi per aliquid actu reale, actualiterque existens: ergo per suam virtutem constituitur causa in actu primo, & non per causalitatem, sive effectum possibilem.

Huic instantiae respondebis, verum esse, quod causa in actu primo est aliquomodo entitas realis actualis; at non est talis reduplicative ut causa; quia ut in actu primo adhuc non est causa, sed potest esse: ergo prout in actu primo non debet constitui per aliquid quod actu sit realiter existens, nisi per aliquid, quod actu sit potens realiter existere, sive quod actu sit possibile.

Sed hoc revera est quaestionem de nomine efficere; quia si pro causa in actu primo accipiatur concretum, sive aggregatum ex entitate physica causae, & causalitate possibili, ut sic reduplicative, certum est ingredi constitutum causae in actu primo cau-

salitatem possibilem; at non debet sic accipi causa in actu primo, nisi prout est potens causare effectum; & sic certum est, constitui per suam virtutem, & connotare causalitatem, & effectum possibilem; quia licet ut sit potens causare effectum, necessario connotet effectum, & causalitatem possibilem, nequit per illa constitui, ut potens causare; quia effectus, & causalitas sunt quid extrinsecum causae in actu primo, sive causae ut potenti causare effectum, & ipsa est potens ab intrinseco: ergo ut potens causare nequit constitui per causalitatem, aut effectum possibilem, nisi per suam intrinsecam virtutem.

DILVNTIVR ARGVMENTA.

SIT primum argumentum: causa causans in actu secundo constituitur per causalitatem actualem: ergo causa potens causare in actu primo constituitur per causalitatem possibilem. Prob. consequ. sicut se habet causalitas actualis ad causam actu causantem: ita se habet causalitas possibilem ad causam potentem causare: ergo sicuti ut causans constituitur per causalitatem actualem, ut potentem causare constituetur per causalitatem possibilem.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. ad cuius probationem neg.

antec. Ratio est; quia causa ut actu causans dicit in recto causalitatem, & ipsam entitatem causae cum sua virtute, qua potens causare est, in obliquo, & sic per causalitatem actualem debet constitui formaliter, sicut homo v.g. ut albus, per albedinem; at verò ut potens causare, (quomodo est causa in actu primo) dicit in recto virtutem ad cauandum, & in obliquo naturam individuam, sive entitatem, cuius est virtus, & solum de connotato causalitatem, & effectum possibilem: ergo formaliter per virtutem praedictam constituitur in actu primo; causalitatem verò, sive effectum possibilem dicit solum de connotato.

Sit 2. argum. si sanitas non esset possibilis, non esset potens sanare in actu primo: ergo constituitur potens sanare in actu primo per sanitatem possibilem.

Retorqueo argum. primò: si non esset Deus, non esset creatura: ergo constitutum creaturae est Deus? Secundo, si non daretur filius, non daretur pater: ergo pater constituitur per filium? Nulla ex his consequentijs valet: ergo neque in argumento deducta.

Vnde resp. conc. antec. & neg. consequentiam. Solum enim infertur, quod causa, ut potens producere, dicit respectu transcendentalem ad causalitatem, & effe.

effectum possibilem, & cum repugnet ratio, etiam transcendentalis sine termino, eò quòd iste supponatur impossibilis, debet ratio, sive relativum concedi impossibile.

Sit 3. atq. causalitas actualis denominat causam actualiter causantem: ergo causalitas possibilis aliquam denominationem dat etiam causæ; atqui non dat denominationem causantis actualiter: ergo potentis causare: ergo constituit illam in esse potentis causare: ergo in actu primo.

Resp. (licet antec. ut ponitur in argum. non sit verum; quia causalitas non denominat causam actualiter causantem, prout actualiter causare dicit effectum in fieri, sive egredi à causa; sed solum sit verum, quod causalitas actualis denominat actualiter causam in esse causæ; aliàs causa solum esset causæ, dum effectus egreditur ab illa, & non dum iam est egressus, quod est falsum) conc. antec. & dist. conf. ergo causalitas possibilis dat etiam causæ aliquam denominationem actualem, neg. possibilem, conc. etiã min. subsumptam, & neg. triplicem conseq. Denominatio namque potentis causare, quæ quidem est denominatio causæ in actu primo, formaliter inspecta non est denominatio possibilis, nisi de connotato, hoc est, non est en-

tative quid possibile; quia est virtus causæ existens identificata cum ipsa causa in actu primo, sed connotat causalitatem possibilem, & possibilem effectum: ac per consequens in actu primo, sive in esse potentis causare existens per causalitatem, neque per effectum possibilem, nisi per virtutem ad causandum actualiter existentem, & connotantem causalitatem, & effectum possibilem.

EX DICTIS clarè deducitur, quod causa in actu secundo, posito effectu iam in facto esse, constituitur formaliter per causalitatem actualem. Quod clariùs intelligitur ex dicendis de actione causæ efficientis, ex quibus constabit etiam quid sit ipsa causalitas.

SECTIO III.

VTR. CAUSA IN ACTU PRIMO
dicat necessariam connexionem
cum effectu possibili?

QVOD inquirimus est, vtr. causa creata talem connexionem dicat, cum effectibus possibilibus ipsius, quod, istis impossibilibus, etiam foret causa creata, impossibilis? Et notanter quærimus de causa creata; quia de increata diximus iam in Theolog. tract. de Essent. & Attrib. Dei, disp. 6. lect. 4. non dicere talem connexionem.

SIT

SIT CONCLUSIO : causa creata in actu primo dicit necessariam, & infallibilem connexionem cum suis effectibus possibilibus. Conclusio est conformis Scoto in locis allegatis vbi supra; nam ibi ait, potentiam dicere respectum transcendentalem ad suum actum, istamque identificari realiter cum illa, docet similiter ibidem in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 10. verf. de istis igitur respectibus; & expressè in 1. dicit. 3. q. 5. §. quantum ad tertium, num. 14. verf. ad Boetium, & in alijs pluribus locis, in quibus tenet, quod ablato termino relationis, aufertur relatio; atqui causa in actu primo dicit relationem transcendentalem, & consequenter cum ipsa identificatam realiter, ad effectum possibilem: ergo isto ablato, aufertur talis relatio, & consequenter causa in actu primo, quia impossibile est quodlibet, cuius prædicatum realiter identificatam redditur impossibile: ergo ex Scoto causa in actu primo dicit necessariam, & infallibilem connexionem cum effectum possibili.

Deinde prob. concl. si non daretur effectus possibilis, non daretur istius causa creata possibilis: ergo connectantur necessario. Prob. antec. causa creata in actu primo est potens producere effectum; sed repugnat potens producere illud, quod

repugnat produci: ergo repugnante effectum, repugnat causa creata illius in actu primo.

Respondebis, quod bene potest esse aliquid potens producere, quatenus est ex se effectum, licet iste sit impossibilis; quia estò sit impossibilis, potest causa habere virtutem ad illud producendum, si alias esset possibilis.

Contra primò: quia hoc solum est dicere, quod causa esset productiva effectus, si iste esset possibilis: ergo si supponitur impossibilis, non est productiva illius: ergo neque erit talis causa; quia cum ista identificetur realiter cum sua virtute productiva, si ista sit impossibilis, etiam erit impossibilis causa.

Contra secundo: causa creata, vt potens producere effectum, dicit relationem transcendentalem ad effectum; sed repugnat relatio sine suo termino, vt manet ex Scoto dictum: ergo impossibili effectum impossibilis etiam erit causa, vt potens producere effectum: ergo causa in actu primo.

Huic instantie respondebis, quod respectus transcendentalis potest dari sine termino possibili, quod patet in cognitione obiecti impossibilis.

Sed contra; quia, vt manet dictum, & satis ex se patet, cum essentia relationis sit ad aliud, nempe ad terminum, repugnat

relatio sine termino, ad quem sit. Exemplum de cognitione potius quam impugnat, confirmat nostram conclusionem; quia impossibile ad existendum non est impossibile cognosci, sed possibile; unde eo modo, quo cognitio dicit relationem ad impossibile, non est impossibile, sed possibile; quia quod est impossibile existere à parte rei, est possibile existere, seu habere esse in intellectu, sive in esse cognito; ergo semper stat, quod relatio transcendentalis nequit salvari sine termino possibili in illo esse, in quo respicitur à relatione.

Confirmatur: cognitio dicit respectum ad obiectum, quatenus est cognoscibile: ergo ideò dicit respectum ad impossibile existere realiter, quia impossibile existere est cognoscibile; ergo similiter etià quia causa dicit respectum ad effectum ut causabilem, non dicit talem respectum ad impossibile, quia impossibile non est causabile.

Quod omne adhuc paritate ista confirmatur: ideò potentia visiva dicit respectum transcendentem ad colorem, & non ad alia, quia colori non repugnat videri, alijs verò repugnat; ergo similiter in nostro casu.

Deindè arguo contra solutionem principalem: ut aliqua causa sit ex se causativa alicuius effectus, debet continere ex se

virtualiter talem effectum; sed nulla causa potest ex se continere virtualiter impossibile: ergo neque esse ex se causativa impossibilis, Prob. min. nequit causa ex se continere virtualiter effectum, quin effectus contineatur virtualiter in illa; sed impossibile nequit contineri virtualiter in causa: ergo.

Contra nostram conclusionem solet argui paritate Omnipotentia; sed non ad rem; quia denominatio Omnipotentia in Deo non est intrinseca desumpta ex relatione transcendentali identificata cum Deo; (si hoc namque esset, destructis possibilibus, destrueretur Omnipotentia, & consequenter Deus, sicuti dicimus de causa creata respectu ipsorum effectuum possibilium) sed est denominatio extrinseca desumpta ex producibilitate passiva ipsarum creaturarum: unde istis impossibilitatibus deficeret in Deo denominatio Omnipotentia, sive potentia productiva ad extra; non verò aliquod predicatum identificatum realiter cum Deo; quia omnia sunt absoluta, sive nullum est relatio transcendentalis ad creaturas; & consequenter neque deficeret Deus. Quod quidem late exponimus, & propugnamus in Theolog. tract. de Essent. & Attrib. Dei. disp. 6. sect. 4.

SECTIO V.

AN CAUSAE NECESSARIO

requirant existentiam ad cau-
sandum?

SIT CONCLUSIO: ita est necessaria existentia causa in primo instanti temporis, in quo existit effectus, ut neque naturaliter, neque supernaturaliter possit causare effectum, ut non existens in tali instanti. Conclusio est contra aliquos Thomistas. Illam tenet Scotus expressè in 2. dist. 2. quæst. 10. §. concedo, quod potest, num. 5. vers. ad istam conclusionem, ex Philosopho 5. Met. cap. De Causa, & dist. 12. quæst. 1. n. 11. §. dico igitur. Deinde in 4. dist. 1. quæst. 5. §. contra istam opinionem, num. 5. vers. quod si ultra fingas, ex hoc principio probat, Sacramenta non causare physicè, nisi moraliter gratiam; quia cum sint successive, & in continuo fieri; gratia verò causetur in ultimo instanti, in quo verba iam non existunt physicè, nequeunt causare physicè gratiam. Supponit etiam nostram conclusionem in eodem 4. dist. 12. quæst. 3. §. hic est opinio, nu. 6. vers. item hoc potest argui.

Prob. primò concl. ex Philos. 2. Phys. 37. & 5. Met. 3. ubi ait, quod causa, & effectus simul sunt, & non sunt: ergo nequit dari causa non existens, dum

existit effectus: ergo nequit non existere causa in primo instanti, in quo existit effectus. Deinde, ex 4. Met. text. 16. ubi admirativè ait: *Illae quae non sunt, quomodo loquentur, aut ambulabunt!* Quasi dicat impossibile esse, quod loquantur, aut ambulent illae, quae non existunt: ergo, &c.

Secundò prob. ex D. Gregor. Thaumaturg. sic asserente: *Nisi quis fortè ita insanat, ut id, quod non est, etus, quod est, causam esse affirmet;* atqui quod non existit non est: ergo ex D. Greg. insanat erit defendere causam, ut non existentem posse producere effectum.

Antequam ratione probetur conclusio, noto, sensum illius non esse, quod causa quavis, quomodolibet sit, & influat, debeat existere physicè ad causandum effectum; sed solum vult dicere, quod causa propriè, physicè, & realiter influens ad causandum, debeat etiam existere physicè, & realiter; at verò si causa solum sit metaphysicè influens, hoc est, vel alliciendo, sive moraliter solum, non requiritur, quod physicè, & realiter existat, sed sufficit existere etiam moraliter, sive in esse cognito uti fuerit influxus illius in effectum.

Nunc autem probatur iam 3. concl. ratione: quod non existit est merè possibile; sed merè possibile nihil potest causare.
rea-

realiter ergo ad causandum realiter necessariò debet existere causa. Mai. est certa; quia per solam existentiam extrahuntur res à statu mere possibilitatis. Min. prob. quod est mere possibile actualiter est purum nihil physicè, & realiter, vt in Met. tract. 3. disp. 2. sect. 1. sed purum nihil physicè nequit adhuc diuinitus aliquid physicè causare: ergo &c. Min. etiam constat, aliàs ignis non productus calefaceret, & quælibet causa non producta, neque existens produceret suos effectus, quòd nemo sana mentis diceret.

Respondent aliqui Thomiste, posse causam causare, licèt non existat in illo instanti, in quo causat, dummodò in instanti antè extiterit.

Contra, licèt causa extiterit in instanti immediatè antè, in illo instanti, in quo non existit, est mere possibilis, & ita purum nihil physicè, & realiter, ac si nunquam extitisset: ergo eodem modo concludit ratio prædicta de existente in instanti immediatè antè, si in instanti, in quo causatur effectus, non existit, ac de illa, quæ nunquam extitit.

Et deindè, si in alijs instantibus subsequenibus ad primum instans sui non esse, in quibus causa non existit, non potest causare effectum, quare in primo instanti sui non esse poterit causare? Certè nulla est maior

ratio vnius, quàm alterius; quia sicuti in instantibus subsequenibus, nec datur causa in rerum natura, nec eius virtus, cum ista identificetur cum causa, cuius est virtus: ità in primo instanti sui non esse, nec datur causa in rerum natura, neque eius virtus ob rationem dictam. Aliàs sequeretur, quod homo mortuus posset mereri in primo instanti, in quo iam est mortuus, quòd dici nequit.

Respondet Recentior Thomista cum aliquibus ex suis, verum esse, quod non quælibet causa non existens potest causare effectum; sed solum illa, cuius virtus manet existens in retu natura, & hoc nõ solum in instanti immediato, verum etiam post plura instantia ad illud, in quo causa perijt. Quod probat in homine proijciente sagittam, qua interficit inimicum, qui potest mori antequam sagitta inimicum percutiat, qui reuera postquam non existit, interficit inimicum, eo quod existit illius virtus in sagitta proiecta. Et etiam in agentibus producentibus medio semine, quæ, postquam non existunt, producant; quia in feminibus existunt illorum virtutes, siue existunt ipsa virtualiter in seminibus.

Sed hoc iam est cõcedere existentiam physicam in causa immediata, qualis est sagitta, siue

impulsus in ea impressus solutionis continui in homine, ex qua sequitur mors, cuius solutionis emittens sagittam, solum est causa mediata, & immediata impulsus in ea impressi: unde proijciens sagittam dicitur causa mortis, & bene; quia causa causa est causa causati. Etiam est dicendum de seminibus esse causas immediatas productorum ex illis, & quæ emittunt semina esse mediatas. Et de immediatis dicimus debere existere in primo instanti, in quo existit effectus.

*SOLVUNTUR ARGUMENTA
contraria.*

SIT primum argumentum: dicta causa existentia non requiritur ex ratione causa realis in communi, neque ex ratione causa efficientis: ergo non requiritur. Prob. I. pars antecedentis: causa finalis est causa realis, & tamen non existit. Secunda pars etiam prob. quia in conceptu causa efficientis non includitur existentia: ergo. Prob. antec. conceptus causa efficientis est *id à quo aliud*: ergo non includitur existentia.

Resp. dist. primam partem antecedentis: si sub conceptu causa realis comprehendatur causa non physicè, sed metaphoricè alliciendo, & movendo influens, conc. si solum comprehendan-

tur causa physicè influentes in suos effectus, neg. & conc. quod finis non existit physicè; quia non influit physicè, nisi metaphoricè, sive secundum quid, hoc est, movendo, & alliciendo voluntatem, quomodo, scilicet secundum quid, & in esse cognito, etiam debet necessario existere, ut causet. Secundam partem primi antecedentis neg. & etiam antec. probationem illius. Tertium verò antec. probationem secundi conc. & neg. consequ. Quia illa particula *id* apppositi conceptus causa efficientis, cum alijs significat aliquod existens, sive subintelligitur; quia quod non existit est nihil reale, & à nihilo non est aliquid. Quod patet: in intelligentis conceptu non includitur expressè existentia; & tamen nullus dicit posse intelligere non existens.

Sit 2. argum. non est necessaria in causa ad agendum presentia intima localis cum effectu, sed sufficit contiguitas: ergo neque coexistentia in eodem instanti, sed sufficiet contiguitas, hoc est, quod extiterit causa in instanti immediatè antè.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. & paritatem. Disparitas stat in hoc, quod contiguitas localis supponit causam, dum causat; at verò contiguitas, sive non coexistentia causa cum primo esse effectus, supponit non esse

causam (quia quod non existit non est) dum causat , quod est impossibile, aliàs quin aliquando extitisset, & mille annis post illius destructionem posset causare, & non esset ratio, cur non causaret de facto.

Sit 3. arg. multis experiētijs; quia instans temporis, & mutū esse motus causantur à tempore, & à motu; & tamen nec tempus, nec motus existant simul cum instanti, & cum mutato esse, sed præcesserunt immediatè. Forma substantialis sequitur alterationes prævias, ut effectus earum; quæ tamen non existant simul cum forma, sed corrumpuntur ad corruptionem compositi præcedentis, in quo subiectabantur. Forma mixti etiam taliter ab elemētis causatur, quòd elementa destruantur in adventu formæ mixti. Quod etiam evenit, quandò duo ad invicem agunt, & simul corrumpuntur. Semen etiam producit vivens, & non existit simul cum illo. Intellectio præcedens est causa volitionis subsequēntis. Intentio est causa electionis. Volitio imperat motum localem; & tamen potest brevissimo tempore durare, & motus subsequi per longum temporis spacium virtute præcedentis volitionis. Assensus præmissarum est causa assensus conclusionis, & non existant simul. Sacramenta, dum non existant, cau-

lant phylicè gratiam; ergo.

Resp. breviter ad omnia hæc suo ordine. Vnum instans temporis non est causa alterius; sed omnia causantur ab intelligentia movente primum cœlum, quæ est causa temporis. Mutatum esse non causatur ab ipso motu, nisi ab efficiente formam, per quam subiectum est formaliter mutatum. Forma substantialis non causatur ab illis prævijs dispositionibus, nisi ab agente substantiali. Elementa sunt quasi causa materialis, quatenus scilicet forma mixti recipitur in illorum materia; non verò sunt causa formæ mixti. Inter se verò effectivè concurrunt ad illam mutuam actionē; non tamen possunt simul mutuo se destruere; quia victoria in actione provenit ex proportione maioris inæqualitatis, id est, propter excessum unius contrarij in aliud, & consequenter nequeunt simul ad invicem corrumpi; sed si simul corrumpuntur, corrumpuntur ab aliqua alia causa distincta producente in materia elementorum illorū formam substantialem eam formis elementorum incompatibilem. Semen, ut ait Scotus in 3. dist. 2. q. 3. & dist. 4. quæst. vnic. habet partes activas, quæ vsque ad introductionem formæ corporeitatis perseverant, & postea vel per nutritionem cōvertuntur in substantiā aliti, vel foras

expellantur. Intellectio, ultra quod non est causa volitionis, sed conditio sine qua non, coexistit volitioni. Idem dicendum est de intentione respectu electionis mediocrum. Assus imperans voluntatis non est causa motus localis, nisi ipsa potentia loco motiva. Assensus pramissarum simul cum assensu conclusionis existit. Quæ omnia in lib. de Generat. & Anim. explicabuntur diffusè. Sacramenta non causant physicè gratiam, nisi moraliter.

Sit 4. arg. saltem supernaturaliter hoc potest facere Deus, elevando causam non existentem ad causandum: ergo &c. Prob. antec. Deus potest supplere omnem causalitatem causæ efficientis: ergo multo magis quamlibet conditionem sine qua non respectu causæ efficientis; atqui existentia causæ efficientis est conditio sine qua non potest efficere: ergo potest suppleri à Deo: ergo & causa efficiens causare sine existentia.

Resp. neg. antec. ad eius probationem dist. antec. potest supplere, hoc est, potest se solo producere, quod potest causa efficiens secunda, conc. hoc est, potest se solo producere, & simul facere quod producat causa secunda, neg. quia hoc est contradictio. Conseq. conc. pro nunc, & neg. min. subsumptam; quia existentia causæ est ipsa causa,

vt diximus in Met. tract. 3. disp. 2. sect. 2. & nequit Deus facere, quod causa producat, si non est causa.

SECTIO VI.

VTR. CAUSÆ DEBEANT esse priores suis effectibus?

AD resolutionem præsentis difficultatis notandū est, quod licet multiplex sit prioritas, & posterioritas, quæ reperiri potest inter aliqua, vt in Theolog. tract. de Trinit. disp. 2. sect. 9. in præsentī solūm est difficultas de prioritatibus temporis, & naturæ; & istius non de prioritate naturæ latè, sed strictè sumpta. Prioritas namque temporis est illa, iuxta quam aliquid præcedit tempore aliud, v.g. homo hodie natus respectu cras nascituri. Prioritas strictè naturæ stat in hoc, quod prius sit independens à posteriori, & posterius sit dependens à priori.

Circa quas prioritates notandum est etiam, quod prioritas temporis, siue durationis potest stare in aliquo respectu alterius siue prioritate naturæ, quod patet in illis, quorum vnum tempore præcedit aliud, quin illud dependeat ab illo: & potest stare etiam cum illa, vt constat in causa tempore præcedente suum effectum, à qua talis effectus dependet. Similiter prioritas naturæ potest esse sine prioritate temporis, vt patet in causa, & esse.

effectu simul tempore existentibus, in Sole v. g. respectu lucis, quæ existit in primo instanti temporis, in quo existit Sol, & tamen lux dependet à Sole; Sol verò nequaquam à luce.

Cùm ergò causa sit multiplex, & aliquæ, vt intrinsecæ, varia causata, siue diversos effectus respiciant, & quælibet diversimodè considerari possit, nequit difficultas vnica conclusione, sed pluribus resolvi.

Ad quod notandum est, quòd causa valet accipi specificativè, pro entitate scilicèt absoluta ipsius causæ, à qua procedit entitas absoluta effectus, & potest sumi reduplicativè, nempè prout dicit relationem causantis ad causatum, in qua duplici consideratione potest etiam accipi effectus. His sic praintellectis.

SIT 1. CONCLUSIO: causa intrinsecæ totius, nempè materia, & forma specificativè sumptæ, & ad invicem comparatæ, ex se neutra est prior natura alia. Conclusio hæc à nullo potest dubitari; quia cùm Deus se solo possit producere, & per creationem quidquid possunt causæ secundæ per educationem poterit creare materiam, & formam simul, vel vnã ante aliam, prout voluerit, & postea illas ad invicem applicare, vt vniantur, in quo casu neutra influit in existentiam alterius: ergo ex se, & specificativè sumptæ neutra est

alia prior natura. Ex quo constat, vttramque posse esse simul tempore, & quamlibet alia priorem, prout voluerit Deus illas creare. Vndè constat, quòd anima rationalis, cùm solum à Deo sit producibilis, & per creationem, vt diximus in Theol. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1. vers. su 3. conclusio, nec est prior, nec posterior natura materia prima, nec è contra: & licèt de facto sit tempore posterior, potuit ex se esse simul, & prior, si Deus sic voluisset creare.

SIT 2. CONCLUSIO: causa materialis, & formalis educta ex materiali specificativè sumptæ, possunt esse simul tempore, non verò simul natura, sed causa materialis debet esse prior natura formali. Prob. & explicatur conclusio quoad omnes suas partes. Er primò, quòd possunt esse simul tempore patet, quia in eodem instanti temporis, in quo Deus creavit materiam, potuit creare causam aliquam secundam productivam formæ substantialis in materia: & talis causa in primo instanti sui esse educere formam ex potentia materiæ; quia non repugnat, quòd causa efficiens producat suum effectum in primo instanti sui esse, vt videbimus infra: ergo dictæ causæ specificativè sumptæ secundum suas entitates absolutas, possunt esse simul tempore.

Quod

Quod materia debeat esse prior natura, quæ erat alia conclusionis pars, prob. quia causa efficiens secunda educens formam ex materia taliter operatur, quod dependet à materia ad producendum formam, dependentia, quæ dicitur indigentia: ergo forma educta dependet à materia, tanquam à subiecto, ex quo educitur, sive in quo recipitur ex vi productionis; atqui materia non dependet à forma ad sui productionem; nam creatur: ergo causa materialis specificativè sumpta secundum suam entitatem absolutam est prior natura, quàm forma.

SIT 3. CONCLUSIO: causa formalis specificativè sumpta non est prior natura causa materiali, quam informat, etiam specificativè accepta. Patet, quia causa formalis, ut diximus supra, non alium effectum præstat causæ materiali, quam informat, nisi se ipsam; sed nihil est prior se ipso: ergo.

Confirmatur: quia materiæ specificativè sumptæ non est propriè causa forma informans illam; quia esse causam formalem, sive dare illi suum effectum formalem, nihil est distinctum ab ipsa forma, ut diximus, nisi ipsam esse causæ materiali communicatam: ergo sumpta, non reduplicativè ut communicata, nisi specificativè secundum suam entitatem absolutam non est

prius natura, quàm materia.

SIT 4. CONCLUSIO: causa materialis, & formalis sumptæ specificativè ut inter se unitæ, præcisè necessariò sunt simul tempore cum toto, & natura priores. Est conformis Scoto allegato lib. 1. disp. 6. sect. 3. & præcedentes etiam sunt conformes doctrinæ ipsius infra allegandi. Et patet utraque pars; quia materia, & forma unitæ sunt causa intrinseca adæquata totius distincti realiter ab illis, non producti physicè, sed metaphysicè resultantis ab illis, ut manet probatum ubi supra: ergo in nullo instanti temporis possunt existere partes unitæ, in quo non existat totum, aliàs possent etiã longo tempore, quod non dices. Deinde; quia quæ habent esse per resultantiam metaphysicam in hoc distinguuntur ab illis, quæ per productionem physicam habent esse, quòd ista possunt non existere, existente illorum causa totali, scilicet non concurrente Deo; illa verò non, ulterius, quia causa intrinseca in hoc distinguitur ab extrinseca, quod ista potest existere sine effecto, & è contra; illa verò non. Ex quibus sequitur alia pars; quia eo ipso quod ex partibus unitis resultat totum, istud dependet ab illis; illæ verò non dependent ab isto: ergo sunt priores toto prioritate natura.

SIT 5. CONCLUSIO: non requi-

quiritur, quod causa efficiens sit prior tempore, seu duratione suo effectui. Est expressa Scoti in 1. dist. 39. quæst. vnic. §. *quantum ad primum dico*, quod voluntas, num. 16. vers. *de secundo dico*, & sequenti, & in 2. dist. 1. quæst. 3. §. *tenentes*, num. 17. vers. *ad secundam rationem*; & dist. 5. quæst. 2. §. *de miseria culpæ*, num. 7. vers. *ideo dico, quod potentia*; & in 3. dist. 18. quæst. vnic. num. 18. §. *ad aliud, cum dicitur*, num. 18. vers. *aliter potest dici*, & in alijs pluribus locis. Prob. primò concl. ad causam efficientem solùm requiritur, quod efficienter influat in effectum; sed licet præcessisse tempore non obstat, tamen quin præcedat tempore potest influere: ergo &c. Prob. minor; quia omnia instantia temporis antecedentia, in quibus existit causa, antequàm influat, & in quibus existere eger, per te, vt influat, vel requiruntur, quia iam causa influit in illis instantibus, vel quia disponitur in illis ad agendum, sive influendum: si dicas, quod quia causa agit iam in illis antecedentibus instantibus. Contra primò: ergo iam non requiritur, quod existat, antequàm agat, siquidem, per vos, agit iam in illis instantibus, in quibus requiritur, quod existat. Secundò contra; quia licet hoc requiratur in productione successiva, repugnat instantaneæ: ergo &c. Si autem

asserat, quod quia in illis instantibus antecedentibus disponitur causa ad agendum, cõtra, quia si produceretur iam disposita, quod non repugnat Deo, vt ex se patet, iam in primo instanti durationis sui esse produceret effectum: ergo non requiritur, quod existat prius tempore, aut duratione.

Prob. secundò: illud solùm necessariò, & per se est supponendum in causa, ad hoc vt influat in effectum, quod necessariò, & per se exigitur in illa ad productionem effectus; sed ad hoc sufficit quod causa existat in illo instanti, quo effectus producitur: ergo existentia causa antè illud instans, in quo effectus producitur, valdè per accidens se habet ad hoc, vt causa producat effectum: ergo potest illum producere, quin antea extiterit.

Et confirmatur in luce respectu Solis, & in calore respectu ignis, qui sunt illorum effectus ab illis producti in primo instanti existentia illorum, alias in aliquo instanti temporis esset Sol, & non esset lux, & ignis in aliquo instanti temporis non esset calidus.

SIT 6. CONCLUSIO: causa efficiens specificativè sumpta essentialiter est prior natura suo effectui. Etiam est Scoti in locis pro antecedenti conclusione allegatis. Probatur: prioritas natura

tura cōsistit in hoc, quod prius sit independens à posteriori, & posterius sit dependens à priori, sed causa est independens ab effectu; quia non recipit suum esse ab illo, & effectus est dependens à causa, utpotè recipiens suum esse ab illa: ergo causa debet esse prior natura suo effectu. De causa finali, dum de illa agamus, videbimus quomodò debeat præcedere suum effectum, & quomodò non.

SIT 7. CONCLUSIO: quælibet causa, respectu cuiuslibet effectus, sumpta causa reduplicativè, ut causa, & sumpto effectu reduplicativè, ut effectus, est simul natura cum suo effectu. Ita Scotus varijs in locis, & specialiter citatus in Theol. tract. de *Voluntate Dei*, disp. 4. sect. 3. subsect. 7. à veris. *distinct. etiam* 43. Ratio est; quia causa formaliter ut causa, & effectus formaliter ut effectus sunt correlativa, sicut Pater ut Pater, & filius ut filius, sed correlativa ex Philos. sunt simul natura, & cognitione: ergo &c.

*EXPENDUNTUR ARGUMENTA
contra aliquas ex præfatis
conclusionibus.*

SIT primum argumentum contra primam conclusionem: causa formalis dependet à materiali, tanquam à subiecto, in quo recipitur: ergo causa mate-

rialis necessariò debet esse prior natura, quam formalis.

Resp. dist. antec. ex se, neg. per accidens, conc. Licet enim forma recipiatur in materia, si ab illa non educitur, neque ab illa dependet, ut patet in anima rationali.

Sit 2. argum. contra 4. conclusionem: materia, & forma unitæ existunt ad existentiam totius: ergo non præcedunt natura illud.

Resp. dist. antec. si per ly *existunt ad existentiam totius*, solum intelligant, quod in eodem instanti temporis, in quo existunt partes unitæ, necessariò existit totum, conc. si intelligant, quod existentia partium unitarum provenit aliquomodò ex existentia totius, nego, & etiam conseq. Satis patet ex se solutio, & ex dictis lib. 1. disp. 6. sect. 3.

Sit 3. arg. Scotus in 4. dist. 1. q. 1. ait, formam esse in materia est compositum habere esse; sed formam esse in materia nihil est aliud, quam materia, & forma unitæ: ergo istæ non præcedunt natura compositum.

Resp. Per hoc solum voluisse Scotum insinuare simultatem temporis, quatenus ita essentialiter dependet totum à partibus unitis, & ita necessariò connectantur partes unitæ, & totum, quod in nullo instanti possunt existere partes unitæ, in quo nõ existat totum etiam: non verò

voluit dicere totum non dependere à partibus vnitis, quam dependentiam docet multoties, vt vidimus lib. 1. disp. 6. sect. 3. & in qua prioritas naturæ consistit.

Sit 4. argum. quod est prius natura potest existere sine posteriori, maximè si ab illo distinguitur realiter; sed partes vnitæ non possunt existere sine toto, à quo, per nos, distinguuntur realiter: ergo non sunt prius natura, quam totum.

Resp. primò dist. mai. absolute, nego; sine contradictione, conc. & in hoc sensu neg. min. Existencia namque partium vnitarum sine existencia totius nõ est contradictio, cum sint quid distinctum, & absolutum, quod sufficit ad prioritatem naturæ, cum detur dependentia vnus ab alio. Quod patet in duobus albis, quæ secundum entitates absolutas præcedunt natura relationem similitudinis, & tamen nequeunt existere sine illa. Eo quod licet non possint existere sine similitudine non est contradictio existere duo alba, & non existere relationem.

Resp. secundò aliter dist. mai. quod est prius natura potest existere sine posteriori aliquomodo, conc. omni modo, neg. conc. min. & neg. conseq. Vt partes vnitæ præcedant natura totum, sufficit quod separatæ possint existere sine illo. Quod enim

vnitæ non possint, provenit ex eo, quod totum non habet esse ab illis tanquam à causa extrinseca efficiente, cuius influxus potest suppleri, & impediri à Deo; sed tanquam à causa intrinseca per emanationem metaphysicam, quæ neque suppleri, neque impediri potest à Deo, vt constat etiam in relationibus, debitè existentibus extremis.

Sit 5. argum. contra quintam conclusionem; idè causa dicitur præcedere effectum, quia vt illum producat, debet ipsa supponi in esse, & existere; sed existencia est in duratione reali: ergo supponi debet præexistens, saltem in aliquo instanti temporis.

Resp. dist. mai. quia vt illum producat debet ipsa supponi in esse, & existere, in aliquo instanti temporis antequam existat effectus, neg. in eodem instanti temporis, & cum dependentia effectus à causa, independentiaq; causa ab effectu, conc. Etiam min. & nego conseq. Nunquam verè dicitur causam debere præcedere effectum tempore, siue duratione, sed debere saltem in eodem instanti temporis existere, & esse priorem natura, hoc est, non repugnare illi esse sine effectu, vt potè independenti ab illo; effectui verò repugnare sine causa, quia ab ista dependet.

Instabis; ergo erit verum dicere,

cere, quod causa, & effectus sunt simul.

Resp. dist. consequens : quod sunt simul tempore, conc. natura, nego. Hoc est, quod asserimus in conclusione.

Sit 6. arg. causa libera debet præcedere tempore : ergo etiam causa naturalis. Prob. antec. causa libera ita habet potentiam ad operandum, vt simul habeat potentiam ad non operandum; atqui operatio, & non operatio non possunt esse simul in eodem instanti : ergo causa libera debet præcedere duratione actum liberum.

Resp. ex Scoto allegato pro conclusione impugnata, in 1. dist. 39. neg. antec. Ad illius probationem dist. mai. ita habet potentiam ad operandum, vt simul habeat potentiam ad non operandum simul, neg. ad non operandum divisivè, conc. etiam min. & neg. conseq. In eodem instanti temporis, in quo voluntas producit actum, habet talem potentiam ad illum non producendum, quod sicuti producit illum ex sua libertate, potest divisivè in eodem instanti illum non producere.

Sit 7. argum. contra 7. conclusionem: Deus ab æterno est causa in actu, non solum primo, sed etiam secundo, & vt est causans; sed nullus effectus est ab æterno, nisi in tempore: ergo causa vt formaliter causans tempore

præcedit effectum. Prob. mai. actio est in agente : ergo est in Deo; atqui Deo nihil potest advenire de novo: ergo est ab æterno : ergo vt formaliter causans præcedit duratione effectum.

Resp. dist. mai. est causa in actu secundo respectu effectus producti in esse diminuto, nempe in esse cognito, & voluto, conc. in esse simpliciter, scilicet in esse realis existentia à parte rei, neg. Similiter dist. min. sed nullus effectus est ab æterno, nisi in tempore, in esse simpliciter, & reali, conc. in esse diminuto, & secundum quid, neg. & etiam conseq. Ad probationem mai. dist. antec. si agens est capax actionis, conc. si capax non est, neg. antec. & conseq. Conc. min. subsumptam, & neg. suppositum primæ conseq. scilicet, quod detur in Deo actio in ordine ad creaturas, quas producit, & neg. ultimam conseq. Vt enim in suo loco videbimus, causa non producit effectum media actione præcedente entitatem absolutam effectus; sed ab absoluto causæ oritur immediatè absolutum effectus; & existentibus iam in aliquo priori naturæ entitate absoluta causæ, & entitate absoluta effectus, dimanat, sive resultat ex ista relatio dependentiæ passivæ ad causam, quæ dicitur passio, sive actio passiva, & in eodem instanti naturæ, si entitas

causa sit capax relationis realis ad effectum, resultat in illa relatio dependentiæ activæ ad effectum, quæ dicitur actio, quæ quidem cum sint relationes mutux, sunt simul natura, & cognitione: ac per consequens in hoc sensu causa non est prior, sed simul natura cum effectum, ut dicit nostra conclusio. Et cum Deus non sit capax relationis realis ad creaturas, ut multoties cum Scoto propugnamus in Theol. nunquam datur in Deo actio productiva creaturæ, sed denominatur extrinsecè producens creaturam, sive causa creaturæ per actionem passivam fundatam in ipsa creatura, & terminatam ad Deum, quæ denominatio non est ab æterno, nisi in tempore; quia non ab æterno, nisi in tempore est forma denominans: & ideo Deus non dicitur Creator, Dominus, & alia huiusmodi ab æterno, nisi in tempore.

Sit 8. arg. Scotus 5. Met. q. 7. notat, quod quandò effectus est res permanens, & producitur per motum, contingere potest, quod causa agat, & effectum nõ attingat ob aliquod impedimētum, quod sæpè evenit: ergo in tali casu causa est formaliter causa, & præcedit tempore effectum. Resp. conc. totum antec. & dist. consequens: ergo est formaliter causa, & præcedit tempore effectum, cuius est forma-

liter causa, neg. cuius non est formaliter causa, conc. In dicto casu adhuc causa non est formaliter causa, sive causans effectum principalem, quomodò nihil mirum, quod tempore præcedat illum; sed solum est formaliter causa aliquarum dispositionum, quæ ut causa formaliter illarum, nec tempore, nec natura præcedit illas, ut formaliter sunt illius effectus; sed sunt simul natura, & cognitione, ut potè correlata.

Sit 9. argum. omne agens per motum, etiam formaliter ut agens, & ut causa, est prius tempore suo effectum; quia motus nequit esse in instanti, cum sit successivus: ergo &c.

Resp. dist. antec. ut agens primam, & secundam partem formæ, sive effectus v. g. est prius tempore alijs partibus posterioribus, quarum adhuc non est formaliter agens, nec causa, conc. præcedit primas partes, ut causa formaliter illarum, nego, & etiam consequentiam. Patet ad distinctionem per solutionem præcedentis argumenti.

Sit 10. arg. causa ut formaliter causans dat esse effectui; sed quod dat esse alteri est prius illo: ergo causa ut formaliter causa est prior effectum.

Confirmatur 1. effectus prout terminat actionem suæ causæ, dependet a sua causa: ergo est sua causa posterior.

Confirmatur 2. Pater in divinis constituitur in esse Patris per actionem generativam, qua producit actualiter filium, & nihilominus Pater prout Pater, & generans est prior filio: ergo etiam causa formaliter ut causa.

Resp. ad arg. neg. mai. Causa enim secundum quod habet virtutem dat esse effectui, & posito effectui, in sequenti instanti natura resultant in eorum entitatibus absolutis correlationes causa, & effectus, ut manet dictum supra: & sic causa dat esse effectui; non formaliter, ut causa, sed specificativè, & ut natura precedit actionem. Si enim per causam formaliter causantem intelligant causam, ut ab illa egreditur entitas absoluta effectus, ut sic, est sola entitas absoluta causa, ut precedit causalitatem, quæ dicitur actio, & per quam denominatur formaliter causa.

Ad 1. confirmat. resp. dist. mai. dependet à sua causa specificativè sumpta, hoc est, ab entitate absoluta causa, conc. reduplicativè accepta pro relatione ad effectum, neg. quia sic est post entitatem absolutam effectus, & hæc est quæ terminat relationem causa; quia effectus reduplicativè ut relatus ad causam, est correlatus illi, & sic non dependet ab illa, sed sunt simul natura, & cognitione, ut manet dictum.

Ad 2. confirmat. conc. quod Pater in divinis constituitur in esse Patris per actionem generativam, qua producit actualiter filium, & dist. illud: Pater prout Pater, & generans est prior filio origine, conc. natura, neg. quia sunt correlativa. Videatur quæ expendimus in Theol. tract. de Trinit. disp. 6. sect. 2. vers. ult. & disp. 2. sect. 9. Nec valet paritas de divinis ad creatas; quia in divinis est una, & eadem individua natura in producente, & producto, ob quod ipsa relatio producti oritur identificata cum natura; at verò in creatis, quod originatur à producente est natura realiter distincta, & numero à natura producentis, & postea resultant relationes producentis, & producti.

SECTIO VII.

VTR. CAUSA SIT PERFECTIO suo effectui

OB rationem, quam diximus, non posse resolvì unico, sed multiplici asserto precedentem difficultatem, similiter neque presens quæsitum valet: quare de singulis causis ad earum effectus comparatis per nonnullas conclusiones resolvetur.

Ad quod suppono, ex antecedenti sect. quod licet forma dicatur causa formalis materia, cum

Si solum talis dicatur, eo quia materiae tribuit suum effectum formalem, quod nihil aliud est, quam materiam informate, & hoc nihil aliud sit, quam ipsam formam communicari materiae, effectus formae respectu materiae erit ipsa forma communicata materiae: ac per consequens nequit verti in dubium, an effectus, quem dat causa formalis materiali sit Perfectior, vel imperfectior ipsa causa formali; quia eiusdem ad se nulla potest fieri comparatio.

Suppono deinde, quod licet causa materialis respectu formae non educibilis ab illa, sed praecise receptibilis in ea, informativaque ipsius, dicatur causa materialis, ex huiusmodi essendi causam, cum nihil tribuatur formae ab illa, neque ex illa educat formam causa efficiens, sed solum recipiatur in illa, nequit inferri, nec argui maior, vel minor perfectio in effectu, scilicet forma, neque in causa, videlicet materia; quia non repugnat causa materiali ex praecisa ratione receptivi recipere formam perfectiorem se ipsa, neque imperfectiorem, ut patet in materia prima, quae imperfectior est qualibet forma substantiali, & specialiter anima rationali, & perfectior qualibet forma accidentali, eo quod substantia, & est receptiva omnium istarum formarum. His ita stabilitis.

SIT 1. CONCLUSIO: causa materialis respectu effectus ab ipsa educibilis, sive educi, potest esse magis, & potest esse minus perfecta suo effectu: ac per consequens huiusmodi causalitas, sive continentia virtualis effectus in causa, non arguit minorem perfectionem in effectu, neque maiorem in causa. Est conformis Scoto in 3. dist. 22. quaest. vnic. §. *quantum ergo*, num. 16. vers. *ad secundum*. Conclusio est certissima; quia, ut ait Scotus citatus, forma substantialis est perfectior materia, & ex ista educitur illa: deinde etiam accidentia educuntur ex substantia, nempe vel ex materia, vel ex forma substantiali, vel ex toto, & sunt minus perfecta, quam substantia: ergo.

SIT 2. CONCLUSIO: causa partialis intrinseca, scilicet materialis est minus perfecta causato, nempe toto per se substantiali. Hac apud omnes est certa; quia ex substantijs nulla minus perfecta, quam materia prima, quae quidem est causa intrinseca materialis totius per se, siquidem est ens incompletum; totum vero est completum: & deinde, materia non habet aliquam perfectionem, qua careat totum, sitque ita excellens, ut possit recompensare, aut excedere perfectionem completionis.

SIT 3. CONCLUSIO: causa partialis intrinseca, nempe formalis,

malis, est perfectior suo causato, scilicet toto per se substantiali. Est expressa Scoti 7. Met. quaest. 6. num. 2. §. dicendum, quod forma, & specialiter vers. ad primum argumentum, sic ait: *Sed est proprium esse forma, tam quidditativum, quam existentia, & esse illud est esse, quo aliquid existit, & secundum illud esse praecedit compositum, & illud esse est simpliciter nobilius esse compositi.*

Ratione prob. totum substantiale dimanat à materia, & forma, taliter quod esse ipsius non solum oritur, & derivatur ab entitate formae, sed etiam ab entitate materiae: & taliter in ipso confunduntur substantiae materiae, & formae, ut habetur in Symbolo S. Aranas. quod totum non solum non est materia, & forma, verum nec illud, quod habet ratione materiae, est separabile ab illo, quod habet ratione formae, alias iam substantiae in toto non essent confusae: ergo esse totius minus perfectum debet esse, quam esse formae. Quidquid continet antec. est certum in Scoti sententia, & constat ex dictis in Log. tract. 2. dist. 4. sect. 4. & ex appositis hic lib. 1. disp. 6. sect. 3. Coseq. prob. forma taliter est causa partialis totius, quod cum materia dat esse illi, licet non per influxum physicum, tamen per metaphysicum influxum: ergo non dat illi esse perfectius, quam sit esse

formae; quia non est intelligibile, quod aliquid det suo effectui maiorem perfectionem, quam in se habet; atqui neque dat aequalem, alias forma, & totum essent eiusdem speciei, quod est falsum; & aliter non potest esse; quia, ut ait Philos. species sunt sicut numeri, nempe inaequales in perfectione: ergo de primo ad ultimum constat, quod forma dat toti minorem perfectionem, quam in se habet. Deinde, materia nequit praestare maiorem, ut etiam patet ex dictis: ergo non est unde compositum substantiale possit habere maiorem perfectionem, quam forma, neque aequalem: ergo causa formalis perfectior est suo causato.

Prob. 2. perfectio totius non solum est à forma, sed etiam à materia, taliter quod perfectio illa, licet à qualibet parte resultat partialiter partialitate causae, à qualibet resultat totaliter totalitate causati; quia cum perfectio totius sit indivisibilis in duas partes, quarum una resultat à materia, & alia à forma, indivisibiliter debet resultare à duabus: ergo esset perfectio totius posset aequare perfectioni formae, casu scilicet quo posset provenire à sola forma, cum non possit à sola forma provenire, sed debeat etiam provenire à materia, fit ut talis perfectio nunquam possit evadere maior, imò neque

neque æqualis perfectioni formæ. Patet conseq. quia est perfectio, quæ potest provenire à materia, possit esse maior, quàm perfectio materiæ; quia provenit etiam ab alia causa perfectiori materia, qualis est forma, tamen talis perfectio debet sapere perfectionem materiæ; ergo concluditur ex hoc, quod licet sapiat etiam perfectionem formæ, non possit æquare; nam perfectio formæ est talis, quod nihil habet materiæ.

Confirmatur, & declaratur in homine hæc ratio, cuius perfectio nullatenus æquat perfectioni animæ rationalis, quod evidenter convincitur dicta ratione, quam sic efformo; quælibet substantia spiritualis est perfectior quælibet materiali, & corporali; ergo quia spiritualis est perfectior, est perfectior, & quia materialis, & corporea est materialis, & corporea est minus perfecta; sed homo est substantia materialis, & corporea, & est talis quia sapit materiam, à qua resultat, & talis non est, quia sapit animam rationalem, quæ purè spiritualis est; ergo quia perfectio hominis non solum provenit ab anima rationali, sed etiam à materia, fit, ut licet evadat perfectior materia, quia provenit etiam ab anima, non evadat tantæ perfectionis, ac si à sola anima proveniret; ac per consequens minoris perfectionis, ac anima.

SIT 4. CONCLUSIO: causa adæquata intrinseca perfectio est suo causato. Est conformis Scoto allegato conclusione antecedenti, & in 4. dist. 12. q. 3. num. 13. §. *secunda conclusio*, ubi ait, loquendo de causa efficiente, quod æquivoca adæquata semper est perfectior suo effectu. Ex quo prob. sic nostra conclusio non est intelligibile, quod ab aliquo possit provenire maior perfectio, quàm in se habet; quia nemo dat quod non habet; sed totum provenit à sua causa intrinseca totali; ergo nequit esse perfectior illa; ergo est minus perfectum. Prob. hæc ultima conseq. ratione iam supra tacta; quia totum est distincta speciei; & species, ut diximus, sunt sicut numeri; ergo si totum non est perfectius sua causa intrinseca adæquata, restat quod sit minus perfectum.

SIT 5. CONCLUSIO: causa efficiens univoca est æqualis perfectionis cum suo effectu. Ita Scotus in 4. dist. 12. q. 3. nu. 13. §. & vers. *secunda conclusio*. Est communis apud omnes; & patet; quia causa univoca est, quæ producit effectum eiusdem speciei cum ipsa; sed quæ sunt eiusdem speciei sunt æqualis perfectionis essentialis; ergo &c.

SIT 6. CONCLUSIO: causa æquivoca totalis, & adæquata semper est maioris perfectionis, ac effectus. Etiam est Scoti allegati

gati à verſ. contra hoc, licet iſta.
 Prob. cauſa totalis nequit eſſe
 minoris perfectionis, ac effe-
 ctus, deinde neque æqualis: ergo
 debet eſſe maioris. Prob. prima
 pars antecedentis: cauſa effi-
 ciens totalis nequit influere in
 effectum perfectiorem ſe ipſa;
 quia tota perfectio effectus eſt à
 cauſa totali, & nemo dare po-
 teſt, quod non habet: ergo cau-
 ſa totalis nequit eſſe minoris
 perfectionis. Secunda pars prob.
 vt eſſet æqualis perfectionis de-
 beret eſſe eiſdem ſpeciei cum
 effectū, vt manet dictum ſuprà;
 ſed cauſa æquivoca eſt diſtincta
 ſpeciei: ergo &c. ergo reſtat,
 quod nequit eſſe minoris per-
 fectionis, ac effectus.

SIT 7. CONCLUSIO: cauſa
 æquivoca partialis multoties eſt
 perfectior ſuo effectū, & multo-
 ties minus perfecta. Etiam eſt
 Scoti allegati. Prima pars pater
 in intellectu, ſive anima ratio-
 nali v.g. quæ eſt cauſa æquivoca
 partialis intellectionis, & per-
 fectionis illa. Et ſecunda in ſpecie
 impreſſa, quæ vt cauſa æquivoca
 partialis concurrens cum intel-
 lectū ad intellectionem, & eſt
 minus perfecta, quàm intelle-
 ctio. Ad quæ ſunt innumera
 exempla, quæ brevitatis gratia
 omittimus. De cauſa finali
 dicam, dum de illa
 agamus.

* * * * *

SOLVUNTUR ARGUMENTA
 contra dictas conſuſiones.

SIT primum argumentum cō-
 tra ſecundam partem primæ
 conſuſionis, & contra conclu-
 ſionem 2. quomodolibet ſit cau-
 ſa, effectus dependet ab illa; ſed
 quod dependet ab alio, eſt mi-
 nus perfectum illo, à quo depen-
 det: ergo cauſa materialis debet
 eſſe perfectior quocumque effe-
 ctū ab ipſa educibili.

Reſp. conc. mai. & neg. min.
 A cauſa efficiente univoca de-
 pēdet eius effectus, qui eſt æqua-
 lis perfectionis cum illa: & plu-
 res effectus dependent à pluri-
 bus cauſis æquivocis partiali-
 bus, qui effectus perfectiores
 ſunt illis, vt manet probatum
 ſuprà. Cū enim cauſa, à qua
 eius effectus dependet, ſit etiam
 ab alia dependens, quæ depen-
 dentia non ſit minoris imper-
 fectionis in illa, quàm depen-
 dentia ipſius effectus ab ea, in
 hoc videntur æqualiter currere:
 & in alijs poteſt excedere cau-
 ſam effectus, vt probatum ma-
 net ſuprà: ergo præciſa depen-
 dentia effectus à cauſa, non ar-
 guit maiorem perfectionem in
 cauſa, nec minorem in effectū.

Sit 2. argum. contra 3. con-
 cluſionem: quidquid includit
 perfectionem alterius, & aliquā
 aliā, eſt illo perfectius; ſed com-
 poſitum ſubſtantiale includit
 per-

perfectiorem materiæ, & perfectiorem formæ: ergo est perfectius forma.

Res. dist. mai. si illa alia perfectio sit maior intensivè, est perfectior intensivè, conc. si non sit illa alia maior intensivè, est perfectior intensivè, neg. In illo casu solùm erit perfectior extensivè. Etiam dist. min. sed compositum substantiale includit perfectiorem materiæ, & formæ, physicè sumptum, conc. metaphysicè acceptum, neg. Et dist. etiam consequens: ergo compositum metaphysicè sumptum est perfectius forma, neg. physicè acceptum, subdist. est perfectius intensivè, neg. extensivè, conc. Nostra concl. non est de composito physicè sumpto; quia sic sunt ipsæ partes physicæ, nempe materia, & forma unitæ: & sic certum est, quod duæ partes simul, licet non includant intensiorem perfectiorem, quam forma sola, eo quod materiæ perfectio sit minor, quam perfectio formæ; tamen extensivè maiorem includant perfectiorem; quia præter perfectiorem formæ dicunt perfectiorem materiæ, quæ licet minor, distincta realiter est à perfectione formæ. Est igitur nostra conclusio de composito, metaphysicè accepto, hoc est, de illa tertia entitate resultante à partibus physicis unitis, & ab illis distincta realiter: & hoc non includit identicè in

tua entitate perfectiorem formæ, neque materiæ, sed aliam perfectiorem distinctam realiter à perfectionibus partium physicarum, quæ minor est perfectione formæ, vt manifestè manet probatum.

Sit 3. argum. Scotus quodl. 9. num. 13. 8. & vers. de tertio principali, proponit argumentum probans formam esse perfectiorem toto, ex Philos. 7. Met. asserente: *Forma est magis ens, quam compositum, ex quo infertur hæc consequens, ergo forma non ordinatur ad esse totius tanquam ad aliquid perfectius: cui argumento respondet Subtilis Doctor nu. 14. vers. ad ista quinque, sic: Ad primum non intelligitur prius, & magis, secundum perfectionem, sed secundum principalitatem, & independentiam: quia esse principij principalioris est independens respectu principij, & respectu principij minus principalis: ergo defendit Scotus, quod totum est perfectius forma.*

Resp. Scotum velle, quod ex dicto Philos. non infertur; quia ibi non loquitur Arist. de maiori perfectione, nisi de independentia formæ à composito, quia est prius, & magis independens, quam illud, quod verum est; quia compositum dependet à forma; forma verò non dependet à composito; at verò ex alio capite debet probari maior perfectio formæ; quia non tepugnat

nat aliquid dependere ab alio, & esse æquale, imò & maioris perfectionis, si non dependet ab illo, tanquam à causa totali, vt vidimus in causa æquivoca. Vbi enim hoc disputat Scotus expressè tenet nostram conclusionem, vt vidimus. Addo, quod potest intelligi Scotus hic, & in aliquibus alijs locis de composito, non solum, prout dicit illam tertiam entitatem distinctam à partibus, sed illam, & ipsas partes per inexistenciam; & vt sic totum dicit maiorem perfectionem, quam qualibet pars, & quam duæ partes simul, non intensivè, vt diximus, sed extensivè; quia sic ultra perfectionem propriam dicit perfectiones partium.

Sit 4. argum. contra 3. & 4. concl. illud est perfectius alio, quod secundum se, & sua natura attenda, habet perfectiorem modum essendi, sive existendi; sed compositum substantiale habet perfectiorem modum existendi, quam qualibet ex partibus, & quam ambæ simul: ergo &c. Mai. (ais) patet; quia perfectius esse perfectiorem modum existendi postulat. Min. prob. compositum est quid completum in genere entis, per se existens, & subsistens; materia verò, & forma, qualibet secundum se non est quid completum, & licet vnitæ sint quid completum, non subsistunt per se, nisi subsi-

stentia totius compositi; sed perfectius est ens completum, quam incompletum, & subsistens per se, quam subsistens subsistentia alterius: ergo perfectius est totum, quam forma, & quam materia, & forma simul.

Resp. dist. mai. absolutè, neg. si quod habet perfectiorem modum existendi, ex alio capite nõ excedat perfectionem, quam supponit perfectior modus existendi, conc. & concessa minori, neg. probationè ipsius maioris, quam distinximus. Ad probationem mai. conc. totum, quod continet maior, & dist. min. sicuti primam mai. negoque consequentiam. Et patet in homine, cuius forma est substantia spiritualis, cuius perfectio excedit perfectionem cuiuscunque substantiæ materialis, & corporeæ, licet sit completa, & per se subsistens, aliàs Musica esset perfectior, quam anima rationalis. Addo, quod estò totum sit ens completum, & per se subsistens accipit esse à partibus, & taliter ab eis dependet, quod sine illis nequit existere, nec subsistere: ex quo nihil mirum, quod aliqua ex partibus sit talis perfectionis, quod recompensetur, imò & excedatur perfectio, quam supponit completio, & per se subsistere, vt manet probatum supra.

Contra alias conclusiones nullum occurrit argumentum, quod
non

non possit facile solvi ; quia licet possit dari effectus perfectior sua causa univoca secundum aliqua accidentalia ; non verò secundum prædicata essentialia , aliàs causa iam non esset univoca.

SECTIO VIII.

*UTR. IDEM NUMERO EFFECTVS
possit divisim provenire à duplici
causa totali eiusdem ordinis,
& speciei?*

DIFFICULTAS hæc nõ procedit de causis intrinsicis respectu totius per se substantialis ; quia ex his numero causis , non quodlibet numero totum resultare potest ; sed eo quod causæ intrinsicæ totius , vel quælibet ex illis numero varietur , distinctum etiam numero resultat totum , vt diximus in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 3. quod docet Scotus 7. Met. summæ 2. cap. 12. text. com. 39. num. 96. *vers. concludit datam solutionem.* Sed est difficultas solum de causis extrinsecis , nempe de efficientibus , finalibus , & etiam de materialibus respectu formæ ex ipsis educibilis. Nec est dubium de eodem specie effectû ; quia hic certum est posse , non solum divisim , sed etiam simul provenire à pluribus causis , non solum eiusdem speciei , vt à pluribus hominibus vnus specie

homo , verum etiam à pluribus causis specie distinctis , vt calor à calore , à Sole , & ab igne. Unde quod inquirimus est , an idem numero effectus , qui pro vno instanti fuit productus ab vna numero causa , potuisset idem numero produci ab alia?

SIT CONCLUSIO: nullus datur effectus in individuo , qui ex suis intrinsicis prædicatis postulet hanc numero causam , ita quod non potuerit provenire ab alia causa habente virtutem ad effectus eiusdem speciei cum illo. Est contra Recentiore[m] Thomistam , & alios quamplurimos ipsius Scholæ. Tenet illam Scotus in 2. dist. 20. quæst. 2. per totam , & in 4. dist. 43. quæst. 3. num. 19. §. & *vers. de secundo articulo.* Prob. concl. ad hoc vt effectus sit idem numero , sufficit vt materia sit eadem numero , & forma etiam ; sed materia , ex qua ignis *A* , v. g. generat ignem *B* , potuit applicari igni *C* , & deinde ex qualibet numero materia potest educi quælibet numero forma , cum quælibet sit indifferens ad omnes formas : ergo ignis *B* , æquè potuit produci ab igne *C* , ac ab igne *A*. Mai. patet ; quia ideò in resurrectione mortuorum homo quilibet resuscitatus erit idem numero , qui fuit ; quia Divina virtute eadem numero forma cuiusque vnietur iterum cum eadem numero materia. Min. etiam constat ex se

quoad utramque partem. Consequentia sequitur; quia à quocumque generetur ignis *B*, eadem numero erit materia, & forma.

Respondent Thomistæ, verum esse, quod, ut effectus sit idem numero, sufficit, materiam esse eadem numero, & formam etiam; at falsum est, (inquiunt) quod ex eadem numero materia possit qualibet numero forma à quolibet numero agente educi; quia vna series formarum non potest nisi ab hoc numero agente produci, & in hac numero materia recipi, & sustentari.

Sed contra, quia hæc determinatio, vel stat ex parte formæ, ita quod series quædam formarum non exigat, nec possit recipi nisi in hac numero materia, vel ex parte materiæ, ita quod hæc numero materia, non exigat, nec possit nisi has numero formas, vel ex parte agentis, ita ut hoc numero agens non possit nisi has numero formas, & ex hac numero materia, edacere; sed non primum; quia videmus in nutritione hominis v. g. eandem numero animam informare successivè aliam, & aliam numero materiam: deinde, quia si constitueretur aliqua series animarum, quæ ex sua natura peteret informare corpus sic organizatum, v. g. rectum, & alia series, quæ exigeret infor-

mare corpus gibbum, hoc esset; animas rectas, gibbas, &c. constituere, quod dici nequit. Non secundum, quia similiter ex perimur, eandem numero materiam successivè recipere distinctas formas, non solum numero, sed etiam specie. Neque tertium deniquè; quia ponatur series formarum, quæ non possit esse nisi in hac numero materia *A*, & ab hoc numero igne *B*; si huic igni *B*, applicetur alia numero materia, aut eidem numero materiæ applicetur alius numero ignis, v. g. *C*, vel facta huiusmodi applicatione sequitur actio, sive effectus, vel non? Secundum nequit dici; quia cum ignis sit agens naturale, ac necessarium, & habeat materiam combustibilem approximatum, necessariò illam comburet; si primum: ergo iam ignis *B*, producet formam ignis extra seriem illarum formarum, ad quas vnusquisque ponebatur determinatus: ergo falsum est dari seriem.

Deinde, quod hic numero ignis non possit producere illos numero ignes, quod alter potest, vel provenit ex decreto Dei decernente, sic evenire, vel ab intrinseco ex differentia individuali ipsius ignis. Si primum: ergo iam ignis *B*, productus ab igne *A*, potuit produci ab igne *C*, quia potuit Deus sic decernere, cum liberè operetur ad extra. Si secundò: ergo ignis *B*, productus ab igne,

igne *A*, se habebit respectu ignis *C*, sicut glacies, vel frigus, & tanquam si ignis *A*, & ignis *C*, non essent agentia eiusdem rationis, & speciei: ergo neque de potentia absoluta posset Deus elevare ignem *C*, ad producendum ignem *B*, producibilem ab igne *A*, siquidem, per vos, est extra spheram, & activitatem ignis *C*, sicut sunt glacies, & frigus.

Prob. 2. conclus. non repugnat eidem numero calori producto ab igne *A*, produci ab igne *B*: ergo &c. Prob. antec. si hoc illi repugnaret, vel esset ob rationem specificam, vel ob rationem individualement; sed ob nullam repugnat: ergo. Quod non repugnet ob rationem specificam ex se patet. Quoad aliam partem prob. min. sic se habent quoad rationem individualement duo calores producti, sive producibiles ab eodem numero igne, ac duo producibiles à distinctis numero ignibus: ergo sicuti istis non repugnat ob rationem individualement, neque illis: ergo productus ab vno numero igne, potuit ab alio produci.

Si respondeas, non repugnare ex parte caloris, sive effectus, sed ex parte ignis, sive causæ. Idem efformo argumentum, servatis servandis; quia quoad rationem individualement eodem modo se habet hic numero ig-

nis respectu istius numero caloris, sicuti respectu alterius cuiuslibet, & sicuti se habet quilibet alius numero ignis.

Prob. 3. idem numero calor v. g. productus ab hoc numero igne, potest ab alio numero igne conservari: ergo continetur in virtute productiva illius: ergo & potuit ab illo produci. Antec. patet; quia recedente igne, qui calorem producit in aqua, v. g. si antequam destruat calor productus in aqua, succedat alius ignis, conservat calorem in illa ab alio igne productum: ergo &c. Prob. nunc prima consequ. causâ non continens in sua virtute aliquem effectum non potest talem effectum conservare, ut patet in aqua, quæ non potest conservare calorem, & in alijs: ergo calor productus ab vno numero igne continetur in virtute productiva alterius.

Respondebis, quod non conservatur ille calor in casu posito à secundo igne, nisi à Deo solo.

Contra 1. quia dum causa aliqua secunda est præsens, cui tribui potest effectus, non est soli Deo tribuendus, aliàs de quolibet effectu posset dici, quod non producitur à causa secunda, nisi à solo Deo: ergo falsum est, quod dicitur in solutione.

Contra 2. quia recedente etiâ, sive non applicato secundo igne, non conservatur calor, & appli-

applicato, conservatur, vt experimur: ergo quia conservatur à secundo igne, & non à solo Deo.

Denique, ad quid erat Deus conservaturus calorem, applicato secundo igne, & non conservaturus illum, non applicato, si secundus ignis non haberet virtutem ad conservandum illum, sicuti primus?

SATISFIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum: effectus dependet per se à causa, à qua est productus: ergo non potuit produci ab alia.

Resp. dist. antec. prout *ly per se* significat causam producere illum per suam propriam virtutem, & non per aliquam potentiam accidentalem causa, conc. prout *ly per se* significat ita essentialiter pendere ab hac numero causa, quod non potuit pendere ab alia habente virtutem ad similes effectus, neg. vt manet probatum. Aliàs nec à solo Deo potuisset produci, quod dici nequit.

Sit 2. argum. vna numero actio ita petit egredi ab vna numero causa, vt non possit oriri ab alia: ergo neque effectus, qui per illam producitur, potuit produci ab alia.

Resp. conc. antec. & neg. suppositum consequentis, scilicet quod entitas absoluta effectus pro veniat ab entitate absoluta

causa media aliqua actione: quia, vt videbimus in suo loco ab absoluto causa immediate sequitur absolutum effectus; & postea resultat in absoluto causa relatio dependentiæ activæ ad effectum, & in absoluto effectus dependentiæ passivæ ad causam, illa dicitur actio producentis, & ista passio producti; & cum ad variationem fundamenti, vel termini varietur relatio, vt colligitur ex dictis in Met. Tract. 4. Disp. 6. Sect. 6. & 8. ideò concedo antec. scilicet quod vna numero actio ita petit fundari in vna numero causa, vt non possit fundari in alia, sive egredi, aut resultare ex alia.

Sit 3. arg. differentia specifica est ratio, propter quam causa est determinata ad producendos effectus istius speciei, & nõ alterius: ergo similiter differentia individualis erit ratio, propter quam causa sit determinata ad producendos hos numero effectus, & non alios.

Resp. conc. antec. & nego consequ. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia prædicata specifica sunt propter quæ causa est productiva; minimè verò prædicatum individuale, quod solum requiritur, quia causa nequit producere, quin existat, vt manet dictum supra, & nequit existere, nisi sit individua, aliàs sicuti unica causa speciei (loquor de univoca) nequit nisi vnum

specie effectum producere, vnica numero causa solum posset producere vnicum numero effectum, quod non concedes. Et confirmatur ratione iam supra tacta; quia non minus differunt, & opponuntur effectus numero distincti producti ab vnica causa, ac producti à duabus eiusdem speciei: ergo vel vnica causa non potest producere plures, vel potest etiam quos potest, & alia.

Sit 4. argum. si effectus productus ab vna causa potuisset produci ab alia, sequeretur, quod dependeret à sua causa, & non dependeret: ergo. Prob. sequela: dependeret ex hypothesi, non dependeret, quia potuisset produci ab alia: ergo &c.

Resp. neg. sequelam, ad cuius probationem, conc. primam partem antecedentis, & neg. secundam, conc. eius probationem, & neg. conseq. Quod potuisset produci ab alia, non tollit, quod dependeat ab illa, à qua producitur, nisi quod non dependeat ex natura sua, neque ex natura cause ita necessario, quod non potuisset dependere ab alia. Vnde quomodo sit essentialis, & quomodo accidentalis dependentia effectus à sua causa extrinseca, dixi iam in solutione ad primum argum.

Sit 5. argum. sequeretur in causis vnivocis idem posse producere se ipsum, quod nega-

mus: ergo. Prob. sequela: virtus cause vnivocè extenditur ad omnia individua illius speciei, per nos; sed in omnibus individuis speciei includitur ipsa causa: ergo.

Resp. neg. sequelam, & ad eius probationem dist. mai. extenditur ad omnia individua distincta realiter ab ipsamet causa, conc. ad distincta, & ad se ipsam, neg. conc. min. & neg. conseq. Inter producens, & productum debet distinctio realis intercedere, quare licet causa possit producere omnia individua speciei, se ipsam producere repugnat, quod infra probabimus.

Instabis: ergo saltem poterit produci à suo effectum, à quo iam distinguitur realiter.

Resp. dist. consequens: absolute, conc. ex suppositione quod effectus sit productus à causa, nego. Entitas namque absoluta Petri patris Ioannis v. g. ex se potuit produci à Ioanne, & sic Petrus, qui de facto est pater Ioannis, potuit esse filius illius; at hoc repugnat ex suppositione quod Petrus producat Ioannem, vt satis ex se patet, & videbimus infra.

Adhuc instas: ergo causa vnivoca poterit producere omnia individua sue speciei præter se ipsam: ergo calor vt duo poterit calorem vt octo, quod est falsum: ergo etiam nostra conclusio.

Resp.

Resp. conc. primam conseq. & neg. secundam; quia licet calor ut duo possit producere eundem numero calorem, qui est intensus, ut octo, non in intensione ut octo, nisi solum ut duo; quia ut intensus ut octo excedit virtutem productivam caloris, ut duo.

Sit 6. argum. omnia individua possibilis eiusdem speciei sunt infinita; sed causa habens virtutem ad infinita est infinita virtutis: ergo ex nostra sententia sequitur, quod quaelibet causa creata est infinita.

Resp. 1. neg. mai. quia quod exceditur ab alio nequit esse infinitum, neque quod est minus alio; & plura sunt individua duarum specierum, quam unius solummodo.

Resp. 2. permitt. mai. & dist. min. sed causa habens virtutem ad infinita, quorum quodlibet est finitae perfectionis, neg. ad infinita, quorum unum excedit in perfectione aliud, & illud aliud usque in infinitum, conc. & neg. conseq. Licet enim individua unius speciei essent infinita, quodlibet illorum est finitum in perfectione, ex quo nequit argui perfectio infinita.

Resp. 3. aliter dist. min. sed causa habens virtutem ad infinita collectivè est infinita, concedo, disiunctivè neg. & etiam conseq. Quia causa creata, licet habeat virtutem ad omnia in-

dividua eiusdem speciei, posset dici, quod non est ad omnia simul producenda, sed ad quaelibet ex omnibus, eo quod non est infinita, sed limitata virtutis.

Sit 7. arg. sequeretur ex nostra sententia, quod idem numero effectus posset naturaliter multoties reproduci; sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequela: ex eo quod unum agens producat unum effectum, non destruitur virtus alterius agentis; sed istud aliud agens, per nos, habet virtutem ad eundem effectum: ergo poterit naturaliter reproducere illum.

Resp. neg. sequelam, ad cuius probationem conc. mai. & min. & neg. conseq. quia non sufficit virtus ad producendum, sed ultra requiruntur necessaria requisita, & ut producat hic numero effectus ab hac numero causa, requiritur, quod non sit ab alia productus, & si post productionem ab alia destruat, requiritur, quod applicetur eadem numero materia cum pluribus alijs circumstantijs, & quod Deus velit ad eundem numero concurrere, quae omnia nequeunt naturaliter evenire, ob quod non solum non potest ab alia causa reproduci naturaliter, verum neque ab eadem, a qua fuit primò productus; supernaturaliter verò poterit post destructionem ab eadem, & a quolibet eius.

eiusdem rationis iterum produci.

SECTIO IX.

AN IDEM NUMERO EFFECTUS possit simul provenire à duabus causis totalibus, eiusdem generis, & ordinis, & à qualibet totaliter?

DIXIMVS in titulo *eiusdem generis, & ordinis*; quia certum est, eundem numero effectum posse, imò & de facto provenire à pluribus causis, quarum quælibet in suo genere sit adæquata; nam de facto experimur provenire unum, & eundem effectum à quatuor generibus causarum, v.g. totum substantiale à materia prima, à forma substantiali, & si sit homo, à fine à generante intento, à causa efficiente secunda, & à causa efficiente prima, cui subordinatur secunda, & à qua ista essentialiter dependet, non solum quoad esse, sed etiam quoad operari. Undè difficultas est, an idem numero effectus possit simul provenire à duplici causa totali eiusdem generis, vt à duabus materijs, à duabus formis, vel à duabus causis efficiētibus eiusdem ordinis, nempè non subordinatis, vt idemmet numero ignis v.g. à duobus ignibus. Et hoc non vt cumque, nisi vt totaliter concurrētibus in actu secundo; quia certum est etiam, quod li-

cet duæ causæ sint adæquatae, hoc est, vnaquæque habeat virtutem totalem, & adæquatam ad effectum, si ambæ non concurrant secundum totam virtutem, poterit idem effectus simul à duabus provenire; quia in tali casu non concurrerent vt causæ totales, nisi vt partiales, ob quod diximus in titulo sectionis, & à qualibet totaliter.

SIT CONCLUSIO: nequit, adhuc supernaturaliter, idem numero effectus provenire à duplici causa totali, vt totali, simul eiusdem generis, & ordinis. Est contra Recentiorē Suarezistam, & plurimos eiusdem Scholæ. Nostram conclusionem defendit Subtilis Doctor in 1. dist. 2. quæst. 2. num. 19. §. *quantum ad tertium*, verſ. *hoc etiam quarto*, & quæst. 3. num. 4. §. *de tertia via*, verſ. *quantum ad quartam*, & in 2. dist. 3. quæst. 4. §. *contra istam*, num. 4. verſ. *secundò sic*, & in 3. dist. 1. quæst. 2. à n. 5. §. *ad questionem igitur*, & in 4. dist. 10. quæst. 2. §. *ad rationes per me appostas*, num. 23. verſ. *dico, quod vel eundem ignem*, quod enim non possit naturaliter, patet; quia naturaliter nequit dari causa ad effectum, ad quem est superflua, vel ad quem non est simpliciter necessaria; sed vna ex duabus non esset simpliciter necessaria, nisi superflua; quia sine illa posset dari effectus, siquidem quælibet est adæquata, vt

supponimus: ergo ad eundem numero effectum nequeunt naturaliter concurrere simul duæ causæ totales eiusdem generis, & ordinis, & totaliter.

Quod adhuc supernaturaliter repugnet, prob. 1. causa totalis, dum concurrat ut totalis, debet causare effectum totaliter, alias iam non concurreret ut totalis; sed repugnat causæ causanti totaliter, non causare se sola effectum: ergo repugnat, quod à duabus causis totalibus, ut totalibus, causetur idem effectus. Prob. min. concurrere partialiter, & concurrere totaliter opponuntur directè, & immediatè: ergo quod necessariò convenit causæ ut concurrenti partialiter, debet repugnare causæ ut concurrenti totaliter; quia si uni opposito convenit necessariò aliquod prædicatum, alteri opposito debet repugnare tale prædicatum. Nunc sic; atqui causæ ut concurrenti partialiter convenit necessariò se sola non concurrere, nisi cum consortio alterius: ergo hoc repugnat causæ ut concurrenti totaliter: ergo convenit illi necessariò concurrere se sola sine consortio alterius: ergo duæ simul nequeunt ad eundem effectum concurrere: ac per consequens neque iste provenire simul à duabus.

Prob. 2. duæ causæ totales in actu secundo, habent virtutem productivam totalem in actu

secundo duplicis effectus; sed causæ habentes virtutem productivam totalem in actu secundo duplicis effectus nequeunt adhuc divinitus non producere duplicem effectum: ergo non possunt adhuc divinitus unicum solum producere. Prob. min. virtus productiva in actu secundo est actualiter producere: ergo virtus productiva in actu secundo duplicis effectus est actu producere duplicem effectum; sed causæ actu producentes duplicem effectum nequeunt non producere duplicem effectum: ergo causæ habentes virtutem productivam duplicis effectus in actu secundo non possunt non producere duplicem effectum: ergo nullatenus potest idem effectus provenire à duplici causâ totali, ut totali.

Si respondeas, quod non est essenziale causæ totali, ut se sola producat effectum, nisi ut ex se habeat sufficientem virtutem ad illum producendum. Contra est quod notavi supra, ideòque in titulo sectionis interrogo à causâ totali totaliter, sive ut totali. Non enim negamus, quod idem effectus potest procedere à duabus causis totalibus, nulla totaliter, nisi partialiter concurrente, v. g. duo homines, quorum quilibet habeat sufficientem virtutem portandi pondus, ut quatuor, si ambo portent, nullus

instituit tali vi, quod illa sola possit totum pondus portare: vnde tunc concurrunt ambo, non vt causæ totales, nisi vt partiales, licet ex se sint totales.

Prob. 3. conclus. ratione Scoti: si idem numero effectus produceretur simul à duplici causa totali totaliter, à qualibet dependeret, & simul non dependeret; sed hoc est contradictio: ergo & quod simul producat à duplici causa totali, vt totali. Prob. sequela: in primis dependeret, quia à duabus supponitur produci, & quilibet effectus dependet à causa, à qua producit; deinde à nulla dependeret in ipso fieri effectus: ergo. Prob. hoc: ab illo non dependet effectus in fieri, sine quo effectus est in fieri; sed qualibet causa non concurrente, & cōcurrente alia, effectus est in fieri: ergo à qualibet non dependet: ergo à nulla.

RESPONDETUR ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum: non repugnat divinitus, quod idem corpus sit in duplici loco: ergo neque quod idem effectus sit à duplici causa totali.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. & paritatem. Ratio disparitatis est; quia locus non dat esse corpori, ac per consequens neque ab illo dependet; sed solum

est terminus vbi activi corporis; & cum non repugnet, quod idem fundamentum respiciat plures terminos, neque quod idem corpus sit in duplici loco erit contradictio: sicuti habere idem effectus esse simul à duplici causa totali, & à qualibet totaliter. Idem dico de forma respectu materiæ; quia est terminus materiæ, quin recipiat esse ab illa, de quo lib. 1. disp. 3. sect. 4. ad 7. argum.

Et si instes, quod forma potest educi à duabus materijs totalibus; sed formaeducta recipit esse à materia: ergo nulla est solutio.

Resp. conc. mai. & neg. min. Forma enim non accipit esse à materia, ex qua educitur, nec dependet à materia quoad esse formæ, licet causa secunda dependeat à materia quoad producere formam: vnde solum sequitur ex instantia, quod eadem causa secunda efficiens nequit simul educere eandem formam ex duabus materijs totalibus; quia à qualibet, & à nulla dependeret totaliter in hoc quod est producere formam. Videantur ad hoc, quæ dico in Theolog. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1.

Sit 2. argum. duæ substantiæ possunt simul eandem terminare naturam; sed natura dependet à subsistentia: ergo licet effectus dependeat à causa, pote-

rit idem à duplici causa totali totaliter provenire.

Resp. neg. mai. quia si loquatur de subsistentia creata, dixi iã in Met. tract. 4. disp. 3. sect. 4. vers. ultimo, non posse, cum consistat in negatione ex sect. 3. eiusdem disputationis; si verò loquatur de subsistentijs personalibus Divinis, quæ quidem in positivo consistunt, dico, quod casu, quod duæ vnirentur eidem naturæ, ista à nulla dependeret totaliter, & sic per nullam subsisteret, de quo latius in Theolog. tract. de Incarnat.

Sit 3. arg. si plures Sacerdotes proferrent simul cõsecrationis verba supra eandem hostiã, quilibet illam consecraret; sed quilibet esset causa totalis consecrationis: ergo &c.

Rep. dist. mai. quilibet illam cõsecraret totaliter, neg. partialiter, cõc. Etiã dist. min. sed quilibet esset causa totalis totaliter influens, neg. partialiter influens, conc. & neg. conseq. cum enim solus Deus sit, qui destruit substantiam panis, scilicet materiam primam, & panis formã, conservatque panis accidentia sine subiecto, & ponit sub talibus accidentibus corpus Christi Domini in quo stat consecratio, verba Sacerdotis, sive Sacerdos proferens verba solum est causa moralis consecrationis, quatenus scilicet ad prolationem verborum movetur Deus

ad faciendum dictum mirabile opus, quod si plures Sacerdotes simul, & super eandem hostiam proferant verba, ab omnibus simul movetur, non totaliter à quolibet, nisi partialiter, & totaliter ab omnibus simul: vnde in tali casu, licet quilibet ex se habeat sufficientem virtutem ad illam hostiam consecrandam, nõ quilibet concurreret vt causa totalis, nisi vt partialis; quia Deus non ob quodlibet efficeret tale opus, nisi ob omnes simul.

Similiter resp. in qualibet alia causa morali, sive finali; quia cum ista causæ nõ sint quæ physicè faciunt effectum, nisi quæ movent causam physicam, vt faciat illum, dum ista movetur à pluribus, à quarum qualibet sola moveri poterat, non movetur totaliter à qualibet, nisi partialiter, & ab omnibus simul totaliter!, quod patet ex rationibus, quibus manet nostra conclusio probata.

Sit 4. argum. causæ secundæ non sunt ex natura sua determinatæ ad hunc numero effectum potius, quàm ad alium in eadem specie: ergo quem Deus facit per vnã causam, potest Deus facere per aliam: ergo existentibus duabus simul causis totalibus, & applicatis, poterit per ambas eundem numero effectum totaliter producere.

Confirmatur primò: quia si duo ignes v.g. æqualis virtutis,

& activitatis simul, & æqualiter applicentur eidem materiæ, licet hoc fieret vnum cum alio penetrando, quod non repugnat Deo, produceretur ab illis vnus numero ignis; sed essent causæ totales, & concurrerent totaliter: ergo. Min. quoad primam partem patet; quia quilibet est sufficiens, ac per consequens produceret ignem, etiam si alius separaretur. Secunda pars etiam constat; quia quilibet esset sufficienter applicatus. Conseq. sequitur.


Confirmatur secundò: dependentia adæquata effectus ad causam totalem ex natura rei connotat carentiam concursus alterius causæ eiusdem generis, & ordinis, sicut quantitas excludit ex natura rei aliam quantitatem ab eodem loco: ergo sicuti hæc actualis impossibilitas duarum quantitatum in eodem loco potest à Deo vinci supernaturaliter, etiam duarum causarum totalium ad totaliter producendum eundem numero effectum.

Resp. ad argum. conc. antec. & dist. primum conseq. ergo quem Deus facit per vnam causam potest facere per aliam divisivè, vel partialiter per quamlibet, conc. simul, & totaliter per quamlibet, neg. & eodem modo dist. secundum conseq. Quod enim idè numero effectus potest provenire divisivè à duplici

causâ totali, & totaliter, dixi iam antecedenti lect. Si namque duæ simul applicarentur eidem passo, & vna esset maioris activitatis, ista vinceret aliam, & se sola effectum produceret; si verò essent æqualis activitatis, vt dicitur in prima confirmatione, & relinqueret Deus, vel concurreret cum illis iuxta ipsarum exigentiam, effectus produceretur à duabus, sed non à qualibet totaliter, nisi partialiter; quia ad invicem se impedirent, vt nulla còcurreret secundum totam suam virtutem. Ex quo patet ad primam confirmationem, quod illi duo ignes producerent eundem ignem, sed nullus totaliter, nisi ambo vt causæ partiales, licet quilibet posset esse causa totalis illius, ob rationem dictam.

Ad 2. confirmationem resp. neg. antec. quia duas causas esse simul in eodem loco, nullam dicit contradictionem, sicuti eundem effectum provenire simul à duabus causis totalibus totaliter concurrentibus, vt probavi: quate primum potest Deus de potentia absoluta, nequaquam verò secundam.

Sit 5. argum. non repugnant plures relationes in eodem fundamento ad distinctos terminos, per nos, vt duæ paternitates in eodem ad duos filios; sed, per nos, dependentia passiva effectus à causâ totali, vt totali, est



est relatio fundata in effectu, & terminata ad causam: ergo non repugnat, quod idem effectus dicat duas relationes dependentiæ passivæ ad duas causas totales, vt totales: ergo neque quod proveniat simul ab illis, & totaliter à qualibet.

Resp. dist. mai. si fundamentum sit capax illarum, vel habeat requisita ad fundandum illas, conc. si hoc non habeat, neg. conc. min. & neg. conseq. Entitas enim absoluta effectus solùm est capax fundandi relationem dependentiæ passivæ ad illam entitatem absolutam, à qua procedit; & cùm dicat contradictionem, eandem numero entitatem simul procedere à duabus, vt à causis totalibus, qualibet totaliter influente, vt manet probatum: hinc est, quod eadem numero entitas absoluta sit incapax, nec habere possit quod necessariò requiritur, ad fundandum simul duas relationes dependentiæ passivæ ad duas causas totales, vt totales.

Sit 6. argum. si duo corpora æqualia ponantur à Deo in eodem loco circumscripтивè, tunc repletio illius loci habetur totaliter à quolibet; sed causa repletionis est corpus replens: ergo eadem numero repletio provenit à duobus corporibus, & à quolibet totaliter.

Resp. conc. mai. & dist. min. sed causa repletionis est corpus

replens in genere causæ formalis, conc. in alio genere, neg. & etiam consequentiam. Effectus namque formalis est ipsa forma communicata subiecto: vnde si ex alio capite non repugnant duæ formæ in eodem subiecto, ex ratione, qua repugnare dicimus eundem numero effectum provenire à duplici causa totali, vt totali, nullatenus repugnat; quia si formæ sunt duæ, effectus iam non est vnus, sed duo: ergo similiter cùm repletio loci sit effectus corporis repletis in genere causæ formalis, si duo corpora simul repleant eundem numero locum, non erit vna numero repletio, sed duæ: ac per consequens cùm ex alio capite non repugnet per Divinam potentiam duo corpora esse simul in eodem loco, neque quod totaliter repleatur à duobus corporibus repugnare potest ob rationem, ob quam eundem numero effectum simul provenire repugnat à duabus causis totalibus, & totaliter à qualibet.

Sit 7. argum. potest res existens iterum produci; sed in tali casu haberet esse à duabus causis, & à qualibet totaliter, nempè à producente illam per primam productionem, & à producente eam per secundam productionem: ergo. Prob. mai. quia ita de facto contingit in cuiuscumque rei conservatione: er-

go. Prob. antec. quia per conservationem eadem res continuò producitur; sed potest eadem res produci primò ab vna causa totaliter, & postea ab alia totaliter conservari: ergo &c.

Resp. dist. mai. si priùs destruat, conc. aliter, neg. Etiam dist. min. sed in tali casu haberet esse à duabus causis simul, neg. successivè, conc. & neg. consequ. Ad probationem mai. neg. antec. ad cuius probationem dist. mai. per conservationem res continuò producitur, hoc est, extrahitur de non esse ad esse, neg. hoc est, continuò dependet taliter quod sine tali dependentia non potest esse, seu existere, conc. etiam min. & neg. consequ. Sicut non potest eadem res simul dependere in primo sui esse à duabus causis totalibus: ita neque in esse sequentibus instantibus, in quibus iam res non producitur, sed conservatur, ob eandem rationem supra dictam. Undè potest ab vna causa produci, à qua in sui productione, sive in primo instanti sui esse totaliter dependet, in quo instanti dicimus, non posse simul totaliter etiam ab alia dependere: potest etiam ab ista in instantibus sequentibus dependere, in quibus iam non dicitur illam producere, sed conservare, vt diximus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 4. sect. 1. & 2. & neque in his se-

quentibus instantibus, in quibus à causa producente conservatur totaliter, potest simul ab alia totaliter conservari: potest etiam in his sequentibus instantibus non dependere à causa producente, & dependere totaliter ab alia eiusdem ordinis, in quo casu non cōservatur à producente, sed ab ista alia: undè licet in tali casu dependeat totaliter ab illis duabus, non dependet simul, nisi successivè, primò ab vna, & quando ab ista, non ab alia, deindè ab alia, & quando ab alia non ab illa. in quo nulla est contradictio, sicuti in dependere simul à duabus.

Sit 8. arg. de facto eiusdem effectus sunt duæ causæ totales, nempè prima, & secunda, & ambæ in eodè genere, nempè causæ efficientis: ergo falsa est nostra conclusio.

Resp. dist. antec. subordinatæ, conc. non subordinatæ, neg. & etiam consequentiâ. Causa subordinata, & dependens ab alia, vt secunda à prima, taliter quod non potest producere, quod prima etiam non producit, non solum non repugnat quod simul concurrat cum illa, verum repugnat, quod producat aliquem effectum, quin ipsamet etiam producat prima. In hoc stat subordinatio, & dependentia secundæ à prima, nò solum quoad esse, sed etiam quoad producere.

Vndè ex hoc non sequitur illa cōtradictio, quod effectus simul dependeret, & non dependeret à qualibet, sicuti sequitur in nō subordinatis; quia ablata causalitate causæ primæ, nequit effectus existere, neque dependere à secunda, & hoc non est, quia secunda non producat totaliter in suo ordine, sed quia est talis ordinis, quòd producere non valet, nisi quod etiam producit secunda.

SECTIO X.

*UTR. IDEM POSSIT SE IPSUM
causare.*

LICET de causa in communi percontetur, apud omnes solum de causa efficiente, & productiva disputatur, scilicet an idem possit se ipsum producere?

SIT CONCLUSIO: nequit idem adhuc divinitus se ipsum producere. In principijs Scoti est indubitabilis, illamque tenent communiter tam Thomistæ, quàm Suarezistæ. Et patet 1. quia res antequam producat est nihil, vel saltem merè possibilis; sed merè possibile nō potest adhuc divinitus aliquid producere: ergo neque se ipsam.

Respondebis, quod licet res non existens non possit se ipsam producere; tamen res existens per primam productionē, sive ex vi primæ productionis

sua causæ, potest per secundam productionem à semetipsa produci.

Sed contra primò; quia, ut manet probatum sect. antecedenti, duæ causæ totales nequeunt simul eundem effectum producere; sed si hoc posset esse, iam possent duæ causæ totales eundem numero effectum, nempe causa distincta, & ipse effectus, qui totaliter se ipsum produceret: ergo &c.

Contra secundò: vel se ipsam produceret res aliquo tempore postquam fuit producta à sua causa, vel in eodem instanti, in quo à sua causa producitur; sed nullo modo potest: ergo &c. Prob. min. quoad primam partem nihil potest produci, neque à se, neque ab alio, postquam est productus, quin prius destruat, sicuti nec destrui postquam est destructum, quin prius producat; sed si prius destruat, iam non potest se, neque aliquid aliud producere; quia, ut manet dictum, ut causa physicè producat, debet existere physicè: ergo. Prob. etiam 2. pars min. eadem indivisibilis res nequit esse prius, & posterius se ipsa, dependens, & independens à se ipsa; sed hoc sequeretur, si idem produceret se ipsum in eodem instanti, in quo à sua causa producitur: ergo. Prob. hæc min. producens est prius, & independens à producto, & pro-

productum est posterius, & dependens à producente, vt manet probatum sect. 6. concl. 6. ergo &c.

Non immoror in impugnatione eorum, quæ aliqui respondent; nam quæ itaque facile poterit probare cōtradictionem propositam. Et quia percipi nō potest, quomodò res possit à se ipsa oriari, quod requiritur, vt se ipsam producat. Nec adducimus argumentū aliquod in contrarium; nam quæ solent fieri, nullam vim habent, & quilibet facile conuincere poterit.

SECTIO XI.

AN CAUSAE POSSINT
se mutuo causare?

CVM causæ sint diversimodè, vt vidimus sect. 1. ad omnem æquivocationem, & quæstionem de nomine aufugiendam, antequam circa id, quod sub hoc titulo controversatur, mens nostra aperiatur, aliqua stabilire, & vt certa firmare oportet.

PRIMO IGITUR vt certum stabilendum est, posse se mutuo causare causam finalem, & efficientem, quælibet in suo genere, vt patet dum quis v. g. deambulat propter consequendam sanitatem, quem vt finis, movet sanitas ad deambulationem, cuius sanitatis ipsa deam-

bulatio est causa physica efficiens. Ratio à priori est; quia cum causa finalis solum requirat existentiam intentionalem, sive in esse cognito ad causandum, potest suum effectum causare, quin ipsa existat realiter, & postea effectus ipsius iam realiter existens, & productus à sua causa efficiente, valet producere causam finalem in esse simpliciter, sive existentiae physicae.

SECUNDO: certum est, quod si hoc quod est, *materiam recipere formam*, sit materiam esse causam formæ, illamque aliquomodò causare: & similiter si hoc quod est, *formam informare materiam*, sit formam esse causam materiæ, illamque aliquomodò causare, quod possunt in hoc sensu se mutuo causare, imò repugnat in hoc sensu, materiam causare formam, & formam non causare materiam; quia repugnat, quod materia recipiat formam, & quod forma non informet materiam, & è contra, vt satis ex se patet.

TERTIO: certissimum est etiam, quod totum, cuius causæ intrinsecæ sunt materia, & forma, non potest illas aliquomodò causare; quia in nulla consideratione totū potest esse prius natura, quàm partes, ex quibus resultat, quod ad causandum essentialiter requiritur, vt manet probatum sect. 6.

Undè solum de causa efficien-
ti, & ipsius effectu in eodem ge-
nere causæ, scilicet efficientis,
restat præsens difficultas, & est,
an v. g. ignis *A*, possit produ-
cere ignem *B*, & ignis *B*, ignem *A*?
De quibus certum est etiam iux-
ta superius dicta, & specialiter
sect. 8, quod effectus univocus
habet virtutem productivam suam
causæ, & sic causa potuit in sen-
su diviso produci ab effectu: &
consequenter producto effectu
à sua causa, v. g. ignis *A*, ab ig-
ne *B*, & postea destructo igne *B*,
potest divinitus produci ignis
B, ab igne *A*, qui fuit effectus
ignis *B*. Undè solum restat dif-
ficultas de effectu à causa effi-
ciente producto in illo met in-
stanti, in quo ab ipsa causa pro-
ducitur.

SIT CONCLUSIO: causa, &
effectus nequeant adhuc divi-
nitus ad invicem simul se mu-
tuo causare, vel producere. Est
iuxta Scoti mentem, ut patet ex
varijs ipsius conclusionibus se-
ctionibus antecedentibus pro-
pugnatis, præcipue sect. 5. & 6.
concl. 6. Prob. concl. si produ-
cerentur simul ad invicem qui-
libet esset prior, & posterior na-
tura alio, secundum suas enti-
tates absolutas, sed idem esse
prius, & posterius natura respec-
tu alterius est contradictio: er-
go &c. Prob. mai. quia ut pro-
bavimus sect. 6. entitas absoluta
causæ necessario debet esse prior

natura entitate absoluta effe-
ctus: ergo.

Confirmatur: quia entitas
absoluta producti necessario de-
pēdet ab entitate absoluta pro-
ducentis; sed nihil dependet ab
illo, quod dependet ab ipso: er-
go productum nequit producere
illud à quo producitur: ergo ne-
que mutuo se producere causa,
& effectus.

DISPUTATIO III.

DE CAUSIS MATERIALI, & formali.

VENIMVS iam ad disputan-
dum de Causis in particu-
lari, & antequam de extrinsecis,
de intrinsecis in præsentī Disp.
agimus, scilicet de materiali, &
formali. Causæ verò materialis,
& formalis propriè loquendo
sunt materia prima, & forma
substantialis solummodo; quia
istæ solum causant totum, sive
sunt causa totius ab ipsi distinc-
ti realiter, ut dixi lib. 1. disp. 6.
sect. 3. quæ distinctio requiritur
necessariò inter causam, & cau-
satum, sive effectum propriè
sumpti. Quia autem plura ma-
nent dicta de materia prima, &
forma substantiali secundum se
in lib. 1. disp. 2. & 3. & ut causæ
sunt disp. 6. sect. 2. & 3. & etiam
in hoc lib. 2. disp. 1. sect. 2. & præ-
cipue disp. 2. pauca in præsentē
se offerunt: quapropter quæ citè

ca hoc scire restant, breviter iuxta dicta vnica sectione comprehendam.

SECTION I.

QVID SIT VTRVQSQUE causa?

SCIENDVM est primò, materiam duplicem habere effectum, vnum, qui est propriè ipsius effectus, & alium, qui largè, & impropiè dicitur materię effectus. Iste est forma, quę ex materia educitur; & dicitur effectus impropiè; quia neque producitur à materia, neque ex illa resultat: & licèt educatur ex illa, hoc non sufficit; quia educi ex materia nihil est aliud, quàm in illa recipi ex vi productionis ipsius, vt dixi in Theol. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1. Alius effectus materię est totum, & iste dicitur propriè effectus illius; quia licèt ab illa nõ producatur, ex illa, & forma resultat, vt dixi lib. 1. disp. 6. sect. 1.

Idem dicendum est de causa formali, proportionè seruatā, quę quidem est forma substantialis, cuius effectus propriè etiā est totum ab ipsa, & materia resultans. Impropius verò est ipsa forma communicata subiecto. De quibus dicendum est, quod licèt forma, vt educita ex materia, & vt materia communicata, sit effectus immediatior; quia

prius intelligitur forma educita ex materia, & materię communicata, quàm totum ex illis resultans; aliàs non resultaret ex materia, & forma educita ex illa, & illi communicata, vt satis ex se patet; tamen primatius effectus illarum est totum; quia tam forma, quàm materia propter totum intenduntur à natura.

ANTEQVAM causarum materialis, & formalis naturas assignemus, essentiam causę intrinsecę, vt sic (in quo materialis, & formalis causę cõueniunt) vt à causa extrinsecā distinguitur, exprimere oportet: quam iuxta dicta cum Philof. & Scoto de Causa, vt sic, disp. antec. sec. 1. sic explicor: *Causa intrinsecā est, principium influens esse in aliud, in quo inexistit.* Per illam particulam, *principium influens esse in aliud*, conuenit cum causa extrinsecā, vt vidimus vbi supra. Per illam aliam, *in quo inexistit*, ab illa distinguitur; quia causa extrinsecā ex ratione causę non petit esse in effectū per inexistentiā, vt patet mille exemplis, etsi aliqua, vt Deus v. g. ex alia ratione hoc postulet. Causa verò intrinsecā ita essentialiter petit inexistere in effectū, quod repugnet entitas absoluta effectus, quin existant, imò & quin in ipsa existant entitates absolutę causarum intrinsecarum, scilicèt materię primę, & formę substantialis.

vt satis ex se constat, & innuit
Phil. causas materialem, & for-
malem describendo 5. Met. sum.
2. cap. 2. text. com. 1. & Scotus in
expositione textus à num. 6.

IVXTA HOC, & descriptiones
causarum materialis, & forma-
lis traditas, à Phil. & à Scoto
allegatis commentatas sic cau-
sam materialem describo: *Est*
principium influens in aliud intrin-
secè vt per se potentia. Per ly, *in-*
fluens in aliud, cõvenit cum cau-
sa extrinseca. Per ly, *intrinsecè*
(quod iam suprâ manet expli-
catum) ab illa distinguitur, &
convenit cum causa formali: à
quâ distinguitur per ly, *vt per se*
potentia; quia causa formalis in-
fluit, vt per se actus.

EX QVO causa formalis sic
rectè describitur: *Principium in-*
fluens in aliud intrinsecè vt per se
actus, cuius descriptionis in-
telligentia patet ex descriptio-
nis explicatione causæ materia-
lis.

Si dicas contra hoc, quod ef-
fectus formalis non distinguitur
à forma: ergo causa formalis
non influit in aliud: ergo malè
describitur.

Iam suprâ notavimus, quod
neque materia est proprius effe-
ctus causæ formalis, neque for-
ma materialis causæ, nisi totum,
& nulla causa deiniiri debet, aut
describi nisi in ordine ad effe-
ctum, qui propriè est talis, & de
toto diximus iâ in lib. 1, disp. 6.

sect. 3. distingui realiter à mate-
ria, & forma.

SECTIO II.

QVOD SIT VTRIVSQVE CAUSÆ

causalitas.

DIXIMVS iam, tam causam
materialem, quàm forma-
lem duplicem habere effectum,
vnum proprium, & improprium
aliud, & circa vtrumque cau-
salitates illarum quærimus. Ad
quod supponimus, vt infrâ suo
loco videbimus, quod nulla cau-
sa causat suum effectum media
aliqua actione, seu causalitate
natura præcedente euitatem ab-
solutam effectus, medianteque
inter illas; sed ab absoluto cau-
sæ immediatè sequitur absolu-
tum effectus, in quibus absolu-
tis entitatibus iam existentibus
resultant relationes, in causæ
entitate causalitatis activæ ad
effectum, per quam constituitur,
& denominatur formaliter cau-
sa talis effectus; & in entitate
absoluta effectus causalitatis pas-
sivæ ad causam, per quam enti-
tas absoluta effectus denomina-
tur, & constituitur formaliter
effectus talis causæ. His ita.

SIT I. CONCLUSIO: causa-
litas materiæ, vt est causa for-
mæ, est vno fundata in ipsa
materia, & terminata ad for-
mam, per quam materia vnicat
intrinsecè formæ, istamque re-
cipit.

cipit: & causalitas formæ, vt est causa materiæ, siue vt materiæ tribuit suum effectum formale, est vnio fundata in ipsa forma, & terminata ad materiæ, per quam forma vnitur intrinsecè materiæ, istamque informat. Totum, quod continet concl. est conforme Scoto, iuxta quæ diximus in lib. 1. disp. 5. sect. 2. & iuxta quæ dicemus, dum de actione causæ efficientis agamus, ex quibus tota istius conclusionis probatio depêdet, quibus ad suum locû relictis, nunc solum explicabo conclusionem.

Materia non aliter est causa formæ, nisi illam recipiendo; quia materia non dat esse formæ, sed recipit illam, & hoc adhuc formæ ex illa eductæ, vt diximus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 1. à vers. *quarò stabilendum est*, sed eo quod materia recipiat formam, resultat in illa vnio, qua intrinsecè vnitur formæ, per quam materia denominatur formaliter causa materialis formæ, siue (quod idem est) formaliter recipiens formam: & similiter eo præcisè quod forma recipiatur in materia, istamque informet, resultat in illa vnio, per quam intrinsecè vnitur materiæ, & per quam denominatur formaliter informans materiæ, quomodo materia dicitur effectus formæ: ergo causalitas vtriusque ad invicè est vnio, qua vniantur in-

trinsecè ad invicem.

Confirmatur: quia causalitas, quomodolibet sit effectus, num proprius, num improprius, debet esse **relatio** prædicamentalis; quia debet esse inter extrema realiter existentia, & entitas absoluta causæ potest sine causalitate existere, casu scilicet quod effectus non existat, sed non datur alia relatio prædicamentalis materiæ ad formam receptam in ipsa materia, nisi vnio, per quam materia vnitur intrinsecè formæ: neque in ista alia, nisi vnio, per quam vnitur intrinsecè illi, quæ possint esse causalitates illarum ad invicem, aliàs assignent, qui aliud defendant: ergo &c.

SIT 2. CONCLUSIO: causalitas materiæ, vt est causa totius, est relatio dependentiæ activæ, & coinexistentiæ, quam vt pars materialis fundat materia, terminata ad totum: & formæ etiã est relatio dependentiæ activæ, & coinexistentiæ etiam terminata ad totum, quàm vt pars formalis fundat forma. Patet conclus. ex dictis per totam sect. & in alijs locis, & ex dicendis de causa, & causalitate, siue actione causæ efficientis disp. sequenti, ex quibus constat etiam esse sententiam Scoti, & in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad tertium*, nu. 11. vers. *ideo illud*, vbi ait, quod vnio solum est conditio prævia vt partes causent totum.

tum. Expressè docet nostram conclus. 9. Met. quæst. 4. à num. 5. §. *sciendum tamen secundo*. Et patet breviter: quia causalitas est relatio causæ ad causatum; quia nequit intelligi causa, ut causa, quin intelligatur alicuius causa, scilicet causati; sed causæ intrinsecæ nequit esse alia relatio, nisi dependentiæ activæ ad ipsum causatum, & talis quod dicat coinexistentiam in illo, ut vidimus in lib. 1. disp. 6. sect. 3. ergo &c.

Quod autem causalitas materiæ, & formæ respectu totius, non sit unio ipsarum, ut dicunt contrarij. Prob. quia estò verum sit, quod materia, & forma non causarent compositum, nisi inter se unirentur, ut docet Scotus in 3. allegatus; tamen nostro modo intelligendi priùs concipimus partes unitas, quàm causantes totum: ergo in earum unione non consistit illarum causalitas in ordine ad totum. Prob. antec. quia totum resultat ex partibus unitis; sed illud, ex quo aliud resultat, intelligitur priùs, quàm id, quod resultat, ut patet in fundamento relationis: ergo priùs intelliguntur partes unitæ, quàm causantes totum.

SATISFIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum contra primam conclusionem:

per nos unio est relatio: ergo supponit in aliqua prioritate naturæ extrema existentia, scilicet materiam, & formam; atqui in illo signo naturæ, in quo existit forma, iam intelligitur materia causans formam, aliàs iam existeret forma, quin illam causaret materia: ergo unio nequit esse causalitas materiæ respectu formæ, maximè eductæ ex materia.

Resp. conc. antec & conseq. & dist. min. *subsumptam*: atqui in illo signo naturæ, in quo existit forma, iam intelligitur materia causans formam fundamentaliter, conc. formaliter, neg. Et similiter dist. illud, aliàs iam existeret forma, quin illam causaret materialiter, neg. formaliter, conc. & neg. conseq. Forma namque, licet educatur ex materia, non habet esse à materia, nisi à causa efficiente, quæ producit illam dependet à materia, quæ nullum influxum habet in formam, nisi recipere illam, ut habetur in Theolog. tract. de *Creatione*, disp. 3. sect. 1. à §. *quarto stabiliendam est*. Undè forma in primo signo intelligitur producta in materia, & in secundo signo resultat in materia relatio unionis cum forma, & in forma alia relatio unionis cum materia, & sic in primo signo non intelligitur materia unita nisi fundamentaliter, & in secundo intelligitur iam formaliter unita, ac

per consequens in ea recepta: vnde cum causalitas materiæ respectu formæ sit formalis receptio formæ, vnio materiæ ad formam erit causalitas materiæ respectu formæ: & idem dicendum est de causalitate formæ respectu materiæ, servatis servandis; quia effectus, quem forma tribuit materiæ, nihil est aliud, quam informare materiam; & licet intelligatur fundamentaliter informans in primo signo sui esse, non intelligitur informans formaliter vsque ad secundum signum, in quo iam resultat vnio in illa, per quam intrinsecè vnitur materiæ. Quomodo evenit in omnibus correlativis, vt in duobus albis v.g. quæ in primo signo intelliguntur existentia, in quo adhuc non intelliguntur formaliter similia, nisi solum fundamentaliter; quia vsque ad sequens signum non intelliguntur relationes similitudinis in illis, per quas sunt, & denominantur formaliter similia.

Sit 2. argum. contra 2. concl. causalitas est illud, per quod causa denominatur causans, sive causa; sed per vnionem denominantur partes causantes totum, sive totius causæ: ergo &c. Prob. 1. min. hæ causæ constituunt compositum, communicando se ipsas composito; sed hæc communicatio non consistit in alio, quam in vnione mutua; ergo

per vnionem denominatur causantes, sive causæ totius. Prob. hæc min. dum se communicat forma materiæ, & ista forma, constituitur compositum; sed per vnionem se communicant ad invicem: ergo dicta communicatio est vnio.

Prob. 2. prima min. forma constituit compositum informando materiam, & hæc recipiendo formam; sed informatio, & receptio non est nisi ipsamet vnio, quæ ex parte materiæ dicitur receptio, & ex parte formæ informatio: ergo causalitas materiæ, & formæ respectu totius est vnio illarum. Mai. patet ex Scoto in 4. dist. 1. quest. 1. nu. 7. §. & vers. *sed istæ rationes*, ubi ait, formam esse in materia est compositum habere esse: ergo ex Scoto forma constituit compositum informando materiam.

Resp. conc. mai. & neg. min. Ad primam probationem istius dist. mai. hæ causæ constituunt compositum metaphysicum, neg. suppositum; quia compositum metaphysicū non partibus physicis, nisi prædicatis metaphysicis constituitur, vtpotè indistinctum ab istis, & distinctum realiter ab illis. Reddo ad alium membrum distinctionis; hæ causæ constituunt compositum physicum, conc. at non communicando se ipsas composito physico, nisi ad invicem, quia compositum physicum non distinguitur à par-

à partibus physicis unitis, & nihil communicat semetipsum.

Ad secundam probationem min. etiam nego suppositum, scilicet quod forma, & materia constituent compositum metaphysicum, nisi physicum, ut manet dictum. Et hic non querimus causalitatem istarum in ordine ad compositum physicum; quia istud non causant, sed constituent, seu componunt; nisi in ordine ad metaphysicum, quod causant, non verò constituent. Ad Scotum dico 1. loqui de composito physico, quod nihil aliud est præter materiã, & formã unitas. Quod si intelligatur de composito metaphysico, hoc dixit; quia eo quod forma sit communicata materiã, necessariò debet esse totum, licet distinctum realiter ab illis, in illis per inexistentiã, & compenetratiõnem.

Sit 3. argum. ideò inferimus causalitatem causã efficientis esse realiter distinctam ab applicatione ad passum, & unio- nem formã cum materia esse realiter distinctam ab indistantia, & dispositionibus, quia saltem per divinã potentiã potest esse causa efficiens applicata absque causalitate, & materia indistans à forma, ac disposita ad ipsam absque unione; sed unio materiã, & formã nequit esse, adhuc divinitus, sine causalitate istarum erga totum: ergo

non possumus colligere, quod causalitas istarum sit ^{causa} distincta ab unione.

Resp. dist. mai. ideò solum inferimus, neg. ideò, & ex alijs principijs, conc. etiam conc. min. & neg. conseq. Verum est, quod unum posse esse sine alio est principium evidentissimum distinctionis realis ipsius ab illo; sed tamen hoc non est principium adæquatum inferens distinctionem realem, aliã correlata, ut talia, non distinguerentur realiter, quod est factum. Unde ex alijs principijs potest etiam inferri realis distinctio. Inter causalitatem materiã, & formã erga totum, & unio- nem earum inferimus distinctionem realem, licet una non possit esse sine alia; quia unio est relatio unius partis ad aliam; non verò causalitas, quã est relatio materiã, & formã ad totum, & unica relatio nequit respicere plures terminos.

Sit 4. argum. si unio materiã, & formã non esset causalitas earum erga totum, maximè quia esset dependentia activa, quam materia, & forma dicunt ad totum; sed hæc non: ergo unio est talis causalitas. Prob. min. dependentia activa, quam dicit causa ad effectum, est causalitas causã efficientis; sed materia, & forma non sunt causã efficientes totius; quia sunt causã intrinsecã illius; ergo dicta dependen-

dentia non est causalitas, qua materia & forma sunt, & denominantur causæ totius: vel debet dici, quod non sunt causæ intrinsecæ, nisi causæ efficientes totius, quod est falsum.

Resp. conc. mai. & neg. min. Ad cuius probationem dist. mai. quævis dependentia activa, quam dicitur causa ad effectum, est causalitas causæ efficientis, neg. aliqua, conc. etiam min. & neg. conseq. Non sumitur hic *activa* prout significat dependentiam à causa, quæ agit, nisi prout contraponitur dependentiæ passivæ, quæ re vera fundatur in effectu, & per quam iste denominatur dependens à causa; & sic dependentia activa est illa relatio per quam causa denominatur formaliter causans, sive id, à quo effectus dependet, nùm efficienter; nùm verò per emanationem dependeat, sive nùm effectus sit productus, sive emanatus à causa. Vndè cum totum per se substantiale non sit productum à materia & forma, sed resultet ex illis, illa relatio resultans in materia & forma ad totum, quod ipsæ eructant, dicitur *activa*; & quia illud non producant, non appellatur actio causæ efficientis, sed causalitas causæ intrinsecæ. Vtterius dicitur, non esse causas efficientes; quia cum sint causæ secundæ, si semel considerantur cum requisitis, nempe cum *unionem*, non po-

test, adhuc de potentia absoluta impediri à Deo earum effectus, ac per consequens neque causalitas: neque valet Deus efficere, quod non resultet ex his numero causis hic numero effectus, sed alius, ut habetur lib. 1. disp. 3. sect. 4. in solut. ad 2. arg. & in solut. ad instant. sexti, & in solut. 2. ad 7. & sect. 5. à vers. *prob. 2. illa min.* & etiam in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 2. subsect. 3. in solut. ad 2. argum. & præcipue sect. 3. à vers. *sit 2. conclusio.* At verò ex causa efficiente ultimò disposita, non solum potest facere Deus, quod proveniat hic, vel ille numero effectus (prout voluerit) ex contentis in virtute causæ; verum etiam quod nullus proveniat, ut in igne Babiloniæ; quia Deus est, qui determinat causas efficientes secundas, non solum quoad producere, utcumque, verum quoad producere hunc numero effectum potius, quam illum ex contentis in virtute causæ secundæ.

DISPUTATIO IV.

DE CAUSA EFFICIENTE.

EXPLANATIS iam causis intrinsecis corporis naturalis, quæ ipsum constituunt physicè sumptum, & metaphysicè acceptum intrinsecè causant, nempe per metaphysicam resultantiam, ut disp. antecedenti abundè vi-

dimus; de extrinsecis venimus agendum, quippè de efficiente, & finali; ex quibus, quia principalior efficiens censetur, prius de illa in præsentî disputatione pertractamus.

SECTIO I.

QVĪD SIT CAUSA EFFICIENS?

ANTEQUAM causæ efficientis designemus naturam, vt maiori claritate procedamus, prius causæ extrinsecæ, vt sic, quatenus intrinsecæ, vt sic, contrapositæ, essentiam assignare oportet: & iuxta apposita de causa intrinseca in antecedenti disputatione sect. I. vers. *antequam causarum*, sic causam extrinsecæ expendimus: *Principium influens in aliud, extra quod potest existere.* Cuius intelligentia, & esse iuxta Philos. & Scoti mentem, constat ex definitionis causæ intrinsecæ explicatione tradita vbi supra.

Sic describit Philos. in hoc 2. lib. cap. 3. causam efficientem: *Vnde est primum principium motus, aut quietis, quam vt exponat Scotus in hoc eodem 2. lib. quæst. 8. num. 2. vers. quantum ad primum, istam aliam affert: Causa efficiens est illud, propter quod alterum est tanquam ab illo, & adducit exemplum in igne, qui est causa efficiens caloris, quæ benè intellectæ omni, & soli causæ efficienti adaptari possunt; nam per ly*

vnde est, intelligit Philosophus *efficienter*, quod debet suppleri, & explicat Scotus per *ly tanquam ab illo*, per quam particulam, licet non totum specificum causæ efficientis comprehendat, tamen distinguit illam à cæteris causis; nam sola causa efficiens est id *vnde*, vel à qua est effectus; quia materialis, & formalis, vt potè causæ intrinsecæ, sunt id *ex quibus* constat compositum, nō *vnde*, nec à quibus est. Et causa finalis est id *propter quod*, vel *cuius gratia* fit effectus.

Particula illa, *principium*, ponitur loco generis, per quam convenit causa efficiens cum alijs causis; nam quælibet causa est principium, licet quodlibet principium nō sit causa, ob quod *ly principium*, non est genus immediatum, sed mediatum. Isti particulæ iungitur illa, *primum*, per quam non vult Philosophus, quod causa efficiens sit causa prima absolute, & simpliciter, vt est Deus, qui nullatenus est causa secunda, sed secundum quid, taliter vt etiam causis secundis conveniat; sed accipit pro primitate principalitatis, vt excludat causam instrumentalem, quæ non agit principaliter, seu propria virtute. Dicitæ particulæ æquivaleret in definitione Scoti illa, *tanquam ab illo*; quia à causa instrumentali non est effectus, nisi ab efficiente.

Vel potest dici, quod præfata
par-

particula, *primum principium*, significat primitatem perfectitatis, ita vt sonet idem ac *per se*, vt causa per accidens removeantur. Vel tandè dici potest, quod denotat proprium modum cau-
sandi; nam cætera causæ non dicuntur primæ, siquidem finalis, in qua poterat esse difficultas, solum in intentione est prima; non verò in executione. Forma, siue causa formalis se habet vt terminus mutationis; & licet materia, siue causa materialis præsupponatur causalitati agentis, siue causæ efficientis quoad entitatem; attamen loquendo de actuali causatione, idè causa materialis recipit, quia causa efficiens agit, & consequenter cò-
cursus causæ efficientis debet dici omnium primus primitate naturæ, non temporis; quia omnes causæ in eodem instanti tē-
poris causant, vt eruditè docet Scotus in 2. dist. 37. quæst. 2. §. *ad solutionem istorum*. nu. 15. vers. *& si obijcitur*. Sed tamen hæc particula, *primum*, non est simpliciter necessaria, si sumatur *per se*; quia sufficienter per cæteras explicatur: Vndè Arist. 1. de Gener. 14. repetens hanc definitionem, dictam omisit particulam.

Illam aliam particulam, *motus*, ponitur à Philos. pro ipso fieri effectus, qui est à causa, siue à virtute causæ efficientis, siue effectus præsupponat subiectum, in quo recipiatur, vt forma ignis, v. g.

in materia ligni, in quo sensu causa efficiens est causa motus, siue mutationis propriè sumptæ; siue nō præsupponat subiectum, vt in creatione, in quo sensu nō est causa motus propriè sumpti, nisi latè, prout scilicet effectus mutatur, seu transit de non esse ad esse. Vndè dicta definitio conuenit tam causæ primæ, quam secundæ. Huic particulæ æquivallet illa, *alterum est*, in definitione Scoti posita, vt satis ex se patet.

Denique particula, *quietis*, idè sonat, ac *conservationis*, quæ aptè nomine *quietis* significatur; nam materia dicitur quiescere sub forma, quæ in ipsa materia conservatur, vel forma dicitur quiescere in materia, quandiu in illa conservatur. Cui particulæ æquivallet illa prædicta, *alterum est*; nam etiam effectus cò-
servatus est à causa conservante, non quoad primum sui esse, nisi quoad esse quod iam antea erat, vt diximus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 4. sect. 1.

Vndè, iuxta modò apposita, descriptiones prædictas Philos. & Scoti exponendo, istam aptiorem causæ efficientis definitionem donamus: *Causa extrinseca verè, & realiter dans esse alteri*. Particula illa, *causa extrinseca*, est genus immediatum, per quam conuenit causa efficiens cum alijs causis extrinsecis. Illa alia, *verè, & realiter dans esse alteri*,

ter., est differentia, per quam nō solum differt à causa instrumentali, quæ non dat esse effectui, sed ad summum est medium, sive instrumentum, per quod, vel quo utitur causa principalis ad præstandum esse effectui; verum etiã à causa morali, quæ verè, & realiter non dat esse, & etiã à causa finali, quæ similiter non præstat esse, sed movet causam principalem agentem propter finē, ut det esse effectui.

SECTIO II.

QUOTVPLEX SIT CAUSA efficientis.

Primò dividitur causa efficiens in primam, & secundam. Causa prima efficiens est illa, à qua omnis alia causa efficiens depēdet in essendo, & operando; & ipsa à nulla alia, quomodò solus Deus dicitur prima causa efficiens. Causa verò secunda est illa, quæ in essendo, & operando dependet à prima, & huiusmodi censetur omnis causa efficiens creata: Vnde istæ dicuntur subordinatæ, & quælibet alia, quarum vna dependet ab alia in operando.

Deindè, causa secunda dividitur in moralem, & physicam, sive realem. Causa physica realis est, quæ verè, & realiter dat esse effectui, ut ignis, qui verè, & realiter producit calorem, aliumque

ignem. Causa moralis est illa, quæ physicè, & realiter non influit, seu producit, nisi moraliter, v.g. suadendo, præcipiendo, ac rogando.

Insuper, causa physica efficiens dividitur in causam per se, & per accidens. Causa physica per se est illa, cui per se in quantum talis correspondet effectus, ut calor, respectu alterius caloris ab ipso producti, homo respectu alterius hominis, &c. Causa per accidens est illa, cui in quantum talis, nō correspondet effectus, nisi sub alia ratione, vel propter coniunctionem, quam habet cum causa per se, vel quia ipse effectus causæ per accidens coniungitur cū effectu causæ per se. Exemplum primæ: Musicus in quantum musicus dicitur causa per accidens delineationis imaginis; quia ista non correspondet illi in quantum est musicus, sed in quantum pictor. Medicus dicitur sanari per accidens, quia non sanatur in quantum medicus, sed in quantum infirmus sanatur. Secundo modo fodiens terrā dicitur causa per accidens inventionis thesauri; quia talis fossio terræ coniungitur accidentaliter cum alio effectu inventionis thesauri, eo quod non erat intentus à terram fodiente.

Uterius, causa efficiens dividitur in proximam, & remotam. Proxima est, quæ immediatè attingit, sive producit effectum,

v.g. Adam respectu Abelis. Causa remota est, quæ non immediatè, sed mediatè producit effectum, vt Avus, & Proavus v.g. respectu nepotis, in quo sentu habet locum illud cõmune axiomata, *causa causæ est causa causati*, quæ causæ solent explicari, & melius per mediatam, & immediatam.

Rursus, causa physica immediata dividitur in principalem, & instrumentalem. Principalis est, quæ in se habet virtutem ad effectum, vt calor respectu alterius caloris. Instrumentalis pro nunc est, quæ in se non habet virtutem, sed est instrumentum, medio quo agens operatur, vt ferra v.g. respectu scissionis ligni.

Deinceps, causa efficiens, vt sic, dividitur in univocam, & æquivocam. Univoca est, quæ producit effectum eiusdem rationis, & specificæ cum ipsa, vt ignis alium ignem, homo alium hominem, &c. Æquivoca est, quæ producit effectum alterius naturæ specificæ ab ipsa causâ, vt intellectus, & voluntas v.g. respectu suorum actuum, Deus respectu creaturæ, &c.

Postea, dividitur causa in totalem, & partialem. Totalis est, quæ se sola habet sufficientem virtutem ad producendum totum effectum, sive quæ se sola producit totum effectum. Partialis, quæ solum habet virtutem partialem,

partialiterque concurrat ad effectum: v.g. ignis respectu caloris est causa totalis, & species impressa respectu intellectionis est causa partialis.

Exindè, causa totalis dividitur in totalem ex omni genere, & in totalem in aliquo genere. Totalis in omni genere est, quæ se sola, & independenter ab omni alia concausa eiusdem, & alterius generis valet producere effectum, in qua acceptione solus Deus est causa totalis; quia à nulla causa dependet in sua causatione. Causa totalis in determinato genere est illa, quæ licet in illo genere, in quo est causa, non indigeat alterius adiuvamine, tamen nequit causare, nisi coadiuvetur à concausis alterius generis, cuiusmodi est omnis causa efficiens creata, quæ indiget alijs cõcausis, nempe materiali, formali, & finali.

Viterius, causa efficiens dividitur in productivam, & conservativam. Productiva est, quæ dat esse effectui, qui immediatè ante nõ habebat illud esse. Conservativa, quæ esse præ habitum conservat, sive dat: v.g. Deus in prima mundi conditione dicitur causa productiva mundi; & in sequentibus instantibus dicitur conservativa.

Deniquè, dividitur causa in liberam, & naturalem. Libera est, quæ positis omnibus requisitis, potest pro suo libito operari,

rari, vel non operari, vt voluntas. Naturalis e contra quæ omnibus requisitis positis, non potest pro suo libito non operari, vt ignis v.g.

SECTIO III.

*AN SUBSTANTIA CREATA
sit immediatè productiva ali-
cuius effectus?*

SUPPOSITO iam apud omnes, creaturas, & si dependenter à Deo, posse aliquos effectus producere; & nõ omnia à solo Deo produci, vt aliqui Antiqui dixerunt; versatur difficultas in Scholis, an substantia creata sit immediatè productiva, tam substantiæ, quàm accidentis? Sub qua difficultate etiam de accidenti resolveretur, an substantiæ, vel accidentis sit productivum? Quotum præsens quæsitum, per aliquas conclusiones evisceratum manebit, & fundamenta aliorum impugnata.

SIT I. CONCLUSIO: datur substantia creata immediatè productiva alterius substantiæ. Conclusio ista censetur Arist. 7. Met. cap. 8. text. & com. 28. num. 64. vbi ait: *In quibusdam verò palam, quia generans tale quidem est, quale generatum, nec tamen nec idem, nec vnum numero, sed vnum specie, vt in-physicis, homo namque hominem generat.* Tenet nostrum assertum Scotus 2. Phys. in exposit. textus,

text. 70. num. 10. vers. *cùm autem causa quatuor sint, & de Rerum principio quæst. 11. art. 3. sect. 4. nu. 32. vers. ad simile de igne dico, & 7. Met. in exposit. text. lum. 2. cap. 9. num. 67. à vers. ad cuius evidentiã, & 9. Met. quæst. 7. à num. 2. §. ad quætionem, & in 2. dist. 16. quæst. vnic. num. 5. §. rationes istæ, & in 4. dist. 12. q. 3. per totam.*

Prob. concl. substantia est ex se productiva: ergo non repugnat illi producere aliam substantiam. Antec. patet in igne, qui est productivus caloris in se recepti; & in aqua calida, quæ ex se producit frigiditatem, & reducitur ad statum pristinum. Prob. conseq. ex eo quod substantia sit ex se productiva, nihil aliud datur, quod potiori iure sit productivum substantiæ producibilis ab agente naturali, vt forma ignis v. g. quàm aliqua substantia, nempè ignis v. g. ergo datur substantia ex se immediatè productiva substantiæ. Probatur antec. si aliquod aliud esset, maximè accidens; sed hoc non: ergo &c. Prob. min. substantia est agens perfectius, quàm accidens; sed ex agentibus, perfectius est quod potiori iure producit effectum immediatè: ergo &c.

Confirmatur: quia nulla est ratio, cur vna substantia non possit immediatè producere aliam, v. g. vnus ignis alium ignem,

nem, vnus homo aliam hominem, &c. ergo.

Respondent Contrarij, rationem esse; quia est specialissimum Dei producere immediatè substantiam, eo quod in Deo idem sit esse, ac operari.

Sed contra, quia non minus repugnat accidenti, quàm substantiæ, quod est specialissimum Dei; sed per Vos non repugnat accidenti producere immediatè substantiam: ergo debetis concedere, vel quod producere immediatè substantiam nõ est specialissimum Dei, vel quod licet ita sit, non repugnat substantiæ.

Ad illud, quod dicunt, in Deo idem esse, esse, & operari, falsum est, vt intelligitur à Contrarijs; nam esse Dei est necesse esse, & ab æterno esse; operari verò ad extra, de quo in præsentī loquimur, est quid contingens, & in tempore. Licet enim substantia operetur, seu producat immediatè substantiam, adhuc differt in multis; primò, quia substantia creata nequit operari nisi dependenter à Deo; Deus verò independenter. Secundò, Deus non recipit actionem, quã denominatur producens, sicuti creatura, vt multoties diximus in Theol. ex Doctore Subtili. Hæc namque, & alia sunt specialissima Dei, quæ non solum substantiæ, verùm & accidenti, imò potiori iure, vt potè imperfectiori repugnant. Deindè, conclu-

sionibus sequentibus roboratur prædicta, & amplius præfata solutio impugnatur.

SIT 2. CONCLUSIO: accidens nõ est causa adæquatè productiva substantiæ. Ita Scotus citatus, & dist. 1. quæst. 1. num. 18. §. ista ergo ratione, à vers. prima propositio, & dist. 6. quæst. 1. §. sed contra istam, num. 6. vers. ad primum dico. Prob. ratione Scoti dist. 1. allegati: effectus nequit superare in perfectione virtutem productivam suæ causæ adæquatæ; sed substantia superat virtutem productivam accidentis: ergo istud nequit esse causa adæquata substantiæ. Mai. est evidens, aliàs cur vna formica non possit producere leonem, & quemlibet alium effectum se ipsa perfectior rem? Min. prob. accidens, per Vos, operatur immediatè per se ipsum: ergo ipsius virtus productiva est eadem cum ipsius entitate; atqui substantia superat in perfectione entitatem accidentis: ergo & virtutem productivam ipsius.

Aliqui respondent huic efficaci argumento, accidens esse perfectius substantia in ratione operativi, licet sit ipsa imperfectius in ratione entis, ideòque benè posse substantiam immediatè, & adæquatè producere.

Sed contra primò, quia, vt dictum est, virtus activa accidentis non distinguitur realiter ab ipso accidenti: ergo talis virtus acti-

activa non excedit in perfectione entitatem accidentis: ergo si accidens in entitate est imperfectius substantia, etiam in ratione operativi.

Contra secundò, quia si posset aliquid esse perfectius alio in ratione productivi, & imperfectius in ratione entis, & propter hoc producere aliquid perfectius se ipso in entitate, nõ posset ex maiori perfectione effectus colligi à posteriori maior perfectio causæ, quod est inconveniens.

Alteri respondent, accidens esse causam vt quo substantiæ, quæ quidem non debet esse perfectior effectui in entitate, hoc enim dicunt, solum est de ratione causæ vt quod.

Sed contra; quia quod probat argumentum est, accidens non habere in se virtutem adæquatam productivam substantiæ; quia ad hoc deberet esse saltem æquè perfectum in entitate, cum virtus productiva identificetur cum illo, cuius est virtus; nam repugnat, quod perfectius contineatur adæquatè virtualiter in minus perfecto, num minus perfectum dicatur causa vt quod, num verò vt quo. Adde, quod causa vt quo dicitur virtus ipsa productiva identificata cum causa vt quod, & ista est individuum habens talem virtutem: v.g. intellectus est causa vt quo intellectio- nis, & homo, sive Angelus, vel

anima rationalis est causa vt quod. Vnde non potest esse, quod accidens sit virtus substantiæ, qua producat aliam substantiam, Primò, quia accidens non identificatur cum substantia. Secundò, quia vt probat argumentum, virtus adæquata debet esse perfectior effectui, si causa sit æquivoca, & æquè perfecta, si univoca sit.

Aliter respondent communiter Recentiores Thomistæ, dicentes, argumentum Scoti solum probare, accidens non esse causam principalem effectivam substantiæ, vnde verum est istam nõ posse esse imperfectiorem effectui; non tamen probare, accidens non esse causam instrumentalem, vel quasi instrumentalem, quæquidem causa potest esse imperfectior effectui in entitate; non verò in virtute agendi: & accidens (sustinet) non in virtute sua, sed in virtute substantiæ operatur, dum producit substantiam.

Sed contra istam solutionem arguit Scotus allegatus, & inquit, per hoc, quod est accidens operari in virtute substantiæ, sive esse instrumentum, aut quasi instrumentum substantiæ, vel intelligitur, accidens non virtute propria, sed virtute substantiæ in ipso recepta operari? Et si hoc, nequit ita esse. Primò, quia iam substantia esset quæ produceret. Secundò, quia substantia nequit

recipi in accidente. Vel intelligunt, quod accidens producit substantiam per virtutem in illo derivatam à substantia, & à virtute propria ipsius accidentis distinctam? Et si hoc, inquiri: an talis virtus sit accidens, vel substantia? Si accidens: ergo adhuc accidens manet improporionatum ad producendum substantiam, vt probat argumentum. Si substantia: (quod videtur impossibile, cum ista nequeat in accidente subiectari, vt manet dictum) ergo iam substantia esset quæ immediatè produceret substantiam: ergo nulla est solutio.

SIT 3. CONCLUSIO: neque partialiter cõcurrit accidens immediatè ad producendum substantiam. Est conformis Scoto supra allegato. Prob. substantia habet ex se sufficientem virtutè ad producendum aliam substantiam, v.g. ignis ad alium ignem producendum: ergo accidens adhuc partialiter non concurrat immediatè ad producendù substantiam. Consequentia est certa; quia posita causa sufficienti ad effectum, superflua est quævis alia concausa, tam adæquata, quam partialis. Anteced. patet; quia nihil deficit igni B. v.g. per quod insufficientis sit eius virtus ad producendum alium ignem.

Confirmatur: nihil speciale reperitur in substantia, ratione cuius non possit produci à sub-

stantia, & possit ab accidente produci: ergo accidens adhuc partialiter non concurrat immediatè ad producendum substantiam. Antec. est certum, alias assignent Contrarij. Conseq. liquet; nam idè ad aliquos effectus concurrunt duæ causæ partiales, ex quibus totalis, & adæquata causa constatur, quia in effectu talia prædicata relucet, quæ a nulla illarum solùm provenire possunt, vt patet in omnibus effectibus provenientius à duabus causis partialibus.

SIT 4. CONCLUSIO: accidens potest producere aliud accidens. Ita Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. *Si ista ergo*, nu. 19. à veris. *contra hoc arguo*. Prob. calor receptus in aqua producit in extraneo subiecto calorem, in manu v. g. vt constat experientia: ergo &c. Patet antec. quia in illo tunc calor in manu nõ producit ab alio agente, quam à calore in aqua, siquidem nequit ab aqua produci, & nullũ aliud agens datur approximatum à quo possit produci.

SIT 5. CONCLUSIO: substantia est immediatè productiva accidentis in se ipsa recepti. Etiam est Scoti adducti, & dist. 12. q. 13. varijs in locis. Prob. substantia est ex se sufficiens ad producendum calorem v. g. ergo potest illum producere immediatè. Antec. est certum; quia accidens nõ excedit in perfectione virtutem

productivam substantiæ. Si respondeas, quod substantia non habet virtutem ad operandum, sive producendum immediatè. Satis contra hoc vrget argumentum. Deindè, qua ratione accidens habet talem virtutem, & non substantia? Si dicas, quod quia accidens est simile accidenti, non verò substantia? Contra, quia hoc solum requiritur ad causam univocam; & substantia respectu accidentis non est univoca, sed causa æquivoca. Ulteriùs, per Vos, accidens est productivam substantiæ, quin illud sit isti simile: ergo.

Prob. 2. concl. aqua v.g. se reducit ad frigiditatem, quam amiserat, calore in ipsa producto: ergo producit frigiditatem in se ipsa. Antec. patet experientia. Conseq. conitit; quia tunc nullum est accidens in aqua, à quo possit produci frigiditas.

Respondebis, quod in tali casu producitur frigiditas in aqua à quadam qualitate occulta in ipsa aqua. Sed si tam occulta adest, quomodò scis illic esse? Liberè namque illam admittis, vt protervè assertum defendas, quod sine fundamento concedis.

Sed adhuc admissa tali qualitate, contra: illa qualitas occulta, quæ, per Vos, in tali casu producit frigiditatem in aqua, à quo fuit immediatè producta? Non à se; quia naturaliter daretur

causa sui ipsius, & quoad primam sui productionem, quod nullatenus concedis. Deindè, quia idem posset dici de ipsa frigiditate, & sic præfata qualitas occulta esset superflua. Neque ab alia qualitate; quia de illa alia idem inquitam vsque in infinitum: ergo dicendum est, quod fuit immediatè producta ab aqua. Ulteriùs, si hanc qualitatem occultam valet aqua immediatè producere, cur frigiditatem non poterit?

Si respondeat Aliquis, quod in casu dicto producitur frigiditas à solo Deo supplente accidentis causalitatem.

Contra, quia dum adest causa creata sufficiens, effectus non est soli Deo tribuendus, alias de quolibet effectu posset hoc dici, & sic nulla daretur causa creata.

SIT 6. CONCLUSIO: substantia est ex se productiva immediatè accidentis in extraneo subiecto. Ita Scotus allegatus, & in 2. dist. 9. quæst. 2. à n. 15. §. ad questionem istam. Vbi hac ratione probat: quodlibet agens potens in seipso aliquem effectum producere, potest etiam producere illum in quocumque receptivo proportionato, & approximato: ergo cum substantia sit ex se productiva aliquorum accidentium in se, v.g. ignis caloris, & aqua frigiditatis, poterit etiam talia accidentia producere in extraneo subiecto, dummodo

fit receptivum illorū, & fit substantiæ sufficienter approximatum. Conclusio hæc satis ex se est manifesta.

Maiores difficultates est: an accidentia producta in extraneo subiecto, dum subiectum producens habet similia accidentia, & ista sunt etiam ex se productiva aliorum similium, producantur ab ipsa substantia, vel ab accidentibus, quæ sunt in ea? v. g. an calor ab igne productus in aqua, producatur immediatè ab ipsa substantia ignis, vel à calore insito in ipso igne?

Circa quam, licet videatur nihil certum, & firmum posse resolvi; eo quod tam substantia ignis, quam ipsius calor, sint ex se immediatè productiva caloris in aqua: deinde, aqua, dum calefit, tam approximatur substantiæ ignis, quam istius calori, siquidem substantia ignis, & ipsius calor sunt compenetrata: ac per consequens videtur, quod à quolibet potest produci calor in aqua.

SIT 7. CONCLUSIO: accidentia producta in extraneo subiecto, dum subiectum producens habet similia accidentia, & tam substantia subiecti, quam illius accidentia sunt ex se productiva dictorum accidentium, ista non ab accidentibus, sed ab ipsa subiecti substantia producantur. Est conformis Scoto in 2. dist. 9. quæst. 2. num. 20. §. ad ulteriorem,

verf. tertium probo, & in 4. dist. 12. quæst. 3. §. ad secundum dico, n. 25. verf. ad primum dico, & expressius num. 26. verf. ex hac propositione, & num. 27. verf. & si quæras. Ratio Scoti est; quia stantibus duobus agentibus æquè approximatis, eundem effectum potentibus producere; minus perfectus prævenitur à perfectiori, & istud producit effectum; sed substantia est perfectius agens, quam accidens: ergo &c.

S O L V V N T V R A R G V M E N T A

Contra præfatas conclusiones.

SIT primum argumentum contra primam, secundam, tertiam, quintam, sextam, & septimam conclusionem, & est validissimum Thomistarum: esse, & operari in creaturis realiter distinguuntur: (solus enim Deus ob suam infinitam perfectionem est sua operatio) ergo potentia, quæ ordinatur ad esse, sive existentiam realiter distinguitur ab illa, quæ ex sua natura ordinatur ad operationem. Prob. consequ. potentia specificantur per actus ex Phil. 2. de Ani. sed actus essendi distinguitur realiter ab esse operandi, sive operationis, cū possit dari actus essendi sine actuali operatione: ergo potentia, à quibus tales actus essendi, & operandi dimanant, etiam distinguuntur realiter.

Confirmatur ex Phil. 9. Met.

Hh 2

text.

text. 3. & 12. eiusdem text. 26. & 28. ubi ait: *Cuius est actus, eius est potentia; & infra: Actus & potentia eiusdem sunt generis; sed operari, sive operatio est accidens substantiæ: ergo potentia à qua nascitur talis actus operationis, etiam erit accidens.*

Argumentum pluribus laborat æquivocationibus, cui iuxta nostrâ Scoticam doctrinâ resp. conc. antec. & neg. suppositum consequentis, nempe quod in creatura detur potètia existens, quæ ordinetur ad esse, sive existere, sicuti datur ad operari. Potentia namque creaturæ ad existendum est potentia merè obiectiva, nempe possibilitas ipsa, sive non repugnantia ad existendum: unde, cum ista solùm habeat esse cognitū, & ipsius actus sit esse existens simpliciter, ut diximus in Theol. tract. de *Scientia Dei*, disp. 3. sect. 4. nulla est paritas huius potentia obiectivæ ad potentiam existentem realiter, qualis est in creatura existente potentia ad operandum. Quare cum creatura ignis *A*, v. g. in esse possibili, & obiectivo habeat suam potentiam ad operandum etiam in esse possibili, & obiectivo: ita in esse existenti habet illam in esse existens, à qua solùm ex natura rei distinguitur: & sic potentia, quæ ordinetur ad esse, distinguitur à potètia, quæ ordinetur ad operandum tanquam quid merè possibile ab

aliquo existente realiter. Undè ad probationem consequentiæ dist. mai. potentia specificantur ab actibus extrinsecè, conc. intrinsecè, neg. (loquimur de potentijs, quæ sunt virtutes productivæ.) Conc. min. & neg. suppositum consequentis; quia actus essendi in sua causa supponit potentiam productivam identificatam realiter cum illa, respectu cuius potètiæ iste actus operandi est operatio, à quo specificatur extrinsecè potentia productiva, quæ identificatur cum actu essendi, cuius est potentia.

Ad confirmationem resp. Philosoph. in præfatis locis loqui de potentia obiectiva, & actu existendi, ita ut sensus sit, illud idè ens, quod fuit in potentia obiectiva, sive in esse possibili, est quod actu existit, quando producit in esse reali, in quo sensu actus, & potentia non solùm sunt eiusdem generis, verùm & individui; quia idem numero, Petrus v. g. qui fuit possibilis antequam produceretur, est existens, postquam producit.

Insuper argumentum militat contra Adversarios; nam idè in substantia, dicunt ipsi, debet esse potentia, quæ ordinetur ad esse distincta realiter à potentia, quæ ordinetur ad operari, quia esse, & operari in creatura distinguuntur realiter: ergo etiam in accidente, in calore v. g. debent ipsi assignare potentiam essendi

distinctam realiter à potentia operandi, siquidem esse, & operari in accidente distinguuntur realiter, sicuti in substantia.

Sit 2. argum. contra easdem conclusiones: Philos. 2. de Anim. text. 5. ait, quod calor naturalis est instrumentum, medio quo Anima nutrit digerendo cibam, & illum in substantiam aliti convertendo; sed calor naturalis est accidens: ergo substantia nõ per se, sed medijs accidentibus producit substantiam.

Deindè, idem Philos. lib. de sensu, & sensato, ait: *Ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus*: ergo ratio agendi in igne non est ipsa substantia, sed caliditas, quæ est eius accidens.

Resp. ad primum locum Philosophi ex Scoto citato in 4. quod calor naturalis dicitur instrumentum, medio quo nutrit substantia, sive anima; quia calor non producit formam substantialem aliti in materia alimenti; nam si hoc, iam calor esset causa principalis talis formæ substantialis; sed quia calor naturalis est instrumentum, sive id, medio quo cibus alteratur, & disponitur ad hoc, vt per ipsam substantiam producat formam substantialem aliti in materia alimenti: dicitur instrumentum, quia medio illo substantia producit dictam formam substantialem sua propria potentia, sive virtute realiter identificata cum

substantia producente, & non virtute accidentis.

Ad secundum resp. quod ignis habet duplicem effectum, scilicet substantiam ignis, & calorem, tam in se ipso, quàm in extraneo subiecto, vt probavimus concl. 5. 6. & 7. quæ ignis est, producit ignem, & quæ calidus virtualiter producit calorem, quem etiam produceret, quæ calidus formaliter, si calidus virtualiter non esset, vt patet in aqua calida, v.g. & hoc est quod intendit Philos. per relata verba.

Sit 3. arg. contra 1. 2. & 3. conclusionem: pluries generantur aliqua substantiæ, ad quas producendas non sunt applicatæ aliæ substantiæ: ergo tunc non à substantia, nisi ab accidentibus producuntur tales substantiæ. Prob. antec. dum metalla producuntur in visceribus terræ, & dum ferrum candens producit ignem, & etiam dum ex putrefactione generantur aliqua viventia, nulla datur substantia applicata, quæ possit tales substantias producere: ergo &c.

Resp. neg. 1. & 2. antec. In igne candenti diximus iam in 1. lib. disp. 3. sect. 4. concl. 3. cum Scoto, dari formam substantialem ignis: & quod ab ista, & non à calore producitur forma ignis in materia applicata. Metalla namque in visceribus terræ, non à calore Solis, sed ab ipso Sole, cælo, & astris (& fortè etiam à terra)

terra) producuntur, tanquam à causis partialibus, vt ait Scotus allegatus. Videntia denique ex putrefactione producta, tenet etiam Scotus, quod non ab accidentibus, neque à prædictis causis, cum videntia non sint, producuntur: quare, ait Subtilis Doctor, à prædictis causis vltimò disponitur materia, & Deus causa vniuersalis, vt Author naturæ est, cum non adsit causa secunda potens producere formas substantiales talium videntium, supplens defectum naturæ illas producit. Alia solent proponi argumenta, quæ omittimus; quia eorum solutiones ex aliquibus difficultatibus pertinentibus ad tract. de Generat. & de Anim. pendent.

SECTIO III.

QVOD SIT, ET IN QVO SUBIECTETUR ACTIO CAUSÆ EFFICIENTIS?

VT circa difficultatem istam sine ambiguitate, aut equivocatione procedamus, noto primò, pro eodem communiter vsurpari, *actio, causalitas, & influxus*. Sed tamen propriè loquendo, & iuxta Scoti mentem, *influxus, seu causalitas* quid distinctam significare videtur, ac *actio*, sumpta actione propriè, vt distincta ab entitatibus absolutis causæ, & effectus, ex quo oritur, quod cum *actio, causalitas,*

& *influxus* pro eodem accipiantur, multipliciter sumatur actio.

Vndè, noto 2. vt diximus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 1. sect. 4. quod actio aliquandò sumitur pro re acta, scilicet pro forma, vel entitate quadam absoluta, quæ denominatur producta; at vt sic impropriè sumitur actio, vt observavimus supra. Deindè, neque vt sic potest dici *influxus, seu causalitas*; nam *influxus, seu causalitas* significant exercitium, vel quasi exercitium producendi, quod supponitur ad rem actam, seu productam.

Secundò, sumitur actio pro fieri rei, & in ista acceptione etiam est ipsa res, prout est in fieri, & neque vt sic est propriè actio, vt videri potest vbi supra; at verò vt sic, quatenus fieri rei est res egredi à virtute causæ, ac per consequens exercitium, vel quasi exercitiū producendi causæ, propriè loquendo fieri rei erit *influxus, seu causalitas*.

Tertiò, sumitur actio pro respectu producentis ad productū, & ita propugnauimus iam loco citato, actionem esse respectum prædicamentale intrinsecus advenientem, ac perindè pertinentem ad quartum prædicamentum, & resultare, posita prius in rerum natura entitate absoluta effectus, ex entitate absoluta causæ, in illaque subiectari, seu fundari, & illam denominare formaliter causam.

Quar-

Quartò deniquè sumitur actio pro respectu transmutantis ad transmutatum, quomodo manet dictū etiam vbi supra, esse actionem de genere actionis ad quintum prædicamentum atinentē, quod actionis appellatur, (quia vt sic est relatio extrinsecus adueniens) siquidem possunt dari in rerum natura extrema huius relationis, scilicet entitas absoluta causæ producētis, sive transmutantis, & entitas absoluta subiecti, materiæ primæ v.g. quin detur dicta relatio, quæ reverà etiam subiectatur, seu fundatur in entitate absoluta causæ transmutantis, ipsamque constituit, seu denominat formaliter transmutantem.

Ex dictis clarè constat, quod actio sumpta pro re acta, & pro re in fieri, non est aliquid per quod causa efficiens producit effectum, medians inter absolutum causæ, & absolutum effectus, præcedensque natura absolutum effectus; quia nihil dicitur mediare inter se ipsum, & aliud, neque potest se ipsum præcedere.

Constat similiter, quod neque actio, sumpta pro respectu producentis ad productum, neque transmutantis ad transmutatum, licet mediet inter entitates absolutas producentis, & producti, ac transmutantis, & transmutati, non mediat tanquam præcedens entitatem absolutam pro-

ducti, sive effectus, & per quod entitas absoluta causæ producit, sive eructat entitatem absolutam effectus; quia relatio supponit iam in rerum natura, dum resultat, non solum entitatem absolutam fundamenti, sed etiam termini.

Vndè tota præsens difficultas est, vtr. detur aliquod medians inter entitatem absolutam causæ, & entitatem absolutam effectus, istamque natura præcedens, per quod causa producat, seu ponat in existentia, sive in rerum natura entitatem absolutam effectus, quod quidem vocetur actio, sive causalitas, aut influxus? Circa quam.

SIT CONCLUSIO: nulla actio, seu influxus datur medians inter absolutam causæ, & absolutum effectus, præcedens natura entitatem absolutam effectus, neque aliquid aliud, neque absolutum, neque respectivum, per quod absolutum causæ producat entitatem absolutam effectus; sed absolutum effectus sequitur, & originatur immediatè ab absoluto causæ. Conclusio hæc est expressa Scoti varijs in locis citatis in Theolog. tract. de *Voluntate*, disp. 4. sect. 3. à subsect. 6. Ex quibus solum afferam vnum, vbi expressissimè loquitur Doct. Subtilis. In 2. igitur dist. 1. q. 2. §. *quantum ad istum art.* num. 8. à vers. & quando arguitur, hæc habet: *Et quando arguitur contra istud*

istud (scilicet contra nostram conclusionem) per illam rationem, quod oportet habitudinem novam aliquam naturaliter precedere in producente ad productum, & non e contrario, dico sicut dictum est dist. 35. primi, & aliis frequenter, quod ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu, &c. Et prosequitur sic.

Cum igitur dicis, quod quia causa dat esse, ideo effectus recipit esse, & non e contrario, dico, quod si intendas per ly quia reduplicationem relationis in causa, vel aliquam realitatem novam in causa, sive relativam, sive absolutam, propositio est falsa: Si autem intelligas reduplicare actum primum causa, qui precedit naturaliter causatum; illo modo propositio est vera: absolutum enim in causa precedit naturaliter causatum.

Et si dicas, quod non tantum, quia est absolutum causat, quia similiter tale est, scilicet absolutum, quando non causat.

Dico, quod in illo instanti, in quo causat, adhuc causat ut prius naturaliter ipsa causatione: & ut sic nihil intelligitur nisi absolutum, à quo ponitur ipsum causatum in esse, & ideo nihil potest accipi cum hoc causa huius, quod est causari, nisi illud sit prius, nec respectu huius instantis, nec respectu alterius. Fallitur autem imaginatio, quia semper videtur, quod causa sit indeterminata usque ad illud instans, quando causat: & tunc quod aliqua re-

latio determinans ipsam ad effectum, primo requiratur à parte eius, quod falsum est: illud enim idem absolutum, quod in causa præcessit, tam natura, quam duratione ipsum effectum productum, vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter, quam causet: & secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causativum, est nunc causans, & non secundum aliquid additum, neque absolutum, neque respectivum.

Ratione prob. concl. si causa produceret effectum, non immediatè per suam virtutem, sed per aliquam actionem mediam inter entitatem absolutam causæ, & entitatem absolutam effectus, ista deberet precedere prioritate naturæ entitatem absolutam effectus; sed talis actio repugnat: ergo &c. Mai. patet; quia in tali casu existentia effectus dependeret ab actione: ergo deberet esse prius natura, quam existeret effectus. Min. prob. illa actio, vel esset relatio, vel quid absolutum; non relatio; quia ista resultat positus prius in rerum natura fundamento, & termino. Neque potest esse quid absolutum: ergo. Prob. hoc: tale absolutum egrederetur à virtute causæ immediatè: ergo etiam entitas absoluta effectus potest egredi: ergo dicta actio, quam dicitis est superflua: ergo non debet admitti.

Prob. 2. simili argumento: si præ-

præter virtutem causæ daretur actio, sive influxus, qui esset medium, quo causa produceret entitatem absolutam effectus, vel esset substantia, vel accidens: non primum, vt concedunt omnes: neque accidens; quia vel absolutum, vel respectivum: non secundum, vt manet probatum supra: neque absolutum; quia vel reciperetur in causa, vel in effectu: non in causa, vt patet in Deo, qui est causa, & nullum recipit accidens: neque in effectu; quia accidens nequit præcedere natura proprium subiectum, in quo inest, & influxus, per quem causa produceret, si daretur, deberet præcedere effectum, vt potè id, à quo effectus dependeret.

Respondent, hunc modum recipi in effectu, & esse priorem illo, ac posteriorem in diverso causandi genere, priorem in genere causæ quasi efficientis, nempe vt influxus istius est, & posteriorem in genere causæ materialis, quatenus scilicet in effectu recipitur.

Sed contra; quia cum accidens dependeat à sua causa materiali, essentialiter prærequirit istam prioritatem naturæ: ergo effectus, qui, per Vos, est causa materialis influxus, supponitur essentialiter prioritate naturæ ad ipsum influxum: ergo in nullo genere potest influxus esse prior naturæ ipso effectu: ergo nequit esse id, per quod causa producit effectum.

Aliqui Scotista concedentes actionem, sive influxum esse relationem, respondent, istam mediate, veluti viam inter causam, & effectum, istumque natura præcedere, ad quod dicunt, respectum esse in duplici differentia, quidam per modum actus primi, & in esse quieto, vt filiatio, æqualitas, &c. alter per modum actus secundi, & fluxus, vt productio, actio, & similia; & quod quamvis respectus primi generis sit natura posterior suo termino, & fundamento, tamen respectus secundi generis, licet sit posterior fundamento, est tamen ordine naturæ prior termino, quem producit, sive ad quem est via, sive influxus.

Sed hæc doctrina apertè est contra Scotum, & aliena à veritate, siquidem Scotus vbi loquitur de respectibus secundi generis, scilicet de actione, causatione, productione, & similibus, dicit, absolutam effectus immediatè sequi ab absoluto causæ, & respectum causationis, sive actionis, ac passionis sequi postea, vt vidimus supra. Quod etiã docet expressè in 4. dist. 13. quest. 1. à num. 9. §. si ergo debet salvari, ibi probat diffusè actionem esse relationem, vbi nu. 11. vers. istorum trium, tenet, quod isti respectus resultant, termino posito. Deinde, est alienum à ratione; quia nequit dari relatio, quin supponat terminum, ad quem

quem sit, prioritate naturæ, vt multoties manet dictum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

SIT primum argumentū probans actionem nihil reale superaddere entitatibus causæ, & effectus: si aliquid adderet, esset absolutum, vel relativum; non primum, quia actio, sive causalitas nequit concipi sine ordine ad causatum; neque relativū, quia omnis relatio actualis sequitur, extremis positis in esse; atqui causalitas præcedit natura effectum: ergo &c.

Resp. quod causalitas est relatio, & conc. quod omnis relatio resultat, positis in rerum natura extremis, & neg. min. quod manet supra probatum.

Sit 2. argum. si actio esset quid reale noviter adveniēns, indigeret alia actione nova, seu causalitate distincta: vel certè si causalitas se ipsa immediatè penderet à causa, idem etiam dici posset de entitate effectus, cum etiā sit à causa: ergo dicendum est, quod non datur actio distincta.

Resp. ex dictis pro nostra conclusionē neg. primam partem antecedentis, conc. secundam, & neg. conseq. Non enim dicimus, quod actio sit id, per quod causa dat esse entitati absolutæ, sed, quod posita ista, resultat in causa relatio dependentiæ activæ ad effectum, & hæc est actio, seu

causalitas, ad quam, & quia ipsa est relatio dependentiæ, non datur ad illam alia relatio dependentiæ, sed ipsamet per se referatur, & dependet, sicuti de alijs relationibus multoties diximus in Met. tract. 4. disp. 6. sect. 5. in solutionib. ad 3. 4. & 5. arg.

Sit 3. arg. probans influxum, in quo consistit formaliter actio, seu causalitas præcedere entitatem absolutam effectus, & esse quid medium inter ipsam & entitatem absolutam causæ, ac per consequens non consistere in relatione resultante, posita entitate absoluta effectus: causalitas actualis est via, qua entitas absoluta effectus acquiritur, & media ipsa dicitur effectus causari etiam secundum Scotum quæst. ult. Prologi. §. *tertia via ponit*, num. 22. vers. *ad tertium de Commentatore*, vbi ait, voluntatem elicere praxim media elicitione; & in 1. dist. 3. quæst. 6. §. *hic sunt res breves quæst.* num. 32. vers. *quod autem non sit actio*, ait, quod ista est alicuius accipientis esse per ipsam, quod docet similiter quodl. 13. num. 25. §. *sed queratur*, vers. *præterea, actio est*; atqui relatio non est de genere activorum, nec prior entitate absoluta effectus: ergo actio, seu causalitas non consistit in relatione sequente entitatem effectus, nisi in aliquo præcedente illam.

Resp. dist. antec. causalitas actualis est via, qua entitas absoluta

soluta

soluta effectus acquiritur, cautali-
 tas fundamentalis, conc. formalis, neg. Ex qua dist. patet solutio ad totum argum. Causalitas enim potest sumi fundamentaliter, vel formaliter: quando dicimus, causam media causalitate influere esse in effectum, intelligendum est causalitate fundamentaliter, quæ revera est virtus ipsa absoluta causæ; quia profecto causa non causat, nisi media ipsius virtute absoluta, quæ sibi est ratio agendi, & hæc virtus est quæ natura præcedit effectum, etiam in instanti reali, in quo causat: at si formaliter sumatur actio, sive causalitas, non est verum, ut dicitur in distinctione, nisi in ratione formæ denominantis, non autem in ratione formæ productivæ; quia relatio non est forma productiva, quatenus scilicet entitas causæ nunquam intelligitur formaliter talis, nisi habita relatione, & in hoc sensu potest dici via ad effectum, & etiam prior effectu, sicuti albedo dicitur prior pariete albo. Via autem est duplex; altera est medium quo, & est acquisitio ipsa, qua habetur forma, vel effectus, & hæc non præcedit; quia est ipse effectus in fieri, altera est per quam, & est id, ad quod mobile primò pervenit, vel per quod primò pertransit, antequam ad extremum perveniat, & hæc præcedit, sed talis via non est actio, seu causalitas,

licet nostra falsa imaginatio (ait Scotus, ut vidimus supra) ita illam concipiat in ratione viæ. Itaque illa pars antecedentis, *media causalitate dicitur effectus causari* ex Scoto in argumento allegato, est distinguenda sic: actio est medium quo entitas absoluta effectus acquiritur, conc. medium per quod, neg. & etiam consequ. Quæ doctrina est Subtilis Doctoris in 4. dist. 13. q. 1. §. ad argumenta contra istum articulum. 21. a vers. dico, ergo ad argumentum. Ad illud r. dist. 13. q. 6. loquitur denominativè, & formaliter, quatenus per actionem causa est, & denominatur formaliter causa, & per passionem effectus. Et eodem modo respondetur ad aliud quoddam. 13. servatis servandis.

Sit 4. argum. influxus actualis causæ est ratio fundandi relationem illam prædicamentalem, quæ resultat posito effectu ergo influxus mediat inter causam & effectum, istumque præcedit. Prob. antec. idèo causa refertur ad effectum, quia influit esse in effectum: ergo &c.

Resp. neg. antec. & dist. probationem illius: idèo causa refertur ad effectum, si ly idèo denotat causam materiale, neg. si causam formalem denoter, conc. & neg. consequ. Ratio proxima fundandi est virtus causæ; sicuti albedo in pariete albo v. g. fundandi similitudinem al-

teri parieti albo: vnde hæc est vera, ideo paries est similis, quia habet albedinem, & tunc quia denotat causam materiale: similiter est vera ista, ideo paries est similis, quia habet similitudinem, & tunc quia denotat causam formalem: pariformiter est in nostro casu.

Sit 5. arg. causalitas causæ efficientis est actio, super quam fundatur relatio illius ad eius effectum, vt ait Philof. 5. Met. text. 20. ergo causalitas debet præcedere effectum.

Resp. neg. antec. loquendo de causalitate formali, vt manet dictū supra. Relatio namque causæ efficientis non fundatur super actionem, sed super potentiam activam, sicuti passio super potentiam passivā, & hæc est mens Philof. in eo contextu, vt ibi exponit Doctor Subtilis, & in 4. dist. 13. quest. 1. §. ad argumenta contra istum articulum, a nu. 26. vers. ad quintum principale.

Sit 6. argum. causa secundum actualem influxum est prius natura suo effectui; sed secundum relationem causa & effectus sunt simul natura: ergo influxus est prior.

Resp. dist. mai. secundum actualem influxum fundamentaliter, conc. formaliter, neg. Concedo min. & dist. consequens sicuti maiorem. Non datur influxus præter virtutem causæ, quæ quidem est fundamentum influxus,

sive actionis resultantis, posita entitate absoluta effectus, qui immediatè oritur ab entitate absoluta causæ, vt cum Scoto manet probatum.

Sit 7. arg. antecedenter ad relationem istam prædicamentalem, quæ denominat causam formaliter, ad absolutum in causa, per Nos, sequitur absolutum effectus: ergo antecedenter ad dictam relationem causa transit de non operante ad operantem, & de actu primo ad actum secundum; sed hic transitus nequit fieri sine aliqua mutatione ex parte causæ: ergo aliquid de novo debet dari in causa ante dictam relationem, per quod causa aliter se habere dicatur nunc, quàm prius. Patet vltima consequentia, quia nequit fieri transitus de contrario in contradictorium sine aliquo adveniente de novo; atqui hoc nequit esse aliud, quàm influxus: ergo ante dictam relationem datur influxus in causa, per quod ista ponit in esse entitatem absolutam effectus.

Confirmatur: causa in actu secundo aliquid superaddit sibi in actu primo; sed hoc additum in illo priori signo antecedenter ad relationem, nequit esse relatio: ergo erit influxus aliquis medius inter entitates causæ, & effectus, istamque præcedens, veluti actus secundus, & exercitium causæ.

Resp.

Resp. ad arg. conc. antec. & dist. primam partem consequentis: ergo antecedenter ad dictam relationem causa transit de operante ad non operantem fundamentaliter, conc. formaliter, nego. Et similiter dist. secundam partem. Neg. min. & conseq. ac suppositum ipsius, nempe quod causa aliter se habeat, posita entitate effectus in illo signo ante relationem dependentiæ activæ ad talem entitatē. Pariter nego, quod causa in tali signo ante dictam relationem transferit de contradictorio in contradictorium. Eodem modo se habet tunc, ac prius; quia nihil est intrinsecè in causa, quod non fuerit ante, nempe virtus ipsius.

Instabis: antequam ab absoluto causæ oriatur absolutum effectus, causa est fundamentaliter causa: ergo posita entitate absoluta effectus, iam est causa plus quàm fundamentaliter talis: ergo aliquid habet, quod non habebat antè.

Resp. dist. antec. est fundamentaliter causa remotè, conc. proximè, neg. & etiam dist. conseq. ergo posita entitate absoluta effectus, est plus quàm fundamentaliter remotè, neg. est plus, hoc est, fundamentaliter proximè, conc. & neg. ultimam conseq. Et per hoc responderetur etiam ad confirmationem argumenti conc. mai. Et neg. suppositum minoris, videlicet quod in illo

signo antecedenter ad relationem causa sit in actu secundo, nisi in actu primo proximo, ut manet dictum. Totum nāque patet in alijs relativis: v. g. in pariete B. albo, qui parieti C. albo nondum producto, est similis fundamentaliter, non proximè, sed remotè ex defectu entitatis termini, sine qua impossibilis est relatio, posito autem pariete albo C. in illo signo, antequam resultet similitudo, paries B. non est similis formaliter, neque est similis fundamentaliter remotè, nisi proximè, & tamen nihil habet, quod antea non habebat; quia antea non erat similis fundamentaliter remotè ex defectu rationis fundandi in ipsa, nisi ex defectu termini, qui quidem nec est, nec debet esse in entitate fundamenti. Similiter est in nostro casu: esse causæ in actu secundo, est esse relativum, quod habet entitas absoluta causæ per relationem dependentiæ activæ ad entitatē effectus; itaque antequam ab entitate absoluta causæ oriatur entitas absoluta effectus, causa est fundamentaliter remotè causa in actu secundo, licet in se habeat iam rationem fundandi talem relationē, nempe virtutem productivam effectus, posita iam à tali virtute entitas absoluta effectus in rerum natura, & in signo antequam resultet dicta relatio, est iam entitas absoluta causæ in actu primo

mo proximo: & cum antequam esset entitas effectus, non erat in actu primo remoto ex defectu rationis fundandi relationem causæ in actu secundo, quæ reverà est virtus ipsius, nisi ex defectu termini, hinc est, quod transit de actu primo remoto ad actum primum proximum sine aliqua mutatione sui, sive quin habeat aliquid, quod antea non habebat, solum ex eo quod entitas absoluta effectus existat ab ipsa, quæ antea non existebat.

Sit 8. argum. relatio causæ ad effectum manet, & quia transit influxus, causa non denominatur amplius actualiter causans: ergo causalitas actualis non consistit in relatione à nobis assignata. Prima pars antecedentis liquet; quia relatio causæ ad effectum est intrinsecus adveniens, quæ manet, quandiù manent extrema, ut patet de paternitate, & filiatione; hæ namque sunt relationes secundi modi, & relationes causæ ad effectus, quia causa fecit, & effectus factus est, ut ait Philos. 5. Met. 20. & tamen pater non amplius dicitur causa filij, quia non amplius actualiter communicat illi esse: ergo causalitas actualis non consistit in illa relatione predicamentali à nobis assignata, sed in actuali influxu, quo causa actu communicat esse effectui.

Resp. conc. primam partem antecedentis, & neg. suppositum

secundæ, nempe quod detur influxus, qui transeat, præter ipsam effectum, qui à fieri ipsius transit ad factum esse. Ad illud, causa non denominatur amplius actualiter causans, dist. si per hoc intelligatur, quod effectus non est in fieri à causa, conc. si intelligatur, quod causa non est actualiter causa, nego. Causa namque, ut probamus, non constituitur causa per fieri effectum, nisi per relationem dependentiæ activæ ad effectum, quæ resultat in instanti naturæ post existentiam effectus. Unde neg. consequ. Ad aliud, quod adducitur in probatione primæ partis antecedentis, quippe, & tamen pater non amplius dicitur causa filij, neg. quia cum causa constituitur formaliter in esse causæ per relationem ad effectum ab ipsa productum, quæ cum sit intrinsecus adveniens durat, quandiù durant extrema, eo quod existant entitas patris, & entitas filij, pater est causa filij: ad quod non requiritur, ut actualiter communicet illi esse, quatenus hoc quod est actualiter communicare illi esse, significat effectum esse in fieri, vel in conservari à causa; bene verò quatenus significat actualiter habere esse, quod accepit à causa. Et sic neg. ult. consequ.

Instabis fortè: relatio, quam dicit causa ad effectum, per Nos, est dependentiæ activæ; sed cau-

sa non conservans effectum, vt est pater respectu filij, non dicit dependentiam actualem activam ad illum, siquidem iste actus non dependet passivè à causa, à qua fuit productus: ergo pater non est actualiter causa respectu filij, & sic corrumpit tota prædicta solutio.

Resp. dist. mai. est dependentiæ activæ, si per dependentiam activam intelligatur, entitatem effectus actus oriri à virtute causæ, neg. si intelligatur ortum habuisse ab illa, conc. similiter dist. min. & neg. conseq. Ad dependentiam actualem absolutè loquendo non requiritur, quod actus dependens recipiat esse ab illo, à quo dicitur dependere, sed sufficit, quod habeat esse in illo, imò in illo instanti naturæ fieri effectus non datur dependentia nisi fundamentaliter, & in sequenti instanti, in quo effectus intelligitur factus, resultant relationes dependentiæ, scilicet activæ in causa, & passivæ in effectu.

Sit 9. argum. actio est solum relatio: ergo agere est tantum referri; atqui hoc est falsum: ergo &c. Prob. min. subsumptæ: agere in Deo est velle formam in subiecto; sed velle Dei non est solum referri: ergo neque agere agentis creati.

Resp. conc. antec. & dist. consequens: ergo agere est tantum referri, agere formaliter, conc.

agere fundamentaliter, neg. in quo sensu neg. etiam min. subsumptam, ad cuius probationem conc. mai. & dist. min. sed velle Dei non est solum referri, velle ad intra, conc. ad extra, subdist. velle fundamentaliter, conc. velle formaliter denominativè, neg. & dist. consequens, sicuti distinximus primum. Agere fundamentaliter nihil est aliud, quam entitas absoluta causæ, & fieri entitatis absolutæ effectus ab illius virtute; & agere formaliter est ipsa relatio actionis, sive referri causæ in recto, & ipsa entitas absoluta causæ in obliquo. In Deo autem agere, sive velle ad extra fundamentaliter est ipsius volitio absoluta; formaliter denominativè verò est relatio productæ, sive volitæ in creaturæ denominans extrinsecè Deum agentem, sive producentem, & volentem, vt in Theol. tract. de Voluntate Dei, disp. 4. sect. 3. subsect. 6.

Sit 10. arg. relativum non est causa sui correlativi; sed agens est causa effectus, qui est terminus illius, & per actionem constituitur agens formaliter; ergo actio non est relatio ad effectum. Prob. antec. relativa sunt simul natura; sed causa, sive agens est prior suo effectui: ergo actio, per quam constituitur causa, sive accidens non est sola relatio ad effectum.

Resp. dist. mai. quodlibet relati-

lati;

lativum, conc. aliquod relativum, subdist. relativum pro formali non est causa sui correlativi pro formali, conc. relativum fundamentale non est causa sui termini pro fundamentali, neg. conc. min. quoad omnes partes, & neg. conseq. Ad probationem antecedentis dist. mai. relativa formaliter sunt simul natura, conc. fundamentaliter, nego. Etiam dist. min. sed causa, sive agens fundamentaliter est prior suo effectu, conc. formaliter, neg. & etiam consequentiam. Entitas absoluta causæ, quæ reverà est agens, sive causa fundamentaliter, est prior natura entitate absoluta effectus; quia ista oritur ab illa; at verò positis istis entitatibus, in eodem instanti naturæ resultat in entitate causæ relatio dependentiæ activæ ad effectum, per quam, cum sit actio, ut probavimus, constituitur dicta entitas absoluta in esse agentis, sive causæ, & in entitate absoluta effectus relatio dependentiæ passivæ, per quam, cum sit actio passiva, sive passio, constituitur præfata entitas in esse effectus, quæ esse, cum sint relativa, sunt simul natura, & cognitione.



SECTIO V.

AN CAUSA PRIMA CON-
currat immediatè cum causis se-
cundis ad effectus earum
producendos?

SUPPONIMVS ex suprâ dictis, causas secundas propria sua virtute suos producere effectus, quod passim Sacra testatur Scriptura, & expressè Conc. Trident. definit. Certum est etiam dari Deum (qui est causa prima) non solum fide, sed etiam ratione; quia nulla res potest producere se ipsam: ergo aliqua dari debet improducta, à qua omnes productæ habeant dependentiam. Ex quo inferes, omnem creaturam dependere à Deo in fieri, conservari, & operari, aliàs daretur aliqua independens, quod est contradictio.

Sententia Durandi est, nullatenus Deum concurrere per se immediatè ad effectus causarum secundarum; sed eatenus dicitur ad effectus earum concurrere, quatenus conservat in illis virtutem productivam, quam ipse Deus indidit eis in earum productione. Undè, idem est dicere: (ait Durandus) Deus concurrat cum igne v.g. ad producendum alium ignem, ac dicere: Deus conservat virtutem, quam dedit igni, quando ignis producit alium ignem. Sed hæc sententia tanquam

Quam errori proxima, & parum
tuta in fide rejicitur communi-
ter, & est relegata à Scholis.
Contra quam.

SIT CONCLUSIO: Deus con-
currit immediatè ad effectus cau-
sarum secundarum. Ita Scotus
in 1. dist. 2. quæst. 2. §. in primo
ergo articulo, num. 12. à vers. ubi
notandum, & dist. 8. quæst. 5. n. 23.
§. ad argumenta pro opinione Phi-
losophorum, & dist. 42. q. vnic.
per totam, & in 2. dist. 1. quæst. 1.
per totam, & dist. 37. à num. 6.
§. si hæc via; & in Report. 2. dist. 1.
quæst. 3. à num. 8. §. dico ergo.
Prob. 1. concl. ex Sacra Script.
Isaiæ cap. 26. *Omnia opera nostra
operatus est in nobis Dominus.* Et
Iob 10. *Manus tue fecerunt me.*
Psalm. 146. dicitur: *Qui producit
in montibus fenum, & herbam ser-
vituri hominum.* Et Ioan. cap. 5.
*Pater meus vsquemodo operatur,
& ego operor.* Insuper idem ha-
betur cap. 15. *Sine me nihil po-
testis facere;* & denique Actorum
17. *In ipso vivimus, movemur, &
sumus.*

Prob. 2. ratione: Si Deus non
concurreret immediatè ad effe-
ctus causarum secundarum, nisi
solum mediatè, quatenus in earum
productione dedit eis vir-
tutem productivam, vt docuit
Durand. non potuisset Deus im-
pedire effectus productos à cau-
sis creatis, nec retardare posset
producendos; sed hoc nequit di-
ci: ergo &c. Mai. patet; quia se-

mel concessa virtute, non potest
Deus non dedisse: ergo si nihil
amplius requireretur ex parte
Dei, vt causæ secundæ produce-
rent, positis omnibus requisitis,
non posset Deus suos effectus
impedire. Min. etiam constat in
igne Babylonæ, cuius effectum
impedivit Deus.

Respondent aliqui, posse Deum
impedire effectus causarum se-
cundarum cum omnibus requi-
sitis positatum, per meram nega-
tionem permissionis, scilicet
nolendo quod causæ secundæ
operentur, quin neget aliquem
concursum positivum; quia (aiunt)
illa mera permissio, vt operen-
tur, solum se habet vt conditio,
ad hoc vt operentur.

Sed contra: permissio Dei, vt
causa secunda operetur, v. g. vt
ignis applicatus materiæ aptæ
producat ignem, nequit esse aliud,
quàm actus positivus divinæ vo-
luntatis, quo vult Deus ignem
producere ignem; sed hoc est
concurrere Deum immediatè cū
igne ad producendum alium ignem:
ergo nulla est solutio. Mai.
est certa, quia cū nequeat
Deus se suspēdere circa aliquod
obiectum, ita vt purè omittat,
vt diximus in Theolog. tract.
de Volunt. Dei, disp. 4. sect. 5, dum
ignis est applicatus, vt iste pro-
ducat, vult Deus, quod produ-
cat, & vt impediatur ipsius produ-
ctionem: debet velle quod non
producat; sed non aliter con-

currit Deus, dum se solus producit aliquam creaturam: ergo si dum producit solus, concurrat immediatè, etiam dum concurrat cum causis secundis, quo manet etiam probata minor.

Prob. 3. in Deo est virtus ad producendum omnes, & quamlibet creaturam còcurrendo immediatè ad ipsius productionem: ergo dum aliqua producitur à causa secunda, potest Deus etiam concurrere immediatè ad illius productionem: ergo & concurrat. Antec. nequit negari. Prima conseq. patet, quia alias non haberet virtutem ad talem creaturam producendum. Ultima conseq. prob. non aliter concurrat Deus, dum solus producit aliquam creaturam, nisi volendo, quod talis creatura existat; sed dum aliqua causa secunda producit suum effectum, etiam vult Deus, quod talis effectus existat, taliter quod si non vellet, non existeret: ergo si dum solus producit, concurrat immediatè, etià dum concurrat cum causa secunda.

Prob. 4. idèd causa secunda concurrat immediatè, dum suos effectus producit, quia à sua virtute oritur effectus; sed etiam oritur à virtute Dei: ergo &c.



RESPONDETUR ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum ex D. Anselm. lib. de Concordia præcepti, & gratiæ, asserente: Deus facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res, à quibus, & in quibus, & ex quibus fiunt, & nulla res habet ullam potestatem volendi, aut faciendi, nisi ipso dante: ergo ex mente D. Anselm. Deus dicitur facere omnes actiones, & motus creaturarum, quia facit res ipsas, à quibus fiunt tales actiones, & motus, & non quia ipse habeat immediatum concursum.

Resp. conc. autoritatem, & neg. conseq. nam verba Anselm. potius sunt pro nobis, quàm contra nos; quia ex eo probat Sanctus Doctor, quod Deus simul cum creatura concusat effectus omnes creaturarum, quia causat eas cum earum virtutibus, à quibus procedunt tales effectus: ac si diceret, Deus causat omnem causam secundam, & ab illo omnis virtus causativa dependet: ergo etiam dependent ab illo omnes effectus creati, quia non est maior ratio vnus, quàm alterius.

Sit 2. argumentum: causæ secundæ habent sufficientem virtutem ad effectus sibi proportionatos producendos, alias non essent causæ totales, & adæquatæ; ergo se solis sine concursu Dei

Dei possunt suos effectus producere.

Resp. dist. antec. habent sufficientem virtutem independentem in operando, neg. essentialiter dependentem, conc. & neg. consequentiam. Sicuti creatura, eo quod creatura non potest esse, nec conservari, quin Deus illam producat, & conservet: ita neque operari, quin Deus cum illa operetur; nam quoad omnia hæc dependet essentialiter à Deo, quod quidem non tollit, quod sit causa adæquata suorum effectuum, nisi quod sit causa independens.

Sit 3. arg. si duæ causæ concurrant ad productionem vnius effectus, in tali effectû debent esse duæ formalitates, seu prædicata, quorum quodlibet correspondeat cuilibet causæ, quin alteri correspondeat; sed in effectû causæ secundæ nullû datur prædicatum, quod correspondeat virtuti Dei, & non virtuti causæ secundæ: ergo non concurrat Deus ad talem effectum.

Resp. dist. mai. si sint causæ partiales, conc. vt accidit in obiecto, & potentia v. g. respectu cognitionis, quæ quidem ex obiecto habet quod sit representativa, sive similitudo illius, & ex potentia quod sit vitalis; si sint causæ totales ita subordinatæ, quod vna dependeat essentialiter ab alia in operando, (à duplici enim causa totali non

subordinata nequit simul idem effectus produci, vt diximus disput. 2. sect. 9.) vt sunt prima, & secunda, neg. conc. min. & neg. consequ. Vtraque enim habet virtutem ad effectum secundum omnes suas formalitates, & prædicata, & sic secundum omnia attingit illum; sed tamen secunda cum tali subordinatione, & dependentia essentiali à prima, quod non potest illum producere, quin simul tempore, & prioritate naturæ eandem effectum producat prima.

Sit 4. argum. potest à Deo creatura ita perfecta produci, quæ propria virtute absque Dei cōcursu possit suos effectus producere: ergo non est simpliciter necessarius concursus Dei cum causis secundis ad illarum effectus producendos.

Resp. 1. hoc argumentum ad summum solum probare, quod valet de potentia Dei absoluta dari aliqua causa secunda independens à Deo in operari, quod adhuc non est contra nostram conclusionem, quæ procedit de facto.

Resp. 2. neg. antec. quia non est possibilis creatura, quæ creatura non sit: & est essentialiter creaturæ ex ratione creaturæ dependere à Deo in fieri, conservari, & operari.

Sit 5 arg. si Deus concurreret immediate ad omnes effectus creaturarum, concurreret etiam

ad actus voluntatis creatæ: ergo ista non operaretur liberè, & imputaretur Deo peccatum.

Resp. conc. antec. & neg. conseq. quoad utramque partem, cuius solutio, quia theologica est, potest videri in Theologia tract. de Scientia Dei, ad solutionem primæ partis consequentia disp. 6. per totam, & ad secundæ partis ibidem sect. 1. in solutione ad 2. arg. & ipsius instantias.

Hic solet inquiri, an actio, qua Deus concurrit cum creatura, sit distincta ab actione creaturæ? Sed apud nos dicentes hic sect. 4. non dari actionem mediam, qua causa producat effectum, sed quod ab absoluto causa sequitur absolutum effectus, & postea resultare in absoluto causa relationem producentis ad productum, quæ reverà, ut diximus, est actio, non habet locum. Primò, quia in Deo non datur talis ratio, sed denominatur extrinsecè producat per actionem passivam fundatam in effectu, & terminatam ad Deum, ut in Theolog. tract. de Voluntate Dei, sect. 3. subsect. 7. & alibi. Secundò, quia licet resultaret, cum Deus, & creatura sint entitates distinctæ, necessariò deberent esse distinctæ relationes, licet ad eundem terminum: ergo.

SECTIO VI.

VTR. DEVS CONCURRAT AD effectus causarum secundarum immediatione virtutis, & suppositi?

AD quæstionis resolutionem noto, quod agere immediatione virtutis, & suppositi est agere immediatè per virtutem existentem in ipso supposito, quod agit, ut quando ignis v. g. calefacit aërem sibi contiguum; agere verò immediatione virtutis, solum est agere per virtutem propriam, sive à se productam, & receptam in alio supposito, ut quando ignis v. g. calefacit aërem remotum, quod facit per calorem productum in aëre sibi propinquo.

SIT CONCLUSIO: Deus concurrit ad effectus causarum secundarum immediatione virtutis, & suppositi. Est conformis Scoto citato pro conclusione sect. antecedentis. Prob. concl. quia vel Deus concurrit ad prædictos effectus per virtutem creatam, vel incretam? Si per virtutem creatam: ergo non concurrit immediatè, sed mediatè, quatenus scilicet dedit creaturis virtutem agendi, & illam cum ipsis conservat; sed hoc manet iam improbatum contra Durand. antecedenti sect. ergo tenendum est, quod concurrit Deus per

per virtutem increatam. Nunc sic: sed virtus increata, neque existit, neque existere potest nisi in solo Deo: ergo Deus concurrat ad prædictos effectus, non solum immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi.

Argues cõtra: commune proloquium Philosophorum extat, quippè Deum agere medijs causis secundis; sed hoc nequit salvari, si Deus concurrat immediatione virtutis, & suppositi ad illarum effectus; ergo non ita concurrat.

Resp. neg. min. Illud namque proloquium non debet intelligi ita, vt Deus concurrat mediatè, creaturæ verò immediatè ad præfatos effectus; sed ita, vt prædicti effectus nõ solum proveniant à Deo, sed etiam à creaturis; à Deo, vt ab agente primario, & omninò independenti; à creaturis autem vt ab agentibus secundarijs, & à Deo essentialiter dependentibus, non solum in fieri, & conservari, sed etiam in operari.

SECTIO VII.

AN, VT CAUSÆ SECUNDÆ operentur, requiratur prædeterminatio physica?

HÆC reverà apud Theologos gravissima censetur difficultas, sed quia quod de illa ad Theologiam attinet, expendimus diffusè in tract. de Scientia

Dei, disp. 5. & 6. & etiam, licet non tam ex professo in aliquibus alijs tractatibus; impræsentiarum verò solum adducimus illa, quæ ad merum philosophum spectant.

Defendunt communiter Thomistæ cum suo Angelico Præceptore, quod, vt quævis causa secunda operetur, necesse est, vt Deus infundat illi antecedenter ad concursum, tam Dei, quàm creaturæ, quamdam qualitatem physicam, quam prædeterminationem, sive præmotionem physicam appellant, sine qua (asserunt) nullatenus potest causa secunda suos effectus producere, & cum qua taliter remanet determinata ad effectum, quod non potest, ea posita, non producere illum. Contra quos.

SIT CONCLUSIO: in nulla causa secunda requiritur physica prædeterminatio ad operandum. Est communis inter Scotistas, & Suarezistas. Illà tenet Noster Subtilissimus Doctor in 1. dist. 7. quæst. vnic. §. aliter dicitur, n. 4. vers. contra, indeterminatio, & in 2. dist. 9. quæst. 2. §. ad argumenta secunda quæstionis, num. 34. vers. & cum addis, & in 4. dist. 1. q. 1. §. dico etiam, num. 34. vers. vlt. & dist. 13. quæst. 1. §. de tertio articulo, num. 37. vers. sed hoc non valet, & dist. 43. quæst. 3. §. tertia opinio, num. 11. vers. præterea, influentia illa. Prob. concl. ad nihil est necessaria prædeterminatio phy-

physica : ergo non est admittenda.

Respondent Thomistæ 1. esse necessariam, vt causa prima operetur vt prima, & vt causa secunda operetur vt secunda.

Contra, illud operatur vt causa prima, quod operatur essentialiter independenter ab alio, & aliud dependenter essentialiter ab illo : & illud operatur vt causa secunda, quod operatur essentialiter dependenter ab alio; sed ita operantur causa prima, & secunda sine prædeterminatione physica : ergo ad hoc non requiritur. Ex quo constat, non requiri, vt causa secunda operetur, vt subordinata primæ: quia operari vt subordinata, nihil est aliud, quàm non posse operari, quin aliqua prioritate naturæ, & simul duratione operetur, siue concurrat prima, ad quod non requiritur prædeterminatio physica, nisi quod causa secunda operetur essentialiter dependenter à prima.

Respondent 2. prædeterminationem physicam esse necessariam, vt compleatur virtus causæ secundæ.

Contra, sufficientem, & completam virtutem habet ex se sine physica prædeterminatione ignis v. g. ad producendum calorem, & alium ignem in passo sufficienter approximato, & disposito: ergo ad complendam virtutem productivam ignis non

requiritur prædeterminatio physica. Prob. antec. illa causa habet sufficientem, & adæquatam virtutem ad producendum aliquem effectum, cuius virtus productiva non exceditur ab effectu; sed à calore non exceditur virtus productiva ignis, neque ab alio igne: ergo. Prob. min. calor non est perfectior igne, neque vnus ignis alio igne: ergo virtus productiva ignis non exceditur à calore, neque ab alio igne. Vnde enim potest colligi, quod aliquis effectus excedit virtutem causæ, nisi quia effectus est perfectior causa?

Respondent 3. physicam prædeterminationem requiri, vt tollatur indifferentia causæ secundæ, & determinetur ad effectum producendum.

Contra, causam esse determinatam ad producendum aliquem effectum, nihil aliud est, quàm habere formam, siue virtutem intrinsecam productivam, qua possit talem effectum producere; sed ignis v. g. ex se habet sufficientem virtutem, vt possit cum concursu divino producere alium ignem: ergo causa secunda ex se, & à sua virtute est sufficienter determinata cum concursu Dei, & sine physica prædeterminatione.

Et si dicant, quod cum causa secunda habeat virtutem ad plures numero effectus, adhuc posita in actu primo proximo, indiget

diget determinatione, ad hoc ut istum numero effectum præ alio producat, ad quod (sustinent) est necessaria physica prædeterminationio.

Contra, quia Deus sua volitione, qua concurrat cum causa secunda, determinat, quod hic numero effectus producat, & non alius ex omnibus possibilibus, ad quod non requiritur physica prædeterminationio. Quod patet: Deus solitariè producens aliquem effectum, licet possit plures numero, sua volitione determinat, quod producat hic, & non alius: ergo etiam dum producit simul cum causa secunda: ergo superflua est ad hoc munus physica præmotio.

Denique respondent, physicam prædeterminationem necessariam esse; quia causa secunda nequit operari, quin prius moveatur à Deo, quàm movet Deus infundendo illi physicam prædeterminationem.

Contra, eo ipso quod cum causa secunda concurrat Deus taliter independenter ab illa, quod causa secunda nequeat impedire concursus Dei, & causa secunda taliter dependenter à Deo, quod Deus possit impedire causæ secundæ concursus, intelligitur Deus præmovens causam secundam: ergo non requiritur ad hoc physica prædeterminationio. Prob. antec. idè, per Vos, posita physica prædeterminationio

ne præmovet Deus causam secundam; quia physica prædeterminationio est à Deo, prior natura, quàm concursus creaturæ, sine qua nequit creatura producere effectum, & qua posita, nequit effectum non producere, (qualibet ex his conditionibus deficiente, causa secunda non esset præmotà à Deo, quibus omnibus positis, iam est præmotà) sed etiam concursus Dei est à Deo, prior natura, quàm concursus creaturæ, siquidem iste dependet ab illo, sine quo nequit creatura producere effectum, & quo posito, nequit effectum non producere: ergo eo ipso quod cum creatura concurrat Deus taliter independenter ab illa, quod causa secunda nequeat impedire concursus Dei, & causa secunda ita dependenter à Deo, quod Deus possit impedire causæ secundæ concursus, intelligitur Deus præmovens causam secundam: ergo ad hoc superflua est physica prædeterminationio.

Secundò solet probari conclusio ab inconvenienti, scilicet, quod si Deus prædeterminaret voluntatem, læderet libertatem creatam; sed hoc argumentum prolixum valdè perit examen, de quo est maxima controversia inter Thomistarum Scholam, & cæteras, quæ, ut diximus in initio sect. non tam ad Philosophum, quàm ad Theologum pertinet, de qua difficultate egimus iam

in Theologia ubi supra, ob quod ab illa in præfenti supersedere decrevimus.

Argues contra nostram conclusionem ex Philof. 8. Physicor. text. 33. hæc asserente: *Virumque igitur movere dicimus, & primum, & ultimum moventium, sed magis primum, illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non movebit, illud autem sine hoc, vt baculus non movebit, non movente homine.* Alias similes authoritates adducunt Philosophi, imò & ipsius Scoti, in quo multoties invenitur, quod *causa secunda* agit, in quantum movetur à prima: ergo iuxta Philof. & Scotum debet admitti physica prædeterminationis.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. Absque eo quod Deus infundat causam secundam physicam prædeterminationem, nec aliquid aliud, movet causam secundam suo influxu, quo quidem concurrat cum causa secunda simul tempore, & prius natura.

Argues 2. seclusa prædeterminatione physica, non est à quo determinetur causa secunda ad hunc numero effectum potius quam ad illum, cum ex se sit indifferens ad plures, quos potest producere in eodem loco, & tempore cum eisdem circumstantijs: ergo debet admitti. Vt ergo præfato argumento satisfacere possimus, sequentem apponimus sectionem.

SECTIO VIII.

A QUÆ CAUSA PROVENIAT, determinatio effectus, quoad speciem, & individuum?

SUPPONIMVS tanquam certum, tam causam primam, quam secundam concurrere, nõ solum ad speciem effectus, sed etiam ad individuationem; quia cum natura communis, sive species, & individuatio identificentur realiter, vt manet stabilitum in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 2. subsect. 6. nequit causa concurrere ad unum, & non concurrere ad aliud. Quod igitur inquirimus est: à qua causa proveniat, quod effectus simul à prima, & secunda productus sit huius speciei, & non alterius, & à qua etiam procedat, quod sic hic numero effectus, & nõ alius?

SIT 1. CONCLUSIO: quod effectus productus à causa prima, & secunda sit istius speciei, & non alterius, provenit à causa secunda, & non à prima. Ita Scotus in 1. dist. 3. quæst. 7. §. ad *authoritatem*, num. 39. vers. *vel aliter posset dici*. Prob. concl. de causis naturalibus, ac necessarijs: ignis v. g. est determinatus ex se ad producendum ignem, & calorem, taliter quod non potest producere aquam, nec frigiditatem; sed Deus non est ex se taliter determinatus; quia ex se potest quidquid producibile est

producere: ergo licet tam Deus, quam ignis concurrant ad productionem effectus, quod iste sit ignis, & non aqua, vel aliud, non à Deo, sed ab igne producente provenit: ergo idem dicendum est de qualibet alia causa secunda naturali.

Prob. etiam conclus. de causa libera, scilicet voluntate: voluntas est libera quoad speciem, proposito obiecto sub ratione boni, & mali apparentis, vel veri: ergo quod actus sit amor, vel odium provenit à voluntate creata, aliàs ista non esset libera libertate contrarietatis, sive quoad specificationem.

SIT 2. CONCLUSIO: quod effectus productus, à causa prima, & secunda sit hic numero, & non alius, provenit à causa prima, & non à secunda. Colligitur ex Scoto in 2. dist. 3. quest. 4. num. 10. §. ex quarta via, vers. contra, pono quod ex aqua. Vbi sustinet cum Philos. quod idem numero individuum non redit naturali actione, & supponit, quod redire potest supernaturali actione: ergo quia Deus est qui determinat hoc individuum produci, & non illud. Prob. conclus. positis omnibus requisitis ad agendum, causa secunda, ignis v.g. est indifferens ad hunc, vel illum numero effectum producendum, scilicet hunc, vel illum numero ignem: ergo indiget aliquo determinate ip-

sum ad hunc numero ignem producendum potius, quam alium; atqui tale determinans nequit esse aliud præter Deum: ergo &c. Min. subsumpta, in qua potest esse difficultas, prob. quia tale determinans nequit esse subiectum, in quo agitur; nam sicuti est indifferens ignis ad hunc, vel illum numero ignem producendum, ita est indifferens subiectum ad hunc, vel illam numero formam ignis recipiendam; neque potest esse locus, nec tempus; quia tam locus, quam tempus (idem dicimus de alijs circumstantijs) extrinsecè respiciunt effectum, & in eodem loco, & tempore, possunt produci plures effectus numero distincti, & in diverso loco, & tempore idem numero effectus, quod omne latius manet probatum in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 2. subsect. 2. ubi constat nostram conclus. esse Scoti: ergo restat, quod tale determinans sit Deus.

Argues contra nostram conclus. causa secunda attingit effectum, etiam quoad individuationem sua propria actione: ergo talis actio est determinata ad hunc numero effectum: & consequenter non determinatur à Deo.

Confirmatur ex Arist. 2. Phys. tex. 38. assignante effectibus singularibus causas singulares.

Resp. ad arg. dist. antec. attingit effectum, hoc est, producit illum

illum media actione, præcedente ipsam effectum, neg. hoc est, refertur ad effectum per actionem, conc. etiam primam consequentiam, & neg. secundam. Cùm enim Deus determinet causam producere hunc numero effectum præ alios, & actio sit relatio resultans in causa, posita entitate absoluta effectus, vt manet probatum supra; & deinde cum ex hoc numero fundamento ad hunc numero terminum, necessariò resultet hæc numero relatio, determinando Deus, quod hæc numero causa producat hunc numero effectum, consequenter determinat, quod resultet hæc numero actio, & non alia.

Ad cõfirmationem resp. Philof. non intendere, hanc numero causam esse determinatam ad hunc numero effectum, sed vult dicere, quod effectus, qui semper est quid singulare, necessariò provenit à causa singulari, eo quod existens, & causans necessariò debeat esse singulare.

SECTIO IX.

*AN QUÆVIS CAUSA
secunda possit assumi à Deo ad
quemlibet effectum pro-
ducendum.*

SVB alijs terminis solet exagitari difficultas, nempe, *an quævis causa secunda possit produ-*

cere quoslibet effectus supra suam naturam (vel absolute) supra naturam, cum speciali concursu Dei? Vel aliter: an in qualibet causa secunda detur potentia obedientialis ad producendum quemlibet effectum, supra ipsius naturam (vel absolute) supra naturam? Quam vt maiori claritate resolvamus, aliqua de potentia obedientiali, iam vt communiter usurpatur, & iam vt accipi potest, stabilire oportet; necnon & plura alia, pro nunc, de effectu supra naturam opus est explanare. Quarè.

Noto primò, quod illud dicitur supra naturam quoad produci respectu istius, vel alterius causæ secundæ, quod ab hac, vel illa causa secunda nequit produci; & illud dicitur absolute supra naturam, quod à nulla causa secunda valet produci: & hoc licet ab aliqua, vel à qualibet causa secunda possit produci adiuta à Deo supplente vires, quæ causæ secundæ deficiunt ad talem effectum producendum, v.g. visio beatifica apud Theologos; quæ dicitur supra naturam, quia intellectus nequit viribus naturæ illam producere. Undè iuxta hoc difficultas præfens est: vtrum quævis causa secunda, licet non habeat virtutem adhuc partialem ad aliquem effectum producendum, v.g. ignis ad producendum frigiditatem, habeat potentiam obedientialem talem, vt Deus possit illam assumere

ad producendum talem effectum, ita ut iste dicatur à tali causa secunda productus?

Deinde, circa potentiam obedientialem noto, quod absolute loquendo, & in latiori sensu potentia obedientialis potest dici non repugnantia rei, ut agens fortius agat de illa, vel in illa aliquid præter, vel contra naturalem exigentiam illius: v. g. lapis potest dici habere potentiam obedientialem, ut illam moveat homo sursum, & aqua, ut ignis producat in illa calorem. Sed tamen iam potentia obedientialis communiter usurpatur in ordine ad Deum, quatenus cum causa secunda producit aliquem effectum, quem tota natura, vel talis causa secunda non valet producere. His prænotatis.

SIT CONCLUSIO: non datur potentia obedientialis in qualibet creatura ad quemlibet effectum producendum. Hoc est, nequit Deus assumere quamlibet causam secundam ad quemlibet effectum producendum. Ita Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. num. 26. §. & vers. *ad questionem ergo: ubi hæc habet: Est enim possit Deus creare frigus, non tamen per calorem, ita quod calor sit in aliquo ordine causa activa respectu frigoris: vel in aliquo alio exemplo ubi talis esset repugnantia ad agendum.* Idem tenet vers. ultimo. Prob. 1. conclus. ut in aliqua

creatura detur potentia obedientialis ad producendum aliquem effectum præter ordinem naturæ, debet habere aliquam virtutem partialem ad talem effectum, qua simul cum aliquo comprincipio naturali, aut supernaturali, vel cum concursu speciali Dei suppleente influxum talis comprincipij supernaturalis, aut naturalis in dictum effectum influat effectivè, ut patet in visione, & fruitione Dei v. g. productis ab intellectu, & voluntate creata; sed non datur in qualibet re virtus partialis ad quemlibet effectum: ergo neque potentia obedientialis. Prob. min. nequit vnum contrarium habere virtutem partialem ad suum contrarium producendum, v. g. ignis ad producendum aquam, vel frigiditatem: ergo &c. Prob. antec. si daretur talis virtus dimanaret à prædicatis essentialibus rei, essetque cum ipsa re identificata; sed nulla res habet potentiam, sive virtutem à suis prædicatis essentialibus productivam alicuius oppositi suæ conservationi, sive destructivi ipsius, ut est aqua, & frigus respectu ignis, cum quævis res ex sua natura appetat suam conservationem: ergo.

Prob. 2. potentia obedientialis in igne v. g. ad producendum frigus, vel est virtus quædam, vel est mera non repugnantia ad illud producendum? Si primum:

ergo non est potentia obedientialis, sed virtus naturalis cum ipso igne identificata: ergo sicuti cum solo concursu generali potest producere calorem, ita & frigus, quod non concedes. Si dicas secundum: ergo cum mera non repugnantia solum potest esse ad recipiendum, potentia obedientialis erit ad recipiendum virtutem productivam frigoris: ergo cum hac non valeat recipi in igne, nisi sit aliqua forma, vel substantialis, vel accidentalis, quæ talem virtutem habeat secum identificatam, ista forma erit, quæ producet frigus, & non ignis, in quo est recepta, nisi solum denominativè, sicuti aqua calida dicitur producere calorem, quod ultra difficultates, quas affert, non est potentia obedientialis, uti hic disputatur.

SOLLVNTVR ARGVMENTA.

SIT primum argumētum: non videtur repugnare virtus inchoata in qualibet creatura ad quemlibet effectum producendum supra naturā cum speciali concursu Dei: ergo in qualibet creatura datur potentia obedientialis activa ad quodlibet producendum. Antec. prob. ex eo quod ex opposito videtur coarctari potentia Dei, siquidem non posset producere quoslibet effectus per quascumque causas: ergo non repugnat dicta virtus in qualibet creatura.

Resp. neg. primum, & secundum antec. conc. probationem primi, & neg. cōseq. Quod Deus non possit producere impossibilia, nec coarctatur potentia Dei, nec est imperfectio ipsius; quia est contradictio existere illud, quod existere repugnat, quale est impossibile; & est impossibile, quod in aliquibus causis detur virtus adhuc inchoata, & partialis ad aliquos effectus, ut manet probatum: & etiam quod effectus oriatur à causa nullam habente virtutem ad illum producendum.

Sit 2. argum. intellectus habet potentiam obedientialem activam, qua simul cum speciali concursu Dei potest producere actus supernaturales: ergo idem dicendum est de qualibet alia creatura in ordine ad supernaturales effectus.

Resp. dist. antec. habet potentiam obedientialem activam, qua simul cum speciali concursu Dei potest producere actus supernaturales quoslibet, neg. aliquos, conc. & dist. similiter consequēs. Cum speciali concursu Dei potest intellectus producere intellectionem supernaturalem, non verò volitionem supernaturalem, nec alia, imò neque naturalem; quia ad intellectionem habet virtutem partialem, qua potest coadiuvari speciali concursu Dei; at verò ad volitionem, & alia non habet talem

virtutem, & sic quantumvis ad-
iuvetur à Deo, non poterit tales
effectus producere: idem dicen-
dam est de alijs causis, propor-
tione servata.

Sit 3. argum. in omni creatu-
ra datur potentia obedientialis
passiva ad quamlibet formam
recipiendam: ergo etiam datur
potentia obedientialis activa ad
producendum quemlibet effe-
ctum. Prob. conseq. difficilius
videtur, quod aliqua forma de-
pendeat à subiecto, quod natu-
raliter non respicit, quàm quod
effectus dependeat à causa ex-
trinseca, ad quam naturaliter
non dicit ordinem: ergo &c.
Prob. antec. imperfectior modus
dependendi est depèdere à cau-
sa materiali, quàm ab efficienti:
ergo difficilius videtur, quod
aliqua forma depèdeat à subie-
cto, quod naturaliter non respi-
cit, quàm quod effectus depen-
deat à causa extrinseca, ad quam
naturaliter non dicit ordinem.

Resp. neg. primum antec. Li-
cèt qualibet forma possit uniri
cuilibet rei, non tamen recipi
in qualibet re; quia formam re-
cipi in aliquo est dare illi suum
effectum formalem: & estò qua-
libet forma possit divinitus
uniri cuilibet rei, uti unita fuit
natura humana Verbo Divino;
non tamen potest recipi in qua-
libet re, sive illam informare, ut
patet in albedine v.g. quæ licèt
yniretur Angelo, non recipere-

tur in illo, hoc est, non infor-
maret illum. Et addo, quod estò
tunc dependeret albedo ab An-
gelo, tanquam à subiecto inhæ-
sionis, nihil concluderet con-
tra nos; quia ista non est depen-
dentia, nec supponit virtutem
ad dandum esse, nisi meram non
repugnantiam, ut Deus solus
vniat albedinem v.g. Angelo,
vel cuilibet alteri rei incapaci
recipiendi illam, sive effectum
formalem illius.

HIC SOLET disputari, vtrum
creatura possit creare? Et hoc,
vel ut causa principalis, vel sal-
tem ut causa instrumentalis. Sed
difficultas ista magis theologi-
ca, quàm philosophica censetur,
qua propter in præsentia ab illa
superfedemus, & quia ex pro-
fesso disputamus de illa in theo-
log. vbi tract. de Creatione disp.
2. sect. 3. defendimus cum Scoto,
non posse adhuc divinitus, cau-
sam secundam creare ut causam
principalem, sumpta causa prin-
cipali, ut contra ponitur instru-
mentali. Et sect. 4. neque posse
creare ut causam instrumenta-
lem, sive ut instrumentum phy-
sicum. Qua ratione ibi etiam
agitur de causa instrumentali;
quidquid de illa scire opus est
in præsentia. Quæ omnia, ne in-
culcari videantur, pos-
sunt in loco allega-
to videri. *

SECTIO X.

QUOT PLEX SIT CAUSA
instrumentalis, & an propria vir-
tute ad effectum causæ princi-
palis concurrat?

ISTRUMENTVM, sive causa in-
strumentalis valdè æquivocè,
& multipliciter sumitur, vt ad-
notat Scotus in 4. dist. 1. quæst.
5. §. ad primam ergo quæstionem,
num. 14. à vers. ad intellectum hu-
ius. Circa quod noto, quod in
præsenti non loquimur de causa
instrumentali morali; nam de
hac certum est, vt videbimus in
Theolog. tract. de Incarnat.
quod causa instrumentalis mo-
ralis nihil facit physicè, scilicèt
neque effectum, neque aliquid
aliud ad effectum cõducens; sed
solum indirectè, & per meram
assistentiam, hoc est, ad cuius
præsentiam, vel operationem
Deus v. g. ex pasto, & speciali
dispositione aliquem effectum
producit, vt quando producit
gratiam ex positione Sacramen-
ti, quam physicè non producit
Sacramentum, & dicitur causa
instrumentalis moralis illius.

Loquendo igitur de causa in-
strumentali physica, primò ac-
cipitur communissimè, prout
extenditur ad omnem causam
secundam, quatenus dicitur, cau-
sam primam vtj secunda ad ali-
quem effectum producendum.

In hoc sensu sumpta causa in-
strumentali certum est apud om-
nes, quod concurrat physicè, &
effectivè, ac immediatè ad effe-
ctum principalis causæ, quæ qui-
dem est Deus in tali acceptione
causæ instrumentalis. Vndè in
præfato sensu instrumentum est
causa principalis, licèt non pri-
ma, nisi secunda, vtpotè attingens
propria virtute principalem
effectum: v. g. ignis, qui vt
causa secunda propria virtute
producit alium ignem.

Secundò sumitur instrumen-
tum, sive causa instrumentalis,
ait Scotus, pro eo, quod est pars,
per quam totam, quod est causa
principalis, agit, seu producit
effectum, & in hoc sensu loqui-
tur Philos. vocàs 2. de Anima, or-
gana sensum, & aliarum potenti-
arum instrumenta, sive partes,
per quas totum operatur tales
operationes. In hac considera-
tione potest dici distingui in-
strumentum à causa principali,
quatenus organa non sunt pro-
priè causæ, sed tantum quædam
dispositiones requisitæ ex parte
ipsius causæ ad agendum, sive ad
suas operationes exercendum.

Tertio usurpatur instrumen-
tum pro illo, quod disponit su-
biectum, vt agens principale
producat suum effectum, vt ca-
lor v. g. qui disponit lignum, vt
ignis producat in illo alium
ignem. Circa quod dicendum
est, quod si loquatur de calore
recep-

recepto in ligno, iste non solum non producit ignem, verum neque calorem; quia non producit se ipsum: vnde adhuc respectu huius dispositionis, nempe caloris, non est causa efficiens principalis. Si verò loquatur de alio calore, vel alio agente producente calorem in igne, ac per consequens effectivè disponente lignum ad productionem ignis in eo, tunc instrumentum in ista acceptione, quamvis non sit causa principalis productiva ignis in ligno, erit tamen causa principalis productiva dispositionis in illo, nempe caloris, vt satis ex se constat.

Quartò denique, & propriè sumitur instrumentum (ait Scotus) sicut instrumentum in arte, videlicet pro illo, quod deservit artificio ad artefactum efficiendum, v. g. ferra ad scindendum lignum, & sigillum ad imprimendam imaginem, &c. De huiusmodi instrumento, sive causa instrumentali est quæstio secundæ partis quæsitæ. Circa quam.

SIT CONCLUSIO: instrumentum artificiale, sive causa instrumentalis, de qua loquimur, non attingit effectivè effectum causæ principalis. Ita Scotus allegatus vers. *de isto autem*. Prob. omne quod effectivè attingit aliquem effectum, debet habere virtutem activam proportionatam tali effectui; sed in-

strumentum non habet talem virtutem: ergo. Mai. est certa. Min. prob. quia ferra v. g. (idem dicimus de alijs instrumentis, servatis servandis) circa scissionem ligni nihil producit; quia solum formaliter expellit à loco aliquas partes ligni, quibus erant unitæ aliæ duæ partes, in quas est divisum, quod fit se introducendo ferra in loco, in quo erant tales partes, & illas expellendo, quod fit à ferra formaliter, & effectivè à movente ferram, qui est causa principalis scissionis ligni, vt latius probavimus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 2. sect. 4. à vers. *alio modo sumitur: ergo, &c.*

EX DICTIS potest sic causa instrumentalis definiri, seu describi: *Quæ non attingit effectivè effectum, sed tantum infert, seu famulatur causæ principali pro sine, & effectui assequendo.* Quam descriptionem esse iuxta Scoti mentem, & satis explicare naturam, sive munus instrumenti constat satis ex apposis.

HIC SOLET inquiri ad quod genus causæ reduci debeat causa instrumentalis? Cui resp. propriè ad nullum; quia propriè neque est causa materialis, neque formalis, neque efficiens, nec finalis. Sed tamen impropriè, & analogicè loquendo potest ad causam efficientem reduci, non quia ipsa aliquid efficiat propria virtute activa; sed quia

quia causa effectiva ad sui effectus productionem utitur illa, ut liquet ex dictis.

SECTIO XI.

QVID, ET QUOTUPLEX SIT exemplar, & ad quod genus causa pertineat.

AD clariorem huius sectionis intelligentiam noto, quod *idea, exemplar, & causa exemplaris* idem sunt, quam iuxta Scotum definiens ideam divinam in 1. dist. 35. quaest. vnic. num. 12. §. & vers. *ad ista*, sic describo: *Causa exemplaris est res in esse diminuto, & cognito in mente artificis, secundum quam aliquid est formabile ad extra ex intentione agentis determinatis sibi finem.* Est etiam conformis D. August. ab ipso Scoto allegato, & admittitur communiter, licet alijs terminis tradatur. Explicatur sic: dicitur *res in esse diminuto, & cognito*, ut intelligatur, quod licet exemplar dividatur, ut dividimus cum omnibus in externum, & internum (ex quibus externum dicitur, quod artifex proponit sibi ante oculos ad aliquid efficiendum exemplari simile, ut pictura, quam inspicieus pictor depingit ad illius similitudinem. Internum est quoddam intentionale idolum, sive quoddam obiectum, quod producit intellectus in esse cogi-

to, ut ad istius similitudinem aliquid extra efficiat.) Unde internum semper necessario requiritur ad operationem artificis, non tamen externum: quia propter hic communiter de interno pertractatur à Philosophis; sed quae de illo dicuntur, externo etiam suo modo applicari possunt.

Nunc autem exponitur descriptio: dicitur, *res in esse diminuto, & cognito*, ad denotandum contra aliquos, quod exemplar, sive idea non est ipsa cognitio, sed obiectum illius: & etiam ad excludendum rem in esse reali existentem à ratione ideae, & exemplaris; quia sine illa salvatur exemplar; minimè verò sine re obiectivè tantum existente in intellectu, scilicet sine re in esse diminuto, & cognito.

In mente artificis, ponitur; quia ut obiectum in esse cognito sit exemplar, non sufficit quod sit in quolibet intellectu; sed debet esse in intellectu illius, qui intendit assimilare exemplari opus externum, qui revera est artifex, vel qui efficit opus externum, nùm efficienter, ut pictor, nùm directivè, ut architector dirigens illos, qui construunt domum.

Deinde additur, *secundum quam aliquid est formabile ad extra*, ad denotandum, quod effectus artificis sit ad similitudinem exemplaris, seu ideae. Et etiam

etiam ad significandum, quod non quodlibet obiectum in esse cognito est exemplar, nisi solum illud, ad cuius similitudinem fit aliquid artificiale ad extra.

Illa alia particula, *ex intentione agentis*, denotat, quod obiecta, ad quorum similitudinem fiunt effectus, præter intentionem agentis, non habent rationem exemplaris, sive ideæ; quia tunc non per se, nisi valde per accidens assimilatur opus obiecto.

Denique ponitur, *determinantis sibi finem*, ad denotandum, quod solum obiecta agentium intellectualium habent rationem exemplaris, & ideæ; quia solum agentia intellectualia determinant sibi finem. Circa vitimum, quod inquitur quæstio.

SIT CONCLUSIO: causa exemplaris reducitur ad genus causæ efficientis. Ita Scotus in 1. dist. 36. quæst. vnic. §. *contra ista arguitur*, nu. 5. *vers. præterea sexto*, & est communior sententia Philosophorum. Deducitur ex Arist. pluribus in locis asserente, agentia naturalia producere sibi similia per formam; artificialia verò per ideam. Ex quo ista ratione probatur: quidquid complet causam efficientem in esse talis, est aliquid illius, & ad ipsam reducitur; sed causa exemplaris est huiusmodi: ergo &c. Mai. est certa. Min. patet ex Arist. nam sicut forma naturalis com-

plet agens naturale: ita exemplar complet agens intellectualia in ratione efficientis exemplariter.

Circa quod noto ex Scoto citato, quod idem est effectus artificis, & exemplaris; cum hac tamen differentia, quod ab artifice provenit physicè, & realiter; ab exemplari verò solum metaphoricè, & intentionaliter, quantum scilicet ad similitudinem exemplaris producitur ab artifice.

Argues contra: finis est causa distincta ab efficienti: ergo & exemplar. Prob. conseq. ideò finis distinguitur ab efficienti, quia est, cuius gratia aliquid fit; sed exemplar est, ad cuius similitudinem aliquid fit: ergo etiam distinguitur ab efficienti.

Resp. conc. antec. & neg. conseq. ad cuius probationem neg. mai. finis distinguitur ab efficienti, quia non complet efficiens; at autem exemplar còplet efficiens exemplariter. Finis enim supponit virtutem completam agentis propter finem; non verò exemplar agentis exemplariter,

DISPUTATIO V.

DE CAUSA FINALI.

DE fine, sive de causa finali quamplurima pertractari ex professo solent à Theologis, iam in tract. de *Actibus humanis*, & iam de *Beatitudine*, quapropter

in presenti breviter de causa finali, quæ ad Philosophum spectant, discutiemus.

SECTIO I.

QVOD, ET QVOTVPLEX SIT
finis?

BENE DESCRIBITVR communiter finis cum Arist. 2. Met. tex. 5. & 2. Phyl. sic: *id cuius gratia aliquid fit*. Undè illud, quod eligitur ad aliquid consequendum est medium, & illud propter quod cōsequendum, aliquid eligitur, est finis: v.g. infirmus eligit potionem amaram propter consequendam sanitatem: potio sumenda est medium, & sanitas, quæ optatur consequi, est finis: quare illud, quod propter se amatur, est finis, & illud, quod amatur propter aliud est medium.

Finis dividitur primò in finem *cuius*, & finem *cui*. Finis *cui* dicitur illud subiectum, cui aliquid desideratur. Finis *cuius* dicitur id, propter cuius consecutionem aliquis operatur: v.g. sanitas est finis *cuius*, quia propter ipsius consecutionem, sive conservationem eliguntur media: & finis *cui* est illa persona, cui sanitas desideratur. Circa quod est advertendum, finem *cuius* etiam dici ab aliquibus finem *qui*, eo quod sit id, quod desideratur.

Secundo dividitur finis in

obiectivum, & formalem, seu, quod idem est, in finem *quo*, & in finem *qui*. Finis obiectivus, sive finis *qui*, dicitur illud bonum, quod consequi desideratur. Finis *quo*, sive formalis dicitur illa operatio, qua finis obiectivus consequitur: v.g. visio beata, sive fructio, secundum diversas opiniones, dicitur finis *quo*, sive formalis; quia est operatio, qua Deus consequitur, qui revera est finis *qui*, sive obiectivus.

Tertiò dividitur finis in finem operis, & in finem operantis. Finis operis appellatur illud, ad quod ordinatur operatio ex natura sua. Finis operantis dicitur illud, quod agens prohibito suo determinat: v.g. sublevatio pauperis respectu elemosynæ; quia ista ex natura sua sublevat pauperem: vanagloria est finis operantis in elargitione elemosynæ, casu quo quis elargiatur illā propter vanam gloriam. Circa quod noto, quod potest aliquando contingere, quod idem sit finis operis, & operantis, scilicet quando operans intendit idem, ad quod opus ex natura sua ordinatur, v.g. quando elargiens elemosynam intendit sublevationem pauperis.

Quartò denique dividitur finis in ultimum, & non ultimum, sive intermediū, aut, quod idem est, in proximum, & remotum. Finis

proximus, sive non ultimus, aut immediatus est ille, qui, licet propter se appetatur, adhuc ordinatur ad aliud. Finis remotus, sive ultimus est ille, qui taliter propter se appetitur, ut non ordinetur ad aliud: v. g. sublevatio pauperis per eleemosynam dicitur finis proximus, sive non ultimus, aut intermedius, eo quod ulterius ordinetur ad impetrandam Divinam misericordiam: Deus autem dicitur finis remotus, sive ultimus; quia omnia ad illum ordinantur, & ipse non ordinatur ad aliud.

Et noto, quod Deus dicitur finis ultimatus simpliciter, eo quod ex natura sua non est ordinabilis ad aliud; potest tamen propter imperfectum modum operandi creaturæ ad aliud ordinari, ut si quis intendat Deum consequi propter propriam convenientiam.

Deinde noto, quod valet dari finis ultimus secundum quid, & erit ille, qui licet ex natura sua sit ordinabilis ad aliud, tamen in intentione operantis de facto non ordinatur: v. g. si quis elargiatur eleemosynam propter sublevationem pauperis, & propter consequendam remissionem peccatorum, quin ulterius in sua intentione progrediatur.



SECTIO II.

*ALIQVÆ CONCLVSIONES
circa prædictam divisionem
propugnantur.*

SIT 1. CONCLVSIO: *divisio finis in finem cuius, & finem cui, non est propria divisio. Ita Scotus in 2. dist. 6. quæst. 1. §. ad argument. pro opinione iuxta editionem editam Venetijs anno 1580. a R. A. P. Salvatore Bartolucio. Prob. conclus. ut divisio sit propria, quodlibet membrum dividens debet participare divisum independenter ab alio, scilicet totaliter, & non partialiter solum; sed finis cuius, & finis cui, sunt fines partiales, taliter quod ex duobus coalescit vnus finis totalis, imò nequit vnus movere sine alio: ergo &c. Patet min. quia nemo potest amari, quin desideretur, seu ametur quod bonum est illi, v. g. sanitas, neque sanitas, seu quodvis aliud bonum potest amari, nisi ametur alicui, qui etiam amatur.*

SIT 2. CONCLVSIO: *neque est propria divisio finis in finem quo, & in finem qui, sive in obiectivum, & formalem. Est conformis Scoto pro conclusione præcedenti allegato, & prob. sicuti illa; quia similiter repugnat amari, sive desiderari aliquod bonum, quin ametur, sive*

Mm desi.

desideretur talis boni consecutio, neque è contra, vt satis ex se patet.

SIT 3. CONCLUSIO : finis proximus, siue intermedius habet veram rationem finis. Colligitur ex Scoto in. 4. dist. 14. quest. 2. §. in ista quest. lit. C. vers. ad illam ergo instantiam, & §. de secundo principali, lit. D. vers. sed si iustitia imperans, iuxta editionem prædictam. Prob. illud habet propriam rationem finis, quod movet voluntatem ad applicanda media apta ad sui consecutionem; sed hoc convenit fini intermedio: ergo &c. Min. patet; nam sublevatio pauperis sufficienter movet voluntatem hominis ad dandum eleemosynam in ordine ad consecutionem illius; sed est finis intermedius: ergo. Alia quam plurima exempla possunt ad hoc adduci. Unde idemmet potest simul esse finis, & medium respectu diversorum: quia non ordinari ad aliud non est de ratione finis vteunque, sed solum de ratione ultimi finis.

DILUVNTVR ARGUMENTA
contra præfatas conclusiones.

SIT primum argumentum contra primam, & secundam conclus. finis proprie dicitur id, in quo sistit intentio agentis; sed hoc non convenit fini, siquidem sanitas v. g. non

intenditur nisi propter hominem: ergo finis cuius, non habet propriam rationem finis.

Confirmatur: quia id, quod propter aliud amatur, non est proprie finis, sed medium; atqui finis cuius, amatur propter finem cui; nam sanitas v. g. amatur propter hominem: ergo finis cuius, non est proprie finis.

Resp. ad arg. permittendo mai. & neg. min. quia tam finis cuius, quam finis cui, sunt id, in quo sistit ultimum intentio agentis, non sumpti seorsim, sed coniunctim, siquidem neque finis cui, est in quo ultimum sistit intentio agentis, nisi quatenus est perfectibilis per finem cuius, neque in hoc ultimum sistit intentio agentis, nisi quatenus respicit finem cui, vt perfectionem eius. Dixi permitto mai. quia ad solutionem argumenti nihil obest concedere illam, vt vidimus; sed tamen absolute loquendo est falsa; quia finis intermedius est proprie finis, vt multoties diximus; & non ultimum sistit in eo intentio agentis, siquidem ordinat illum ad finem ultimum.

Ad confirmat. resp. dist. mai. quod amatur propter aliud non est finis, sed medium, si ametur in ordine ad consecutionem illius, permitto; si ametur vt perfectio illius solum, neg. similiter dist. min. & neg. consequent. Solutio liquet ex dictis.

Sit 2. arg. contra 1. conclus.
finis

finis cui, se habet per modum subiecti respectu finis cuius; nam sanitas v.g. recipitur, vel quasi recipitur in homine; sed causalitas subiecti non est in genere causæ finalis: ergo finis cui, non habet propriam rationem finis.

Resp. conc. mai. & min. & dist. consequens: finis cui, non habet propriam rationem finis respectu finis cuius, conc. respectu mediorum, quibus finis cuius, consequitur, nego. Et hoc solum intendit conclusio. Non enim dicimus, finem cuius, esse medium, & finem cui, esse finem; sed utrumque esse vnicum finem respectu mediorum, quibus finis cuius, consequitur, tanquam bonum finis cui.

Et noto, quod aliquæ auctoritates Arist. loquuntur sigillatim iam de vno, iam de altero fine; sed iuxta peculiarem, ac partialem rationem vniuscuiusque, quare ex talibus auctoritatibus nihil concludi potest contra nostrum assertum.

Sit 3. arg. contra 3. conclusionem: finis intermedius est medium respectu finis ultimi; sed medium nequit habere rationem finis: ergo &c. Min. prob. finis debet appeti propter se, & alia propter ipsum; sed medium nequit appeti propter se, sed propter aliud, nempe finem: ergo non habet rationem finis. Prob. min. medium, vt medium solum habet bonitatem utilitatis; sed ista

bonitas non est ratio volendi aliquid propter se, nisi propter aliud, respectu cuius est vtile; ergo medium, vt medium nequit appeti propter se.

Confirmatur ex Arist. 2. Phys. text. 29. vbi dicit, quod omnia sunt gratia finis: ergo finis nequit esse gratia alterius, siue vterius ad alium finem ordinari: ergo finis intermedius, qui, tanquam medium ordinatur ad finem vltimum, & ex gratia illius, non habet rationem propriam finis.

Resp. ad argum. conced. mai. dist. min. sed medium nequit habere rationem finis reduplicativè vt medium, conc. specificativè, & sub alia ratione, neg. & etiam consequent. Ad minoris probationem conc. mai. & dist. min. sicuti aliam, ad cuius probationem conc. mai. & min. & etiam consequent. Verum enim est, quod medium, vt medium reduplicativè, nequit appeti propter se, nisi propter aliud, eo quod vt tale solum dicit bonitatem utilitatis, quæ tantum est ratio volendi aliquid propter aliud; tamen ipsum medium potest appeti propter se, & alia propter ipsum, eo quod eadem bonitas potest esse in se honesta, vel delectabilis, & simul alteri utilis: quæ propter potest esse ratio volendi aliquid propter se, vt est delectabilis, vel honesta, & ratione illius potest aliquid esse

esse finis movens voluntatem ad ponendam media ad sui consecutionem; & esse ratio volendi ipsum propter aliud, ut est utilis talis bonitas, & ut sic constituit medium: quod in simili contingit, etiam respectu diversorum, in specie subalterna, quæ respectu inferiorum est genus, & respectu superioris est species, ut diximus in Log. tract. 2. disp. 3. sect. 3.

Ad confirmationem resp. quod Arist. vel loquitur de fine ultimo, vel debet intelligi ita, ut omnia media, quæ applicantur ad consecutionem finis, sint gratia illius, quod semper verificatur, sive finis sit ultimus, sive intermedius, quomodo nequam est Philos. contra nos.

SECTIO III.

QUENAM SIT CAUSALITAS finis.

NON solum querimus, per quid constituatur formaliter finis in actu secundo, sed etiam per quid constituatur in actu primo, seu quædam sit ratio formalis finalizandi, sive virtus illius ad finalizandum, seu ad producendum in genere causæ finalis suum effectum? Quod ut expendamus, noto, tanquam certum apud omnes, finem non posse movere voluntatem, (circa quæ solummodo suam exercet virtu-

tem) cum ista sit potentia cæca, nisi prius ab intellectu ipse finis cognoscatur: unde certum est, quod bonitas cognita movet, & non cognita movere nequit; quare dubium est in presenti: an ipsa bonitas cognita finis sit, quod formaliter movet voluntatem? An verò cognitio ipsius bonitatis?

SED antequam difficultatem resolvam, suppono ex Philosopho, & Scoto allegatis in hoc 2. lib. disp. 2. sect. 1. finem habere veram rationem causæ. Ratio est, quia propter finem aliquid est, scilicet electio mediorum, quæ quidem est definitio causæ, ut vidimus ubi supra. Deinde finis enumeratur ab omnibus inter quatuor genera causarum.

Contra quod non vrget, quod vera causæ debet existere, quando causat; & finis, sanctas v. g. consequenda, non existit, quando causat, nempe quando movet ad electionem mediorum, quibus est consequenda: quia eo modo, quo causat, iam existit, nempe ut cognita, quod videbimus infra. His præintellectis.

SIT 1. CONCLUSIO: cognitio non est ratio formalis finis in actu primo proximo, sed bonitas ipsius in esse cognito. nùm sit apparens, nùm vera sit in entitate ipsius finis. Ita Scotus in 1. dist. 1. quæst. 1. §. & vers. De ter-

tio articulo dico; & in 2. dist. 6. quæst. 2. n. 13. §. *Viso igitur*, verbi gratia *hic est unum dabitur*; & in 4.

dist. 49. quæst. 10. §. *Quantum ad secundum articulum*. Prob. 1. illa est ratio formalis finis, sive virtus illius ad sui effectum, ratione cuius voluntas amat ipsum finem, & eligit media ad ipsum consequendum; sed voluntas hoc facit ratione bonitatis, quæ in ipso fine per cognitionem manifestatur, & non ratione ipsius cognitionis, quæ quidem solum est conditio sine qua non: ergo bonitas cognita in fine, & non cognitio talis bonitatis est ratio formalis finis, sive virtus illius in actu primo proximo.

Prob. 2. illa est ratio formalis finis, sive virtus illius, quæ movet voluntatem ad sui amorem, & electionem mediorum ad illum consequendum; sed hoc facit bonitas finis cognita, & non ipsius bonitatis cognitio: ergo &c. Prob. min. illud movet voluntatem ad prædicta, propter quod voluntas appetit consequi finem; sed appetit consequi finem propter bonitatem ipsius finis cognitam ab intellectu, & non propter cognitionem talis bonitatis, ut patet in infirmo v. g. qui non appetit consequi sanitatem propter cognitionem istius, nisi propter sanitatis bonitatem sibi convenientem cognitam: ergo bonitas cognita finis, & non istius cognitio, est

quæ movet voluntatem ad sui amorem, & ad electionem mediorum.

Vndè intelliges, quod cognitio solum est conditio sine qua non, ut finis moveat voluntatem: quin ad hoc obstat quod variata cognitione, varietur actus circa finem; quia cum cognitio sit applicatio obiecti ad potentiam, ex eo quod perfectior sit applicatio, etiam actus erit intensior, & perfectior.

SIT 2. CONCLUSIO: causalitas finis est respectus dependentiæ activæ terminatus ad ipsius effectum. Conclusio probatur, sicuti de causa efficiente probatum manet disp. 4. ubi etiam constat, conclusionem esse Scoti. Circa quod est advertendum, quod respectus causæ efficientis ad ipsius effectum, est talis, quod supponit entitatem absolutam effectus ortam à virtute causæ; at verò respectus causæ finalis non supponit entitatem absolutam effectus ortam ab ipso fine, nisi à causa efficiente, nempe à voluntate; at propter finem: vndè quando voluntas operatur propter finem, in tali operatione resultant duo respectus dependentiæ passivæ, unus ad voluntatem, tanquam ad causam efficientem illius, & alius ad finem, tanquam ad causam finalem, scilicet tanquam ad id, propter quod voluntas elicit talem operationem.

EX DICTIS constat, quod influxus, seu causalitas finis non est relatio realis, sed rationis. Ratio est; quia vnum ex extremis, scilicet finis non existit simpliciter, nisi secundum quid, & obiectivè in intellectu, siquidem finis non movet, vt existit à parte rei (dato, quod existat) nisi secundum esse diminutum, quod habet in intellectu (loquor de fine movente, vt cognito per cognitionem abstractivam; nam si moveat, vt cognitus per cognitionem intuitivam, tunc dicta relatio erit realis; quia extrema sunt realia; nam in tali casu finis cognitus est finis existens simpliciter à parte rei. Hoc omne liquet ex apposis in Theolog. tract. de scientia Dei, disp. 3. sect. 4.

Argues contra primam conclusionem: conditio ad causandum potest à Deo suppleri; sed cognitio finis nequit suppleri à Deo: ergo non est conditio, nisi ratio formalis.

Resp. dist. mai. quævis conditio ad causandum potest suppleri à Deo, neg. aliquæ conditiones, conc. etiam min. & neg. conseq. Nallus dicit, quod cognitio obiecti est ratio formalis productiva actus voluntatis, nisi conditio, vt voluntas producat; & tamen omnes concedunt, non posse suppleri à Deo: sic similiter est dicendum in nostro casu.

SECTIO IV.

QUISNAM SIT EFFECTVS
finis?

AD quæstionis resolutionem noto, quod plures sunt actus voluntatis, de quo agitur latè in Theolog. tract. de Actibus humanis. Aliqui enim dicuntur eliciti, quia ab ipsa voluntate eliciuntur, & etiam ab alijs potentijs imperio voluntatis producuntur. Actus nâque eliciti adhuc sunt in triplici differentia. Aliqui sunt, qui versantur immediatè circa finem nondum obtentum, huiusmodi sunt simplex amor finis (non curamus in præsentì, an detur simplex amor, qui sit inefficax, nec ne, imò pro nunc dari cum cõmuni supponimus) & intentio, quæ est actus efficax voluntatis respiciens finem, vt obtinendum per media. Alij verò versantur immediatè circa media, per quæ finis est consequendus: huiusmodi sunt imperium, electio, & vsus. Alij deniquè versantur circa finem iam obtentum. His notatis.

SIT I. CONCLUSIO: actus voluntatis, qui immediatè versantur circa finem non obtentum, non sunt effectus causæ finalis. Ita Subtilis Doctor expressè in Prologo, quæst. 4. §. *Contra istam positionem*, iuxta editionem Venetijs à R. P. Salvatore Bartolucio

lucio anno 1580. Prob. quia secundum Scotum citatum finis non causat, nisi ut amatus, seu intentus, & desideratus, & patet ex ipsius definitione ab omnibus admittitur, quæ sic est: *cuius gratia, seu amore aliquid fit*: ergo præcedit amor finis ad istius causalitatem, siue influxum: ergo amor simplex, desiderium, & intentio finis, cum omnes sint actus, qui immediatè versantur circa finem non obtentum non sunt effectus illius, ut causæ finalis.

Confirmatur: effectus finis debet esse posterior ipso fine, ut in statu proximo ad cauandum; sed finis non est in statu proximo ad cauandum, nisi amatus, intentus, & desideratus: ergo amor, intentio, & desiderium finis, qui sunt actus, qui immediatè versantur circa ipsum non obtentum, non sunt effectus illius, ut causæ finalis.

Respondebis, quod ly *cuius gratia* in definitione finis positum non debet intelligi ita, ut finis sit id, cuius amore fit aliquid, sed ita, ut finis sit id, ob cuius bonitatem aliquid fit: quapropter omnis actus tendens in finem in quocumque sensu est effectus illius, cum sit propter finis bonitatem.

Sed contra, quia ut sic actus solum erit effectus finis, ut obiecti, quapropter consultò dicitur

mus in argumento, *ut causæ finalis*: ergo nulla est solutio. Patet antec. quia alias nullus daretur actus voluntatis, qui non esset effectus finis, ut causæ finalis; quia nullus potest dari, qui non sit propter bonitatem obiecti, siquidem ista est ratio formalis obiecti voluntatis.

SIT 2. CONCLUSIO: actus voluntatis, qui versantur circa media, nempe electio, imperium, & usus, & actus aliarum potentiarum, qui imperantur à voluntate ad exequenda media sunt propriè effectus finis, ut causæ finalis: & similiter actus intellectus, qui ad supradictos requiruntur, ut sunt inquisitio mediolorum, consultatio, & iudicium de illis. Conclusio ista etiam est Scoti allegati. Et est communiter admittitur ab omnibus; & patet; quia omnes prædicti actus sunt gratia, & amore finis, & ordinantur ad finem amatum consequendum; sed nihil aliud requiritur ad rationem effectus causæ finalis: ergo.

SIT 3. CONCLUSIO: actus voluntatis, qui versantur circa finem iam obtentum, ut sunt fruitio, & delectatio (num ista sit actus, num verò passio, à qua difficultate nunc præcindimus) non sunt propriè effectus finis, ut causæ finalis. Etiam est iuxta Scoti allegati mentem. Prob. effectus causæ finalis propriè or-

Na

dina.

dicatur ad finem consequentem; sed predicti actus, supponunt iam finem consequentem: ergo non sunt proprie effectus causæ finalis.

Noto, consultò dixisse proprie; quia aliquantulum, & non rigorosè possunt dici effectus causæ finalis, eo quod non darentur tales actus, nisi finis moveret voluntatem ad exequenda media in ordine ad consecutionem ipsius finis, ratione cuius consecutionis ponantur tales actus.

Omnes prædictæ conclusiones confirmantur communi usu loquendi: benè enim dicimus, aliquem inquirere media, consultare, & indicare de illis, ipsa eligere, imperare potentibus executivis, sive illis uti gratia, seu amore finis, sive propter finis consecutionem; non verò proprie dicimus, aliquem amare, seu intendere propter finem; benè tamen amare, seu intendere finem; similiter neque proprie dicimus, aliquem frui, nec delectari propter finem; benè tamen frui sine, & delectari de fine consecuto; sed propter propriè sumptum requiritur ad rationem causæ, ut patet ex definitione causæ tradita disp.

(art. 2. lect. 1. ergo &c.

scilicet, quod effectus causæ finalis non potest dici effectus causæ finalis, nisi in ordine ad consecutionem ipsius finis, ratione cuius consecutionis ponantur tales actus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
contra primum, & tertium
conclusionem.

SIT primum argumentum ex Scoto in 4. dicit. 2. quæst. 2. 1. 1. in tres conclusiones, verl. secundum da conclusio. Vbi dicit, quod omne infinitibile, sive quod non habet finem pro causa, est incausabile; sed predicti actus sunt causabiles; ergo habent finem pro causa, & consequenter sunt effectus finis. Mai. probat Scotus ex eo, quod omne agens agit propter finem; ergo quod non habet finem pro causa, est incausabile.

Propter istam autoritatem, & proponendam sequenti argumento aliqui Scotistæ existimant Subtilem Magistrum fuisse in hoc problematicum; sed immerito, quare.

Resp. Scotum allegatum non dicere illa verba, quod non habet finem pro causa est incausabile; benè verò illa, omne infinitibile est incausabile, quæ quidem vera sunt, & sic conc. min. & neg. consequ. quia non sequitur ex præmissis, nisi ista; ergo predicti actus non sunt infinitibiles, vel, quod idem est, ita; ergo predicti actus sunt finibiles, quæ veræ sunt; quia aliud est posse habere causam finalem, & aliud habere causam finalem de facto, & dato, quod illam habeant; quod talis causa sit obiectum actus; & quod dicitur, quod illi actus, qui versantur

etur immediate circa finem, non
causari à tali fine, tanquam à
causa finali; at hoc non est ne-
gare posse habere causam fina-
lem; quia potest agens amare, seu
intendere aliquem alium finem,
propter quem amet, & intendat
consequi illum.

Sit 2. argum. etiam ex Scoto
in 2. dist. 40. ubi per totam ait,
omnes actus humanos habere fi-
nem; sed prædicti actus respi-
cientes immediate finem sunt
actus humani ergo habent fi-
nem; ergo sunt effectus illius, ut
causa finalis.

Resp. Scotum ibi loqui non
præcisè de fine, ut causa, sed de
quodam abstracto, vel de fine,
qui sit causa finalis, vel de fine,
qui solus sit ratio formalis obre-
cti, ut quando quis amat castita-
tem, v.g. solum propter honesta-
tem castitatis, quia talem amo-
rem ordinat ad aliquem finem
consequendum; & hoc modo ve-
rum est; quod omnes actus huma-
ni habent finem; cum quo
compatitur, quod aliqui non ha-
beant causam finem; & si ha-
beant, causa finalis illorum non
erit finis, qui per illos intenditur,
aut desideratur; & tunc aliquis
alius per tales actus consequi bi-
lis; tanquam per media; unde
iam respiciunt illius finem; tales
actus non erunt amor simplex,
inrentio, &c. sed electio, vel ex-
cursio mediocris. Quare ad for-
mam argumenti respiciendum.

ait Scotus, omnes actus huma-
nos habere finem; ut causam fi-
nalem, neg. ut rationem forma-
lem obiecti, in qua sistit opo-
rans, cōc. etiam min. & dist. pri-
mum consequens, sicuti maio-
rem, ultimamque consequen-
tiam nego.

Sit 3. argum. actus charitatis
est propter Deum ultimam finem,
sed talis actus charitatis non
præsupponit alium actum amo-
ris circa Deum, nisi solam boni-
tatem Dei apprehensam; ergo
amor, qui immediate versatur
circa finem non obiectum est
propter finem; ergo est effectus
illius.

Resp. ad argum. sicut ad præ-
cedens, conc. mai. & dist.
primum cōseq. ergo dictus amor
est propter finem, si ly propter
sumatur pro causâ finale finis, ut
causâ finalis, neg. si sumatur pro
ratione formalis obiecti, vel pro
causalitate finis, ut obiecti; eo-
modo quo obiectum considerit
cum voluntate, conc. & simili-
ter dist. secundum cōseq. ergo
est effectus illius, ut causâ fina-
lis; neg. ut obiecti, conc. Solus
patet ex dictis in solutione ad
secundum argum.

SECTIO V.
DE AGENTIA OPERENTUR
propter finem.

UT clare resolvatur quest.
noro, quod operari prop-

ter, finem tripliciter potest esse. Primo, ita ut agens non solum cognoscat finem, sed etiam cognoscat illum sub ratione formali finis, seu cum proportione, quam habet cum medijs, & media cum illo. Et hoc adhuc potest esse dupliciter. Primo perfecte per discursum, & libertatem in operando, & applicando media. Secundo imperfecte sine discursu, per solam materialem apprehensionem, & sine libertate in medijs applicandis, sed solo naturæ instinctu, necessario, & naturaliter ductis. Tertio modo potest agens agere propter finem, ita ut ipsum agens non cognoscat finem, sed ita ut finem cognoscat author naturæ, & ipse ordinet operationes agentis ad suum finem. His prenotatis, & suppositis, facile resolvitur difficultas.

SIT 1. CONCLUSIO: Deus operatur ad extra propter finem primo modo. Conclusio supponitur certa ab omnibus, & patet ex illo Prover. 6. *Omnia propter se metipsum operatus est Dominus.* Et deinde, quia Deus condidit mundum, ipsumque gubernat, & protegit propter manifestationem suarum perfectionum. Vt terius, Deus cognoscit perfectissimè fines omnium rerum, & media ad illorum consecutionem conducentia, & iuxta cognitionem istam disponit omnia, & ad suos fines ordinat; ergo.

Quomodo autem operetur Deus propter finem? Spectat ad Theologiam non ad Philosophiam.

SIT 2. CONCLUSIO: Angelus, & homo operantur propter finem primo modo. Nullus similiter dubitat de ista conclusione. Ratio est, quia Angeli, & homines cognoscunt finem sub ratione formali finis, seu proportionem, quam finis habet cum medijs, & media cum illo; ergo &c.

SIT 3. CONCLUSIO: bruta operantur propter finem; non primo, nisi secundo modo. Etiam est certa quoad utramque partem. Quoad primam patet, quia nullus dubitat brutam non habere proprio discursum, & libertatem. Et quoad secundam etiam, nam quis dubitare potest de aliquibus brutis, quod licet cognitione imperfecta, & materiali aliquo modo cognoscant finem, & media, proportionemque inter illa, & etiam quod licet sine voluntate, & libera electione, solo naturali instinctu ducta, eligant hæc media præ alijs ad hunc finem, & non ad alium, cum frequenter hoc videatur iteratis experientijs in animalibus domesticis; v. g. quando Felis avertit oculos à Mure capto, dum ludit cum ipso, quasi ipsum despiciens, quis non dicet, intendere deceptionem Mure? Et similiter quando Catulus assurgit in pedes posteriores inter prandendum.

dum, aut trahit vestimentum comedentis, quis non dicet, intendere per illa media inducere comedentem ad dandum sibi aliquid? Ergo cum alias sit certum, bruta non habere discarsum, nec libertatem, dubitari nequit, saltem de aliquibus, quod operantur propter finem secundo modo.

SIT 4. CONCLUSIO: inanimata operantur propter finem, non primo, nec secundo, sed tertio modo. Etiam est indubitatum quoad omnes partes quoad primam, & secundam; quia nec habent cognitionem perfectam, nec imperfectam, neque voluntatem, nec appetitum elicitive, nisi innatum: ergo solum possunt dici operari propter finem tertio modo, scilicet quatenus author naturæ ordinat operationes illorum ad suos fines.

DISPUTATIO VI.

DE CAUSIS PER ACCIDENS.

CAUSÆ per accidens, prout ad presentem disp. attinent, sunt *fortuna, casus, fatum, & monstrum*, de quibus, licet reducantur ad causam efficientem; quia sunt causæ per accidens, postquam de causis per se cum Arist. agimus.

SECTIO I.

QVOD SINT FORTUNA, ET casus?

SIC DEFINITVR fortuna: est causa per accidens alicuius prater intentionem agentis. Definitio deducitur ex Arist. tex. 52. & ex Subtili Magistro quodl. 21. §. quantum ad primum; à litt. A. secundum editionē Papiæ anno Domini 1517. ab Excellentissimo Doctore Antonio de Fantis Tarvisino.

Sic explicatur definitio, Petrus v.g. mittit sagittam sola intentione transigendi folium, & occidit vermem per folium ambulans, in quo casu, quia Petrus solum habet intentionem transigendi folium, dicitur causa per se transfixionis: & fortuna respectu occisionis vermis, quia non habuit intentionem occidendi illum.

Circa quod notat Scotus allegatus, ad fortunam requiri, quod id, quod evenit, sit bonum illi, respectu cuius dicitur fortuna; nam si sit malum, potius diceretur homo infortunatus, quam fortunatus. Sed hoc debet intelligi iuxta usum communem loquendi; non verò rigore loquendo; nam fortuna dividitur in bonam, & malam: & sic fortunatum communiter vsurpatur pro benè fortunato; & infortunatus

natus pro malè fortunato. Vnde ad fortunam requiritur, quod agens agat propter finem, & effectus eveniat præter intentionem finis intèri ab agente. Quare respectu Dei nullus effectus est fortuitus; quia nihil potest evenire præter voluntatem, & intentionem Dei; benè verò respectu Angeli, ut si pergens, v.g. ad aliquam civitatem destruendam, ex tali ingressu converteretur aliquis, cuius conversionem non intendebat Angelus.

SIC DEFINITUR casus: est causa per accidens eorum, quæ eveniunt præter intentionem agentis non operantis propter finem. V.g. si caderet lapis impulsu aeris, & deambulante percuteret, tunc respectu percussoris, lapis, vel aer esset causa per accidens, & à casu talis percussoris. Vnde in omnibus conveniunt casus, & fortuna, præter in hoc, quod fortuna est agens propter finem, & ex intentione finis; minime verò casus.

SECTIO II.

QVOD SINT FATUM, ET monstrum?

DE fato existimantur antiqui Philosophi, esse quandam dispositionem causarum secundarum, ex qua fatalis necessitas oriebatur in effectibus, tam liberis, quam necessarijs, quod

meritò rejicit Catholicorū cœtus, ut Providentiæ Divinæ, liberoque arbitrio creaturarum præiudicans.

VNDE CATHOLICE loquendo, sic fatum definitur à Boecio 4. de Consolatione: *Fatum est rebus mobilibus immobilis inhaerens dispositio, iuxta quam Divina Providentiæ suis quæque necesse ordinibus.* Pro cuius intelligentia observandam est, fatum dupliciter posse sumi. Primò pro actu Divinæ Voluntatis omnia disponente: in quo sensu nihil est aliud quàm Divina Providentiæ, de qua sufficienter egimus in Theolog. tract. de Prædest. disp. 1. Secundò sumitur pro tali dispositione, & ordinatione, ut in causis secundis recepta, sive passivè sumpta, nempe pro disposito circa ipsas causas secundas: & in hoc sensu dicitur propriè fatum, ut sumitur in præfati, videlicet præfinitum, quæ propter dicitur, *dispositio inhaerens rebus mobilibus.*

Deindè dicitur *immobilis*, ut denotetur, talem dispositionem à Divina Providentiæ provenientem, nullatenus posse mutari, cuius oppositam tenebant veteres Egyptij asserentes, posse mutari precibus, & sacrificijs, quod falsum est, ut manet probatum in Theolog. tract. citato, disp. 2. sect. 6. & de *Voluntate Dei*, disp. 5. sect. 3.

SIC COMMVNITER definitur

tur

tur monstrum: *Est effectus naturalis à rella, & solita dispositione secundum speciē notabiliter degenerans ob aliquod impedimentū.* Deducitur hæc definitio ex Aristot. 2. Phys. 84. & 4. de Generat. animalū, cap. 4. quæ sic explicatur: dicitur *effectus naturalis*, per quod differt ab artefactis deficientibus à regulis artis, quæ non monstra, sed errores dicuntur.

Ponitur deinde, *degenerans à rella, & solita dispositione*, per quod denotatur, quod monstrū deficit à conditionibus requisitis ad effectus naturales ex vi generationis.

Vtcrius dicitur, *secundum speciē*, quod non est ita intelligendum, ut monstrum debeat esse diversæ speciē à sua causa: hoc enim per accidens se habet ad rationem monstri; sed est intelligendum ita, ut conditio in qua deficit, debeat ex vi generationis naturæ specificæ, in qua accidit monstrum.

Particula illa, *notabiliter*, eo quod passim non dicitur monstrum, quod in parvo deficit.

Denique ponitur, *ob aliquod impedimentum*, ad denotandum, quod duæ causæ ad monstrum concurrunt, una impedita, quæ est virtus alicuius causæ completæ, & perfectæ, & altera impediens illam, ne suum effectum in statu perfecto consequatur: ut contingit quando ex defectu, *vel excessu materiae causæ effi-*

ciens non consequitur suum effectum in statu perfecto: tunc enim generatur monstrum, eo quod causa efficiens à causa materiali impeditur.

Causæ, quæ communiter solent assignari, quibus monstra contingunt sunt: Prima, defectus virtutis generativæ, quæ nõ potest perfecte disponere corporis organici membra. Secunda, defectus materiæ ad integritatem fœtus talis speciē requisitæ: & hinc oriuntur plures aliqua parte orbati. Tertia, excessus materiæ, & propter receptionem ipsius in diverso receptaculo, ac requisito ad generationem: ex quo oriuntur fœtus duplicatis membris, & corporibus, quæ in diverso receptaculo formata fuerant, & ante expletam generationem coadunantur in unum. Quarta, varia qualitatum dispositio inepta ad proportionem effectuum talis speciē, saltem quoad esse extrinsecum: & hinc oriuntur Hermafroditæ, & provenit ex parte qualitatis formatricis organorum, quæ invenitur in materia seminali æquali vi ad efficiendum utrumque effectum.

HIC SOLET inquiri, an monstrum intendatur à natura? Cui respondetur frequenter, non intendi primariò, sed secundariò, scilicet quatenus nequit producere effectum perfectum, sed imperfectum quæ, & efficitur.

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.



IN 3. lib. Phys. agit Philof. de motu in communi, qui reverà est præcipua proprietas corporis naturalis, de quo in octo Physicorum libris disputatur. Et quia motus rigorosè sumptus est de genere continuorum, & in definitione continui sæpè ponitur infinitum, idè etiam in hoc 3. lib. agit Arist. de Infinito, de quo etiam nos iuxta ordinem Aristotelis disputabimus.

DISPUTATIO I.

DE MOTU.

NON agimus in præfenti de omnibus ad motum pertinentibus, sed tantum de natura motus in communi, alia, iuxta Philosophi methodum, vsque ad lib. 5. differendo.

SECTIO I.

QVID SIT MOTVS.

AD perfectam intelligètiã naturæ motus, vt traditur

ab Arist. notandum est 1. motum dupliciter accipi posse, materialiter scilicèt, & formaliter. Materialiter dicit entitatè rei, quæ fluit, sive est in fieri, aut in esse imperfecto, & in suum esse perfectum tendit. Formaliter verò dicit fluxum à quo ipsa entitas, quæ procedit ab agente, dum est in fieri, fluens denominatur: qui quidem fluxus nihil aliud est, quàm illa mora, quæ in fieri talis entitatis consumitur. Non igitur agit Arist. in hoc lib. de motu formaliter sumpto, loquitur autem de illo in 4 lib. Et in præfenti solum de motu materialiter accepto.

Notandum est 2. dupliciter posse motum considerari. Primò prout est transitus de non esse ad esse, quomodocumque sit, in quo sensu quidquid producitur, etiã per creationem, vt Angelus v.g. dicitur moveri; quia transit de non esse ad esse; at hic motus impropriè appellatur motus, in quo sensu loquitur Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. §. Et si fugias, litt. B. vers. contra tertiam responsionem, iuxta editionem Venetijs ab A. R. P. Salvatore Bartoluto anno

1580. afferens, ad motum non requiri subiectum aliquod præcedere, vel aliter se habere subiectum.

Secundò potest motus considerari ita, vt quod mouetur, trãseat de non esse sub aliqua forma ad esse sub illa. In hoc sensu sumitur communiter mobile, & motus: sicque accipit eum Arist. hic; quia motum explicat per ordinem ad subiectum, quod præcedit formam producendam, v.g. dum aqua transit de non habendo calorem, ad calorem habendum.

Sic definit Arist. motum in hoc lib. cap. 2. *actus entis in potentia secundum quod in potentia*, seu, quod idem est, *prout in potentia*. Illam sine controversia admittunt cuncti Philosophi, & Scotus cum illis. Bonitas illius patet explicacione particularum ipsius. Particula illa *actus* ponitur loco generis, per quam conuenit motus cum quavis alia forma; quia quavis forma est actus.

Illam aliam particulam, *entis in potentia* ponitur, vt differat à creatione, quæ cum non supponat subiectam, quod sit in potentia, quod requiritur ad rationem motus propriè sumpti, vt supra manet notatum, nequit dici motus propriè, & stricte, sed large, & impropriè. Differt etiam motus per dictam particulam à productione, qua subiectum, &

forma simul in eodem instanti producuntur: tunc enim non est subiectum in potentia ad motum, & formam, licet habeat potentiam ad recipiendum motum, & formam; quia esse in potentia, præter habere potetiam, connotat, siue dicit carentiam formæ, quam carentiam non dicit subiectum, nisi pro aliquo tempore existat sine forma.

Additur illa alia particula, *secundum quod in potentia*, siue *prout in potentia* per quam differt motus, à quacumque alia forma, quæ ita est actus, vt non relinquat subiectum in potentia, cum sit terminus ad quem motus; iste autem relinquit subiectum in potentia ad terminum ad quem ipsius motus, qui terminus est forma: ex dictis ergò constat bonitas definitionis; sed quia ex varia intelligentia terminorù solent plures æquivocationes oriri inter Scholasticos, adhuc pro maiori definitionis intelligentia, & æquivocationibus auferendis, aliqua notanda veniunt.

Primo igitur est notandum, quod actus potest esse perfectus, vel imperfectus. Tunc dicitur actus perfectus, cum totaliter actuat potentiam subiecti: huiusmodi sunt formæ substantiales, & etiam accidentales in summo gradu intensiõis. Tunc dicitur actus imperfectus, cum non totaliter actuat potentiam su-

biecti. Sed hoc adhuc potest esse dupliciter: nimirum, vel quatenus actus est aliqua forma remissa, & tunc dicitur actus imperfectus accidentaliter, eo quod accidentaliter convenit forma, quod sit remissa, vel intentus: & sic accidentaliter convenit illi non actuare totaliter potentiam subiecti: vel potest actus non totaliter actuare potentiam subiecti, quatenus non est forma in facto esse, nisi via, & tendentia ad formam in facto esse; & in hoc sensu dicitur motus actus entis in potentia; quia ita actuatur potentialitatem subiecti, ut essentialiter conveniat illi non actuare totaliter, sed partialiter, scilicet relinquendo in subiecto potentiam ad terminum ad quem motus, nempe ad formam in facto esse. Hæc omnia sunt iuxta Scoti mentem 1. Met. sum. 4. cap. 1. num. 77.

SECTIO II.

IN ORDINE AD QUAM POTENTIAM DICATUR MOTUS?

EX fact. antecedenti constat eam Philof. motu esse actum entis in potentia, prout in potentia. Sed eam potentia sit in triplici differentia, nempe obiectiva, (quæ est potentia possibilis ad esse actualem & existens) & activa, (quæ est, quam habet causa ad producendum) & pas-

siva, seu subiectiva (ut quam habet subiectam ad recipiendum formam) inquirimus in præfenti, an motus sit actus entis in potentia obiectiva, vel activa, aut passiva?

Ad cuius resolutionem noto, quod motus omnes prædictas potentias connotat; quia motus nequit esse, aut intelligi sine forma ad quam mutatur subiectum, quæ ante motum, sive in ipso motu est in potentia obiectiva, & sine causa producente formam, quæ ante istam est in potentia activa, & sine subiecto, quod moveatur à negatione formæ ad formam, quod quidem supponitur cum potentia passiva, sive subiectiva. Ideo Arist. declarans cuius entis in potentia sit actus motus, ponit exempla, quibus tres præfatas potentias comprehendit. Hic namque cap. 2. tex. 17. ait: *Motus est actus mobilis, quæ mobilis, en quomodo loquitur de potentia passiva.* Et cap. 3. tex. 23. dicit: *Motus est actus eius, quod agere, & pati potest, quatenus tale;* ubi alloquitur de motu in ordine ad potentiam activam, & passivam.

SIT CONCLUSIO: motus propriè dicitur in ordine ad potentiam passivam, seu subiectivam. Ita Scotus 1. Met. sum. 4. cap. 1. num. 78. Prob. 1. motus propriè dicitur in ordine ad potentiam illius, cuius motus propriè est actus; sed potentia illius.

illius, cuius motus propriè est actus, est potentia passiva: ergo &c. Mai. constat ex definitione motus. Min. prob. motus est forma in fieri, vt dicit expressè cum Philof. Scotus allegatus vers. *notandum, quod licèt sit eadem*, sed forma in fieri propriè est actus illius, cuius potentia est passiva: ergo potentia illius, cuius motus propriè est actus, est potentia passiva. Prob. min. forma in fieri propriè est actus subiecti, in quo recipitur forma in facto esse; sed potentia istius est passiva, vt ex se patet: ergo forma in fieri propriè est actus illius, cuius potentia est passiva.

Confirmatur: motus propriè est actus illius, quod per ipsum movetur; sed per motum movetur subiectum, & potentia istius est passiva: ergo motus propriè est actus illius, cuius potentia est passiva: ergo licèt connotet alias potentias, nempe obiectivam, & activam, propriè solum dicitur in ordine ad passivam.

Prob. 2. conclus. motus est actus imperfectus: ergo dicitur actus propriè in ordine ad illam potentiam, in ordine ad quam actus perfectus dicitur actus. Nunc sic; sed iste dicitur in ordine ad potentiam passivam: ergo & ille. Prob. min. subsumpta: actus perfectus est forma in facto esse; sed forma propriè dicitur actus subiecti, in quo recipitur, cuius potentia est passiva: ergo

actus perfectus propriè dicitur actus in ordine ad potentiam passivam: ergo & imperfectus, qualis est motus.

Et noto, quod aliquando motus est actus agentis, sive habentis potentiam activam, quando scilicèt agens recipit effectum, sive formam, quam producit, vt quando aqua v. g. producit frigiditatem in se ipsa; sed tunc motus, & si sit actus aquæ, cuius est potentia activa, non est actus illius, qua potentiam activam habet, sed qua passivam, ob rationes supra dictas: ergo.

DUBITABIS, an prædicta definitio motui instantaneo conveniat? Ad cuius resolutionem, suppono, motum dividi communiter in instantaneum, & successivum: instantaneus dicitur ille, quo tota forma, sive terminus ad quem in indivisibili instanti acquiritur. Successivus est ille, quo totus terminus non acquiritur in instanti, sed vna pars prius, postea alia, & postea alia, &c.

RESPONDEO. NVNC ad dubium affirmativè. Est Philofophi, & cum eo Scotus varijs in locis, qui motum instantaneum vocat mutationem ad distinctionem successivi, quem vocat motum. Et patet; quia Arist. definiens motum ponit exemplum etiam in generatione substantiæ, quæ successiva non est, sed instantanea, ad quam ait Scotus,

non dari motum, (intelligens per motum, motum successivum) sed mutationem (per mutationem intelligens motum instantaneum) supponitur etiam à Scoto in 2. dist. 2. quæst. 9. vers. *potest ergo concedi*, & sequenti, iuxta editionem à R. A. P. Fr. Paulino Berti Augustiniano, Venetijs anno 1617.

Ratione constat etiam; quia ideò convenit prædicta definitio mutationi successivæ, quia est actus entis in potentia, prout in potentia, quatenus est id, per quod acquiritur terminus ad quem, sive ipsa acquisitio termini ad quem, qui revera est forma in factò esse; sed mutatio instantanea, quæ quidem est ipsa forma in fieri, sive fluens, ut ait Scotus II. Met. sum. 4. cap. I. nu. 69. §. & vers. *postquam Philosophus*, est id, per quod acquiritur terminus ad quem, sive ipsa acquisitio istius, qui quidem est ipsa forma in factò esse, ut satis ex se patet: ergo & c.

DISPUTATIO II.

DE INFINITO.

PVNCTVM discutere aggredimur vires finitas, nostri intellectus, maximè ut sensibus alligati, omninò superans. Si enim infinitum vis limitata naturaliter capere posset, certè infinitum non esset. Quo non ob-

stanti, quæ disputari solent de infinito apponemus, maiori brevitate, ac claritate, qua possimus.

SECTIO I.

QVID SIT INFINITVM?

LICET hoc nomen, *infinitum*, negationem significare videatur, nempe negationem finis; tamen communiter apud omnes taliter usurpatur, ut quid positivum significet, quippe entitatem quandam positivam, quæ finis negationem dicat: sicuti *irrationalè* v.g. quòd quidem nomen non puram negationem rationalis significat, sed quandam entitatem positivam, videlicet differentiam essentialè bruti, quæ revera negationem rationalis dicit, ut insinuat Scotus quodl. 6. nu. 6. à vers. *& statim ex hoc*. De hac igitur entitate, quæ negationem finis dicit, quærimus in præsentì quid sit, reduplicativè ut talem negationem dicit, quòd idem est, ac inquirere, quid sit infinitum?

ANTIQUI PHILOSOPHI sic definiunt, sive describunt infinitum: *cuius nihil est extra*. Quæ, ut infinito conveniat, ita, meo videri, intelligi debet, nempe quòd nihil est extra infinitum in illo genere, in quo est infinitum, excedens ipsum infinitum; non verò quòd absolutè nihil sit in illa linea extra infinitum.

Y.g.

V.g. in linea quantitatis illa linea diceretur infinita, si possibilis foret, quam nulla alia posset excedere in magnitudine, etiam si alia, darentur minoris longitudinis, vt essent finita quælibet, vel æquales, vt essent quælibet alia infinita; non verò debet taliter intelligi, quod nihil aliud illius generis detur præter infinitum, nec finitum, nec infinitum, aliàs data per possibile, vel impossibile vna linea infinita, non possent dari alia, nec finita, nec infinita, quod falsum esse, satis ex se patet, & euidenter ostenditur; nam Deus est infinitus in genere, siue in linea intellectiui, v. g. & extra Deum dantur alia intellectiua, nempe homo, & Angelus.

ALIAM DEFINITIONEM, siue descriptionem infiniti tradit Philos. hic tex. 62. his verbis: *Infinitum est, cuius semper est aliquid extra.* Quæ definitio communiter admittitur à Philosophis, & sic etiam frequenter explicatur: *Infinitum est, cuius partibus quibuscumque acceptis, semper restant alia, & alia vsque in infinitum accipiende:* v. g. si à linea infinita (si esset) accipiantur quatuor, vel centum, vel mille, aut plures palmi, semper restant plures, & plures alij palmi accipiendi, ad differentiam lineæ finite mille palmorum v.g. à qua si mille palmi accipiantur, nihil amplius accipiendum restat.

Prædicta namque Aristotelis definitio, ipsiusque Philosophorum explicatio, ita iuxta Scoti mentem (meo videri) debet intelligi, scilicet quod in illo genere, siue linea, in quo est infinitum, numquam possit perueniri ad finem, taliter quod, quocumque excogitabili accepto in tali linea, per quamcumque potentiam finitam, semper habeat plus, & plus in infinitum accipiendum: v. g. dato quod homines possibiles essent numero infiniti, quibuscumque intellectis ab intellectu finito, vel quibuscumque productis à potentia, siue à potentijs quibuscumque finitis, numquam erunt omnes intellecti, nec producti, sed semper restabunt plus, & plus vsque in infinitum intelligendi, & producendi.

Notanter diximus, per quamcumque potentiam finitam; quia per potentiam infinitam dubitari nequit, posse capi taliter infinitum, quod nihil illius restet accipi ultra acceptum, v.g. Deus taliter se capit, & comprehendit suo intellectu infinito, quod in Deo nihil est ultra, quod intellectus Divinus cognoscat, aliàs neque intellectus Divinus esset infinitus, siquidem non sufficeret sua virtus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est Dei; neque Dei cognitio esset sui ipsius comprehensiva (quod est contra fidem, vt in Theol. tract.

de Scientia Dei, disp. 1. sect. 7.) si-
quidem non æquaret intellecti-
vitas intellectus intelligibilita-
ti obiecti, quod ad cognitionem
comprehensivam requiritur, vt
cum Scoto ex D. Aug. propug-
navimus vbi supra. Similiter
dato quod possibilia essent infi-
nita, si Deus omnia producere
non posset, non esset infinita, sed
limitata eius virtus productiva
ad extra, quod dici nequit: &
patet; si hominem possibilem
non posset producere Deus, eius
virtus productiva non foret vir-
tus productiva hominis: ergo pa-
riter si non esset productiva in-
finiti, dato quod infinitum sit
possibile, non esset productiva
infiniti: ergo neque esset infi-
nita.

Expendimus prædictas Ari-
stotelis, & antiquorum Philo-
sophorum infiniti definitiones,
sive descriptiones iuxta Subti-
lissimi Doctoris mentem defi-
nientis, sive describentis infini-
tum in 1. dist. 2. quæst. 2. num. 31.
§. quarta via, vers. aliter arguitur,
sic: *Infinitum est, quod aliquod fini-
tum datum secundum nullam habi-
tudinem finitam præcisè excedit,
sed ultra omnem habitudinem assig-
nabilem excedit adhuc:* ergo iuxta
Scotum, infinitum non debet,
nec potest excedere habitudi-
nem infinitam, nisi quamlibet fi-
nitam: ergo vult Scotus, non
quod extra infinitum in aliqua
linea non detur aliquid in ipsa

linea finitum, quod patet, vt di-
ximus supra, in intellectu Dei,
extra quem datur intellectus An-
geli, & hominis, nisi quod ex-
cedat, non solum hanc habitu-
dinem, sive gradum præcisè, sed
quamlibet habitudinem, & gra-
dum finitum excogitabilem. Ex
quo constat etiam esse iuxta
Scoti mentem explicationem
quam afferimus Aristotelicæ def-
criptionis infiniti, Philosopho-
rumque explanationem, quod
omne amplius ex dicendis con-
stabit.

SECTIO II.

QVO TV PLEX SIT INFINI- tum?

PRIMO dividitur communiter
infinitum, in infinitum per
essentiam, & infinitum per par-
ticipationem. Infinitum per es-
sentiam est infinitum simplici-
ter, & est illud, cuius perfectio est
talis, vt nulla possit excogitari
maior, nec æqualis, quod revera
nullam dicit imperfectionem, ac
per consequens continet in se
identicè omnem perfectionem
incôpatibilem cum qualibet im-
perfectione. Hoc nãque infinitum
est Deus, quem existere fatemur,
& fateri tenemur omnes: ac per-
indè nullum aliud infinitum sim-
pliciter dari posse, neque exi-
stens, nec possibile.

Infinitum per participatio-
nem dicitur infinitum secundum
quid,

quid, de quo an datur, siue an possit dari actū existens, & an datur in potentia, & quomodo? Videbimus infra. Hoc namque infinitum appellatur per participationem, eo quod, si daretur, esset quid creatum, vel actuale, vel in potentia. Dicitur etiam secundum quid, eo quod solum in aliquo genere, siue linea est infinitum: v.g. quantitas infinite extensa, (si daretur) quæ solum esset infinita in linea extensionis, dependeretque à Deo causa prima illam infinite extensam producente. Hoc infinitum, si assignaretur, non solum non haberet omnem perfectionem excogitabilem, verum quam plurimas imperfectiones, vt esse dependens, materiale, &c. ac per consequens nullam in se contineret perfectionem, cum imperfectione aliqua incompatibilem, quæ omnia satis ex se patent.

Infinitum secundum quid, adhuc subdividitur communiter in cathegorematicum, siue in actū, & in syncathegorematicum, siue in potentia. Infinitum in actū, siue cathegorematicum dicitur illud, cuius partes, secundum quas est infinitum actū existant: v. g. quantitas infinite extensa, si daretur existens, cuius partes, secundum quas esset infinita, actū existerent. Infinitum syncathegorematicū, siue in potentia ita explicatur frequenter,

nempè est illud, quod constat partibus actū existentibus, secundum quas est finitum, siue habet finem, & partibus in potentia, secundum quas non habet finem, ac per consequens est infinitum, ita vt quibuscumque partibus illius acceptis, semper in potentia restant aliæ, & aliæ sine fine accipiendæ. Vndè, ista infinita secundum communem intelligentiam solum differunt in hoc, quod partes infiniti cathegorematici existunt omnes, & ex partibus syncathegorematici quedam existunt, & istæ sunt finitæ, & quedam sunt in potentia, & istæ sunt infinitæ.

Deindè, quodlibet ex his infinitis, scilicet cathegorematicum, & syncathegorematicum, est triplex, nempè secundum extensionem, vt quantitas infinite extensa: secundum intensionem, vt qualitas infinitos gradus continens: & secundum multitudinem, vt multitudo infinitis hominibus constans v. g. De istis solet hic disputari, an dentur, vel possint dari in rerum natura? De infinito in actū, siue cathegorematico certum est apud omnes, non dari in rerum natura, neque posse dari naturaliter: quare restat apud philosophos disputare, an possit dari supernaturaliter.

Circa quam difficultatem docent Aliqui, non dari infinitum in potentia, & consequenter re-

pugnare, etiam supernaturaliter infinitum in actu. Alij asserunt, dari infinitum in potentia, & repugnare infinitum in actu, taliter quod adhuc supernaturaliter nequeat dari in rerum natura. Alteri denique defendunt, dari infinitum in potentia, ac proinde docent etiam, non repugnare, saltem supernaturaliter infinitum in actu.

Prima namque sententia est contra Arist. & communem cœtum Philosophorum, qui unanimiter infinitum in potentia cōcedunt; sed dato, quod infinitum in potentia non admittit, bene consequenter negat, posse adhuc supernaturaliter dari infinitum in actu creatum, sive per participationem; quia quod non est in potentia, neque à Deo, adhuc supernaturaliter, produci valet.

Secunda sententia eo modo, quo sumit infinitum in potentia, videtur se contradicere; nam accipit infinitum in potentia, pro infinito possibili: & ait, dari infinitum in potentia, & repugnare infinitum in actu, taliter quod adhuc supernaturaliter nequeat dari in rerum natura: non advertens, quod illud, quod repugnat dari in rerum natura est impossibile; sed aliquid esse possibile, & simul esse impossibile est manifesta contradictio: ergo & dari infinitum in potentia, sumpto infinito in potentia pro infinito possibili, & repug-

nare, adhuc supernaturaliter infinitum in actu.

Tertia denique sententia, magis consequenter loquitur; quia admittit posse dari, saltem supernaturaliter, infinitum in actu, eo quod admittat infinitam in potentia, sumpto pro infinito possibili. Sed contradicit Aristoteli, cunctisque antiquis Philosophis, & (quod peius est) veritati, ut infra videbimus.

Scotus namque dux noster infinitum in actu per participationem, sive creatum negat dari posse, adhuc supernaturaliter: & in aliquibus locis concedit cum Philos. infinitum in potentia: en vna contradictio, ut dicebamus de secunda sententia: in alijs verò locis negat infinitum in potentia: en Scotum consequenter loquentem, siquidem negat posse dari, adhuc supernaturaliter, infinitum in actu creatum, sive per participationem; sed Aristoteli, antiquisque Philosophis, & (quod magis est) sibi met contradicentem.

Ante quam istam apparentem contradictionem Scoti, tam Aristoteli, & Philosophis antiquis, quam sibi met ipsi convinemus, & quomodo infinitum in potentia sumi debeat, declaremus, prius resolvere oportet, quid tenendum sit de infinito in potentia, sumpto infinito in potentia, pro infinito possibili, ex qua resolutione sequitur, resolu-

solatio de infinito in actu creato, ac dependenti; manifestabiturque contradictio secundæ sententiæ concedentis infinitum in potentia, & posse dari, adhuc supernaturaliter infinitum in actu, negantis.

SECTIO III.

AN SUPERNATURALITER
possit dari infinitum in actu?

SUPERONO, quod in præsentia sect. accipimus infinitum in potentia, eo modo quo communiter sumitur à modernis, nempe pro infinito possibili, scilicet pro illo, cuius partes, vel omnes sunt possibles; vel quarum vnæ sunt actuales, & istæ finitæ, & aliæ sunt possibles, & istæ infinitæ, quod quidem est infinitum syncategorematicum, vt manet dictum supra. Omnibus prædictis in hac disp. suppositis.

SIT CONCLUSIO: nullum datur infinitum in potentia, hoc est possibile, neque quod consistet partibus possibilibus infinitis, consequenterque repugnat, adhuc supernaturaliter, infinitum in actu. Arist. probat non dari infinitum hic à tex. 35. vsque ad 41. vt exponit Scotus num. 26. & 27. à vers. *separabile* 4. vbi se citat ad quæstiones, & quæst. 8. in expositione tex. num. 22. vers. *rationabiliter* 6. an-

tem, docet cum Philof. soluni Deum esse infinitum. Similiter quæst. 9. resolvit, non esse possibile infinitum, nisi in imaginatione, vbi statuit etiam non concludere evidenter rationes, quibus Philof. probat, non esse possibile infinitum in extensione. Deinde, Scotus de Rerū principio, quæst. 8. art. 6. §. *alij dicunt*, num. 47. vers. *ad illam similitudinem*, docet cum alijs impossibile esse corpus infinitum, imò infinitum debere esse sine principio, à quo habeat esse, ac per consequens repugnare infinitum præter Deum.

Secundo autem Met. quæst. 6. §. *hic est notandum*, num. 4. vers. *ad rationes*. in oppositum, tenet quod si ponerentur in actu omnes partes infinitæ in potentia, non essent infinitæ: ergo iuxta Scotum nõ sunt possibles partes infinitæ in potentia: quia si essent possibles infinitæ, & omnes possibles ponerentur in actu, essent infinitæ in actu ergo Scotus, licet admittat infinitum in potentia, non sumit, vt illud accipitur communiter, nempe pro infinito possibili. Et §. *ad primum principale*, num. 19. vers. *dicendum aliter*, hæc habet: *Infinitas actualis includit contradictionem circa Deum*; atqui quod includit contradictionem non est possibile, nisi impossibile: ergo infinitum iuxta Scotum non

est possibile: ergo infinitum in potentia, non est infinitum possibile. Hæc etiam asserit in fine quæstionis: *Sicut infinitas est incompossibilis alicui, ita ipsum intelligere sub infinitate est aliquid intelligere sub contradictione.* Quid clarius? Etiam 11. Met. sum. 4. cap. 2. num. 83. vers. *notandum, quod Philosophus, ait cum Arist. infinitum esse simpliciter impossibile.* Docet etiam in dicto cap. quod infinito repugnat habere partes: ergo repugnat infinita quantitas, & numerus infinitus, imò & qualitas, siquidem habet gradus, qui sunt quasi partes. Et etiam repugnare multa infinita: ergo præter Deum quodlibet infinitum repugnat.

Deinde, in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *ex prædictis patet*, num. 35. vers. *ad tertium argumentum dico*, supponit esse impossibile ubi infinitum; & corpus infinitum, ac per consequens quodlibet infinitum creatum. Hæc sunt Doctoris verba: *Si esset aliquod ubi infinitum per impossibile, & aliquod corpus infinitum, &c.* ergo ex Scoto infinitum creatum est impossibile: ergo infinitum in potentia, sive syncategorematicum, quod cum Philosopho admitte, non est possibile. Et dist. 3. quæst. 2. num. 17. §. *quarto dico*, vers. *perfectio autem istius*, sustinet, quod ens infinitum includit omnem perfectionem simpliciter; sed non est possibile ens

creatum includens perfectionem simpliciter: ergo non est possibile ens creatum infinitum: ergo infinitum, quod dicitur in potentia, ex Scoto non est infinitum possibile. Idem docet dist. 8. quæst. 1. num. 5. §. *secundo probo*, vers. *& confirmatur ratio*, ubi ait etiam, nihil posse excogitari perfectius infinito; atqui potest excogitari aliquid perfectius infinito creato: ergo infinitum creatum iuxta Scoti mentem non est possibile. Docetque ibi etiam infinitum non esse componibile: ergo non est possibile ex Scoto infinitum secundum multitudinem, neque secundum extensionem, siquidem ista componit ex unitatibus unam, & ex partibus quantitativis aliud: ergo nullum est possibile; quia non est maior ratio istorum, quam alterius.

Uterius quæst. 3. §. *teneo opinionem meam*, num. 18. vers. *quo autem ad illud*, asserit sic: *Quidquid autem est alicuius generis, quomodocumque sit illius generis, est necessario limitatum; sed quidquid est possibile creatum, est alicuius generis, ut facile probari potest: ergo infinitum creatum ex Scoto non est possibile.* Idem statuit vers. sequenti, & etiam quod quæ conveniunt creaturæ sunt finita; sed nihil est possibile, quod non sit creatura: ergo nihil est possibile, cui conveniat infinitum, sive infinitas.

Et quaest. 4. §. *alia est passio*, num. 13. *verf. quia igitur*, sic ait: *Infinitas repugnat cuicumque, quod non est perfectio simpliciter*, atqui nihil creatum est perfectio simpliciter, siquidem dependens, si est actuale, & ens secundum quid, & diminutum, si est possibile: ergo infinitas repugnat enti creato, tam actuali, quam possibili: ergo non datur infinitum creatum possibile. In 3. denique, dist. 1. quaest. 1. num. 16. §. & *verf. ad argumenta*, ait: *In finito nihil est perfectius*: ergo praeter Deum non est possibile infinitum. Probata iam conclusione Scoti auctoritate, restat illam rationibus probare.

Prob. igitur 1. infinitum non potest excedi, ut docet Scotus in 1. dist. 8. quaest. 1. num. 5. §. *secundo probo*, *verf. secundo ostendo*, & in 4. dist. 49. quaest. 2. num. 19. §. *ad primam questionem*, *verf. ex isto autem*, atqui si infinitum esset possibile, posset excedi infinitum: ergo infinitum non est possibile: ergo non est idem infinitum in potentia, quod cum Philosopho admittit Scotus, ac infinitum possibile. Prima & secunda consequentia sequuntur. Mai. Scoti est etiam Philosophi, & communiter omnium, inter alias, assignantium infinito istam proprietatem, nempe non posse excedi: & videtur per se nota, siquidem quod exceditur ab alio, non potest non habere finem.

Min. in qua potest esse aliqua difficultas, prob. evidenter; quia quomodo potest capi, quod infinita multitudo hominum possibilium v. g. non excedatur in duplo ab infinita multitudine oculorum possibilium? Hoc est ita evidens, quod nullus clarae mentis possit negare; & quidquid ad hoc respondeatur, merum, ac frivolum erit effugium, ut forte videbimus infra.

Prob. 2. ex alijs proprietatibus, quae communiter ab auctoribus tribuuntur infinito, & quas cum Philosopho assignat Subtilis Doctor in 2. dist. 1. quaest. 3. §. *tenentes autem*, num. 20. *verf. ad ultimum argumentum*, scilicet quod infinitum nec est maius, nec aequale, nec minus alio infinito; sed huiusmodi non esset infinitum possibile, si daretur: ergo nullatenus admitti debet infinitum possibile. Mai. ultra quod est communis Philosophorum, videtur satis per se nota, & patet ex praecedenti argumento; quia si vnum infinitum nequit excedi ab alio, evidenter sequitur, quod vnum non potest esse maius alio, & consequenter nec minus. Deinde, quod neque possit vnum esse aequale alteri, constat; quia infinitum debet continere quidquid excogitabile est in illa linea, in qua est infinitum: ergo in illa linea (in qua ad aequalitatem, & inaequalitatem debet fieri comparatio)

nihil restat, quod possit esse æquale. Min. prob. sicut in argumento antecedenti; quia si daretur vnum infinitum maius alio, illud aliud esset minus illo, & consequenter excederetur, & haberet terminum, & finem, vt manet probatum. Insuper, quod si esset possibile infinitum, deberet esse æquale alteri, etiam patet; quia si esset possibilis multitudo infinita hominū v.g. esset possibilis etiam infinita multitudo corporum, & infinita multitudo animarum; sed hoc supposito, infinita multitudo possibilis corporum esset æqualis in numero infinitæ multitudinī possibili animarum, vt ex se manifestè liquet: ergo si infinitum esset possibile, vnum infinitum esset æquale alteri: ergo dicendum est non dari infinitum possibile.

Prob. 3. contra asserentes infinitum in potentia esse infinitum possibile, & concedentes infinitum in potentia, dicentesque repugnare infinitū in actu, ex Scorō in 3. dist. 13. quæst. 4. à num. 2. §. ad primam quæstionem, per totum, propugnante cum Philos. quod quantum est in potentia (sumit hic in potentia pro possibili) potest esse in actu. Arguo sic: si infinitum esset possibile, posset esse in actu; sed per vos, in actu repugnat: ergo non datur infinitum possibile. Mai. ex se patet; quia quod repugnat

esse in actu, non est possibile non alia ratione chimæra non est possibile, nisi quia repugnat esse in actu. Min. conceditur ab adversarijs. Conseq. sequitur.

Prob. 4. conclus. absolute: omnis multitudo finita v. g. potest successivè percurrī: ergo si incipiatur enumerari omnes creaturæ possibiles percurreretur omnis multitudo finita illarum: ergo pervenietur ad numerum quemdam finitorum maximum, cui si vna superaddatur creatura, manebit infinita talis multitudo, cum excedat omnem multitudinem finitam; atqui ex alio cap. infinita non erit talis multitudo; quia nulla multitudo finita potest reddi infinita per vnius unitatis additionem: ergo non est possibilis multitudo infinita.

Si respondeas, hoc argumentum solum probare, quod repugnat multitudo infinita in actu; minimè verò non dari infinita possibilia, ac per consequens neque non dari infinitum possibile secundum multitudinem, sive in numero?

Contra, quia eandem vim habet argumentum contra infinita possibilia, ac contra infinita actualia, siquidem eodem modo potest philosophari contra vnum, ac contra aliud; quia non solum actualia, verumetiam possibilia numerari possunt.

Aliqui respondēt huic argumēto sic

sic distinguendo mai. omnis multitudo finita determinatè sumpta potest successivè percurri, concedo; omnis multitudo finita indeterminatè sumpta, sive vaga, quæ potest in infinitum assignari, nego. Hoc modo respondent, quia asserunt, non dari in multitudine infinita omnium possibilium v. g. aliquam multitudinem finitam finitarum maximam, quæ per unius tantum unitatis, sive creaturæ additionem fiat infinita; sed (affirmant) semper dari aliam, & aliam multitudinem maiorem, ita ut quacumque multitudine finita assignata, alia, & alia restet maior usque in infinitum accipienda.

Imperceptibilis certè solutio. Si enim à multitudine duorum possibilium v. g. percurrantur multitudines possibilium usque in infinitum, addendo in quolibet multitudine unum possibile tantum, quomodo non pervenietur ad aliquam multitudinem, quæ sit infinita? Si hoc modo non pervenitur ad multitudinem, quæ sit infinita, nulla certè dabitur multitudo, quæ sit infinita. Si autem hoc modo pervenitur ad multitudinem infinitam: ergo pervenitur ad aliquam multitudinè finitam, quæ per unius tantum unitatis additionem fit infinita, siquidem tales multitudines percurruntur, incipiendo ab aliqua multitudine finita, & percurruntur suc-

cessivè addendo in qualibet multitudine unicam tantum unitatem: ergo cum, per vos, hoc (ut certum est) non possit esse, neque poterit admitti infinitum possibile.

PROBO ADHVC (& sit secunda conclusio) contra prædictam solutionem, dari multitudinem finitam finitarum maximam, quæ per unius unitatis tantum additionem fiat infinita, casu quo admittatur infinita multitudo possibilis. Arguo in hunc modum: non possunt superaddi isti multitudini possibilium mille v. g. in infinitis possibilibus contentæ infinitæ unitates possibilium, manente adhuc finita post ipsarum additionem, sive prout includit dictas unitates infinitas: ergo unitates, quæ dictæ multitudini addi possunt, adhuc finita manente, solum sunt finitæ: ergo istis additis huiusmodi multitudini, non posset iam assignari alia maior multitudo finita (aliàs ipsi multitudini possent adhuc aliæ superaddi unitates, manente semper finita, quod est contra suppositum:) ergo iam esset tunc illa multitudo inter finitas maxima: ergo si illi unica tantum superadderetur unitas, iam infinita maneret: ergo ne hoc inconveniens sequatur, negandum est infinitum possibile.

Uterius in prædictam solutionem insto, per vos, non potest assignari

assignari in multitudine infinita aliqua finita multitudo, qua non detur alia maior finita: ergo assignatis infinitis multitudinibus finitis, adhuc restabit alia maior accipienda, alias in aliqua ipsarum sistetur, ita ut alia maior assignari non possit: ergo illa multitudo, quae assignetur post infinitas acceptas, istas omnes continebit: ergo erit infinita, & quae ipsam antecedit, erit finitarum maxima. Prob. secunda conseq. quando datur plures multitudines, quarum una excedit aliam suo ordine in una unitate, quae ultimam assignatur, siue maior illarum simul continet, & excedit omnes alias, ut patet in numero centesimo v. g. qui simul excedit, & continet nonagesimum, octogesimum, & alios: ergo si in infinita multitudine possunt assignari infinitae multitudines finitae, quarum una excedit aliam, hac ratione illa, quae assignetur post infinitas acceptas, simul continebit omnes: ergo erit finita, ut supponitur, & simul infinita, ut probatur.

Demum insto contra dictam solutionem, quae instantia militat etiam specialiter contra infinitum possibile in extensione. Arguo sic: cognoscat Deus pyramidem possibilem infinite longam, tunc cognoscat primam lineam post punctum, in quo conveniunt ambae costae, tantum

constare duobus punctis, secunda tribus, tertia quatuor, &c. Deinde, cognoscat omnes lineas, quae essent in pyramide illa: ergo in hoc casu cognosceret Deus, quae essent finitae, & quae infinitae; quia pyramis haberet lineas finitas, & infinitas: ergo cognosceret finitarum maximam; quia nulla esset alteri aequalis, siquidem quaelibet linea excederet ab immediata in uno puncto: ergo linea, quae esset immediate post finitarum maximam, esset infinita per excessum unius puncti dumtaxat.

Negant aliqui, Deum cognoscere in tali pyramide aliquam lineam, quae sit finitarum maxima; quia (asserunt) non datur talis linea; nam, ut dicebant supra, quacumque linea finita assignata, adhuc restat alia, & alia maior usque in infinitum accipienda. Haec solutio iam manet supra impugnata.

Sed adhuc contra illam insto: in tali pyramide debet dari aliqua linea finita, post quam nulla alia finita sequatur, nisi infinita; quia in tali pyramide dantur lineae finitae, & infinitae, & tales lineae non sunt permixtae; quia quaelibet excedit in uno puncto solummodo, quam praecedit: ergo illa linea finita, postquam linea infinita sequitur, erit finitarum maxima: ergo erit infinita solum per unum punctum additionem.

Alteri negant, possibilem esse talem pyramidem; quia de ratione essentiali infiniti est non habere figuram, & de munere essentiali pyramidis est figura.

Sed contra: vel isti concedunt infinitum possibile in extensione, vel non? Si secundum: ergo neque datur infinitum possibile secundum multitudinem; quia nulla est maior ratio vnius, quã alterius. Si primum, arguo sic: ergo in tali infinito secundum extensionem cognoscit Deus aliquod punctum, ex quibus constat: ergo etiam cognoscit aliud, & aliud vsque in infinitum ab vno latere, & similiter quæ sequantur ab alio latere: ergo cognoscit etiam duas lineas infinitas, quæ incipiunt ab vno puncto: ergo cum istæ lineæ proportionaliter se extendant, taliter quod dum cuilibet additur punctum, separentur adinvicem in formam pyramidis, cognoscet Deus pyramidem aliquam infinitam; ac perinde non tenet ista vltima solutio.

Alteri respondent argumento principali, dari in infinito aliquam multitudinem finitam finitarum maximam, cui si vna superaddatur vnititas, reddetur infinita. Similiter concedunt libenter omnia inconuenientia, quæ ex hoc sequuntur. Primum, quod infinitum excederet finitum in vnica tantum vnitatis: similiterque non dari infinitum

excessum, & distantiam inter finitum, & infinitum. Secundò admittunt, quod datur vnum infinitum maius alio, ac per consequens posse infinitum excedi. Tertiò, dari finem, seu terminum in infinito, quæ omnia sunt contra Philof. & ex se patet satis contradictionem implicare.

Prob. 5. concl. si Deus cognosceret infinitos homines posibles v.g. singulos cū singulis anulis etiam possibilibus, vel posset cognoscere quemlibet hominẽ cum duobus anulis, quin cognosceret plures anulos, quàm prius vel non? Si primum, ridiculam effingis chimæram; quia tot, & non plures erant anuli, quàm homines. Si secundum: ergo illi anuli finirentur, & sic nõ essent infiniti, vt supponimus.

Respondent Contrarij, quod hoc non est finire anulos, sed nõ esse tot numeros binarios anulorum, quot sunt homines, quod non implicat, imò (asserunt) est necessarium; quia in infinitis hominibus possibilibus maior est numerus oculorum possibilem, & maior capillorum, quàm hominũ, vt ex se patet.

Certum etiam est, quod hoc, & alia absurda sequerentur, si daretur infinitum possibile, idè: que debet negari, ne tot inconuenientia sequantur.

Aliqui sustinent, non esse inconueniens dari vnum infinitũ maius alio materialiter, nec vnũ

excedi ab alio, nec habere terminum, aut finem materialiter, quomodo omnia hæc sequuntur, admissio infinito creato; non verò formaliter, quomodo esset absurdum.

Sed contra; quia formaliter esset vnum maius alio, & excederetur vnum ab alio, ac per consequens formaliter haberet terminum, & finem, quæ omnia sunt contra naturam infiniti, vt supra manet ostensum: ergo nulla est solutio. Prob. antec. multitudo infinita vnitatum oculorum possibilium v. g. formaliter includeret plures in duplo vnitates oculorum, quàm multitudo infinita hominum possibilium vnitates hominum; sed vt vna multitudo vnitatum sit maior alia formaliter, solum requiritur, quod includat formaliter plures vnitates, quàm alia includit formaliter: ergo infinita multitudo oculorum esset formaliter maior, quàm dicta multitudo infinita hominum: ac per consequens ista excederetur formaliter in duplo ab illa, haberet terminum, & finem formaliter, siquidem formaliter non perveniret vsque ad æquandum illi. Quis namque poterit capere, quod infinita multitudo oculorum hominum infinitorum, non excedit in duplo multitudinem hominum infinitorum, sicuti multitudo oculorum centum hominum? Certè nullus sa-

næ mentis hoc dicit.

Confirmatur ratio: vel multitudo centum hominum est minor formaliter, quàm multitudo ducentorum oculorum eorum, vel non? Si primum: ergo etiam multitudo infinitorum hominum; quia sicut illa est maior in duplo, etiam ista, vt ex se patet. Si secundum: ergo sicut multitudo centum hominum absolutè est minor, licet non sit minor formaliter, quàm multitudo oculorum eorum: ita similiter multitudo infinita hominum, estò nõ sit formaliter minor, quàm infinita multitudo oculorum eorum, erit absolutè minor, ex quo sequuntur omnia absurda prædicta contra infiniti naturam.

Confirmatur deindè; quia hac ratione posset defendi multitudinem centum vnitatum esse infinitam; quia similiter posset responderi, quod formaliter nõ esset minor, neq; excederetur, neq; haberet terminum, & finem, nisi materialiter; atqui hic talis solutio foret nulla: ergo etiam & ibi.

Prob. 6. concl. simili argumento: designet Deus mente sua tot, & non plures Angelos producere, quot sunt dies per totam æternitatem futuri, supposito pro nunc, quod sint dies futuri per totam æternitatem à parte post, tales Angeli erunt numero infiniti iuxta adversarios; quia dies per totam æternitatem futuri,

turi, etiam iuxta ipsos sunt numero infiniti; atqui ex alio capite dicti Angeli sunt numero finiti, quod est contradictio: ergo non est possibilis infinita numero multitudo. Quod prædicti Angeli essent numero finiti, probatur: si Deus in qualibet hora produceret, vel designaret producendum unum Angelum ex assignatis, nulla hora derelicta, non posset in qualibet hora omnium dierum distinctum Angelum producere; quia horarum multitudo excedit multitudinem dierum, ut ex se patet; & consequenter multitudinem Angelorum designatorum diebus; quia istorum multitudo supponitur æqualis multitudinæ dierum; ergo darentur horæ, quibus nullus Angelus producendus corresponderet: ergo cognosceret Deus primam horam, à qua, vel in qua inciperet Angelorum productio, & ultimam, ultra quam nullus esset iam producendus: ergo tales Angeli corresponderent horis tantum finitis: ergo essent finiti.

Huic argumento similiter respondet, ac precedenti, nempe dictas horas, & Angelos non esse finitos, licet habeant principium, ac terminum, aut finem; quia illum habent materialiter; non vero formaliter. Sed solutio ista iam manet supra enervata: cui potest addi, quod prædicti Angeli formaliter incipiunt in pri-

ma hora, & formaliter finiuntur in illa, ultra quam nullus restat producendus, quam, licet nos non cognoscamus, Deum cognoscere negari nequit: ergo formaliter haberent principium, & terminum, sive finem. Omnia præfata argumenta possunt fieri contra infinitum in actu, præter quæ, alia specialia proponam, ad quod.

SIT 3. CONCLUSIO: repugnat, adhuc supernaturaliter infinitum in actu. Ita Scorus in locis supra allegatis, & alijs in pluribus, estque communior sententia, tam Antiquorum, quam Modernorum Philosophorum. Potest suaderi conclusio omnibus ferè argumentis, quibus probata manent duæ præcedentes conclusiones. Deinde, probatur & specialiter de infinito in extensione: si daretur corpus infinite extensum, posset Deus corrumpere, seu annihilare de medio illius partem aliquam, v.g. unam unam, quo supposito, partes illæ, quæ parti corruptæ erant continuæ sive unitæ, diversæ, & separatæ inter se manerent, ut ex se patet. Supponamus deinde, Deum partes illas inter se separatatas approximare, & unire; tunc partes illæ deberent localiter moveri, ac per consequens deberet totum illud corpus moveri, ut etiam ex se constat: ergo relinqueret aliquod spatium, quod antea occupabat: ergo posset iam

assignari illud spatium derelictum pro termino talis corporis: ergo tale corpus esset infinitum, ut supponitur, & esset finitum, ut probatur; hoc est cōtradictio: ergo & quod datur infinitum præter Deum.

Prob. 2. simili argumento: si ab eodem puncto unius corporis infinite extensi ducerentur duæ lineæ, una in orientem, & in occidentem alia, ita ut facerent angulum, quò longiores essent lineæ, magis inter se distarent: ergo si essent infinite longitudinis, distarent infinite; sed hoc implicat, quia daretur tunc infinita distantia clausa illis duabus lineis, tanquam terminis: ergo etiam repugnant lineæ infinite longitudinis. Si respondeant, quod habent terminum materialiter; non verò formaliter, iam supra manent impugnatæ.

Prob. 3. producat Deus quantitatem aliquam, cuius profunditas solum sit palmaris, & tantum versus orientem sit extensa infinite, & postea reducat eam in globum. Rogo nunc: vel ille globus erit infinitus versus omnem partem, vel non? Primum nequit dici; quia repugnat, quod sit infinita versus omnem dimensionem illa quantitas sine nova partium productione, siquidem antea non erat infinite extensa versus omnem partem. Si dicatur, nõ esse infinite extensam

illum globum versus omnem partem: ergo versus nullam; quia quantitas orbicularis æqualiter se extendit versus omnem partem: ergo est finita illa quantitas versus omnem partem; atqui repugnat, quod infinitum reddatur finitum, sine corruptione partium: ergo talis quantitas non erat infinita.

Authores defendentes, dari infinitum possibile, & repugnare adhuc supernaturaliter infinitum in actu, docet, creaturas posibles, imò & quæ producendæ sunt, esse infinitas; & cum hoc stare, repugnare infinitum in actu; quia repugnat (asserunt) omnes illas creaturas actu productas esse, eo quod sint infinite.

Isti reverà non percipiunt, siue nolunt percipere manifestas cōtradictiones, quas involvunt. In primis enim dicunt repugnare produci actu, siue actu esse productas infinitas creaturas; sed quod repugnat produci nõ est possibile, nisi impossibile, ut supra manet dictum: ergo non dantur infinite creaturæ posibles. Deinde, quomodo erit producibile quod nunquam potest esse productum?

Uterius arguo sic cōtra illos: per vos, sunt producendæ infinite creaturæ per totam æternitatem à parte post: ergo talis infinite creaturæ producendæ aliquando erunt productæ. Prob.

conseq. quidquid nunc est producendum, aliquando erit productum: (in hoc enim distinguitur producendum à non producendo, quod producendum aliquando erit productum, & non producendum nunquam erit productum) ergo si sunt producenda infinita creatura, aliquando erunt producta: ergo dum sint producta, verum erit, esse productas infinitas creaturas.

Respondent, quod nunquam erunt producta, ex eo quod sint infinita; nam si essent producta, iam haberent terminum, & finem, qui esset creatura illa, quae ultimo fuisset producta, quod repugnat infinito. Hoc fateor, ideoque debet fateri, non esse producendas, nec posibles infinitas creaturas; nam hoc inconveniens, ac contradictio sequitur evidenter.

Et amplius probo: ideo aliqua entitas est producenda, quia praedefinitum est à Deo efficaciter illam aliquando producere: ergo ideo multa creaturae sunt producenda, quia praedefinitum est à Deo efficaciter illas aliquando producere. Nunc sic; sed eo ipso quod Deus aliquando producat infinitas creaturas, istae aliquando erunt producta: ergo cum, per vos, infinita creaturae sint producenda, aliquando erunt producta infinita creatura.

Urgeo argumentum: nunquam erunt producta creaturae, quas

efficaciter decrevit Deus producere? ergo frustratur decretum efficacis Dei, quod dici nequit, ut evidenter colligitur ex his, quae diximus in Theolog. tract. *De Voluntate Dei*, disp. 5. sect. 3. & expressius, imò & esse contra fidem, patet ex tract. *De Praedest.* disp. 2. sect. 6.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
contra dicta in praesenti sect.

SIT i. argum. probans posse dari creaturam infinitam in sua essentia in aliqua linea: Deus potest producere speciem perfectiorem, & perfectiorem productis in infinitum: ergo poterit creare aliquam infinitè perfectam. Patet conseq. quia in collectione specierum possibilium aliqua infinitè perfectionis reperiri debet.

Resp. neg. antec. quia non est possibilis talis species, ac per consequens negari debet consequentiae probatio. Et patet; quia si in aliqua linea daretur perfectio infinita, ista esset perfectio simpliciter simplex, alias scilicet non esset infinita; sed de ratione perfectionis simpliciter simplicis est esse identificatam cum omni perfectione simpliciter simplici, ut cum Scotto ex D. Anselm. diximus in Theolog. tract. *De Attributis Dei*, disp. 3. sect. 2. ergo cum continens omnem perfectionem simpliciter simplicem sit Deus: te-

pugnat, siue impossibilis est creatura simpliciter perfecta in omni linea: ergo & in vna: ergo & infinita secundum essentiam.

Instabis: (quæ instantia potest etiam formari pro quolibet infinito possibili, quod negamus) ergo potentia productiva Dei ad extra non est infinita. Prob. consequ. illa potentia non est infinita, quæ non potest actum infinitum producere; atqui, per Nos, Deus non potest producere creaturam infinitam in essentia: ergo ipsius potentia productiva ad extra non est infinita.

Resp. dist. consequ. ex parte termini, conc. ex parte sui fundamentaliter, & absolute sumpta, neg. similiter dist. mai. illa potentia non est infinita, quæ non potest actum infinitum producere, si non posse proveniat ex defectu virtutis potentia, conc. si ex impossibilitate actus proveniat, neg. Eodem modo dist. min. & neg. consequ. Solutio patet ex dictis in Theolog. tract. de *Attributis Dei*, disp. 6. sect. 2. subsect. 2. & 3. & sect. 3. & 4. Addo, quod si instantia valeret etiam concluderet potentiam productivam Dei ad extra non esse infinitam in omni linea, sed limitatam, siquidem non potest producere creaturam in essentia infinitam in omni linea, quod non est minus inconveniens; & sic qui aliquid respondeant, respondere possumus.

Replicabis: Deus potest communicare creaturæ infinitatem quoad durationem, & quoad presentiam: ergo etiam quoad perfectionem essentialem in aliqua linea. Prob. antec. quia potuit producere creaturam ab aeterno, potestque conservare illam per totam aeternitatem à parte post, & etiam potest replicare presentiam illius ubique; atqui huiusmodi creatura esset infinita in duratione, & presentia: ergo.

Resp. neg. antec. ad cuius probationem nego primam partem maioris, ut probavimus in Theolog. tract. de *Creatione rerum*, disp. 3. sect. 2. secundam, & tertiam partem concedo, & neg. min. de creatura durante per totam aeternitatem à parte post, & de ubique existente per replicationem presentia. De durante à parte post; quia Deus vult illam semper conservare: imò & de producta ab aeterno, per possibile, vel impossibile, patet ex dictis in Theolog. tract. de *Angelis*, disp. 13. sect. 2. in solutione ad secundam instantiam pro primo argum. à veris. *quare resp. neg. assumptum.* Quod creatura ubique presentia non sit infinita, quoad presentiam liquet; quia non esset immensa (quod idem est) ut constat ex dictis etiam in Theolog. tract. de *Attributis Dei*, disp. 3. sect. 6. & forte ostendemus etiam in lib. 4.

Alia argumenta pro infinito possibili secundum essentiam in aliqua linea omittimus; quia nullum ex quibus assumuntur a contrarijs pro paritate est infinitum, & quia hoc defendere, & probare, non ad Philosophum, nisi ad Theologum spectat.

Sit 2. argum. probans (dato, quod non possit dari actu creatura infinita secundum essentiam in aliqua linea) non esse possibilem supremam creaturam in perfectione essentiali, sed quacumque data, adhuc posse perfectiorem in infinitum a Deo creari sine termino, ac per consequens possibilem esse creaturam infinitam in perfectione essentiali: non implicat, neque ex parte Dei, neque ex parte creaturae, quacumque creatura data, posse Deum aliam, & aliam usque in infinitum, & sine termino perfectiorem in essentia producere: ergo possibilis est creatura infinita in perfectione essentiali. Consequitur evidenter: Antec. quoad primam partem concedimus, ut patet ex solutione precedentis argumenti, quoad secundam probant sic: per huiusmodi processum nunquam pervenitur ad aliquam speciem actu infinitam: ergo &c. Prob. antec. quia quacumque assignata adhuc posset alia perfectior produci; sed infinitum nequit excedi: ergo quaecumque producta erit finita: ergo nunquam poterit da-

ri aliqua actu infinita.

Resp. neg. antec. quoad secundam partem, ad cuius probationem nego etiam antec. & mai. probationem istius. Si enim esset possibilis creatura perfectior usque in infinitum, necessarium foret, quod esset possibilis creatura infinita, ac per consequens quod Deus posset illam producere, alias limitata esset eius virtus productiva. Quod non sit possibilis talis creatura, liquet ex dictis probando; non dari infinitum possibile, quod probant etiam rationes Adversariorum; at in hoc contradicuntur; nam ex vna parte, negant, possibilem esse creaturam infinite perfectam in essentia; & ex alia concedunt, quod ascendendo in perfectione ab aliqua specie, nequit deveniri ad aliquam supremam, qua non detur alia perfectior, sed quod semper restant alia, & alia perfectiores usque in infinitum, quod ex se patet repugnare; si omnes essent finitae in perfectione: ergo ex hoc convincitur debere esse possibilem aliquam infinitam: ergo contradicunt se.

Instabis: species ascendendo in perfectione sunt infinitae syn-categorematicae: ergo sunt infinitae in potentia: ergo sunt infinitae possibiles.

Resp. sumpto infinito categorematico pro infinito possibili, neg. sumpto aliter, ut infra explicabimus, conc. similiter dist.

primum consequens, siquidem pro eodem usurpatur infinitum syncategorematicè, & infinitum in potentia, & neg. ultimam conseq. Infrà enim videbimus quid sit infinitum syncategorematicè, sive in potentia, & constabit, non esse idem, ac infinitum possibile.

Sit 3. arg. in numeris potest in infinitum abiri secundum Aug. 12. de Civit. cap. 18. sed qualibet unitas variat speciem numeri: ergo cum species se habeât, sicut numeri ex 8. Met. 10. poterit in eis dari progressus in infinitum

Resp. dist. mai. potest in infinitum abiri syncategorematicum, sive in potentia, conc. in infinitum possibile, neg. conc. min. suppositumque consequentis, & neg. consequentiam. Infrà dicemus quomodo progrediatur in infinitum syncategorematicum, sive in potentia, quin detur infinitum possibile: & sic debet intelligi D. Aug. allegatus. Eodem modo respondetur ad alia argumenta à paritate, in quibus sumunt infinitum categorematicum, sive in potentia pro infinito possibili.

Sit 4. arg. probans possibilem esse quantitatem infinitam, sive infinitum in quantitate, & sic ex Scoto in 2. dist. 2. quæst. 99. n. 31. §. & vers. *Ad aliud de secundâ de Anima*, asserente dari infinitum syncategorematicum in magnitudine, saltè in corporibus

homogeneis; quia, ut ait, ignis cresceret in infinitum, si continuo apponeretur sibi combustibile: ergo iuxta Scotum datur infinitum syncategorematicum in quantitate.

Resp. verum esse, tam Scotum quam Arist. pluribus in locis concedere infinitum, præter Deum; sed negari nequit, quod in alijs plurimis infinitum in actu præter Deum negant, imò & possibile, ut constat ex allatis pro nostra conclusione, & ex alijs, quæ videri possunt. Quapropter ad omnia argumenta, quæ fiunt ab autoritate, dicendum est, loqui de infinito syncategorematico, sive in potentia; non verò de infinito in actu, nec de possibili. Quid autem sit infinitum syncategorematicum, sive in potentia, & in quo differat ab infinito possibili? Videbimus infrà.

Adde, quod Scotus loco allegato nō dicit, ignem posse crescere in infinitum absolute, nisi sub conditione, si scilicet apponeretur sibi combustibile infinitum, quod verum est; quia si combustibile infinitum esset possibile, etiam esset possibilis ignis infinitus; sed non est possibile combustibile infinitum: ergo neque quod ignis in infinitum creascat. Solutio enim est infinitum syncategorematicum, sive in potentia combustibile, ac per consequens ignis poterit crescere solum usque ad infinitatem

synecathegorematicè, sive in po-
tentia, nec in actu, ergo: nihil est in
actu.

Sit 5. arg. probans, dari infi-
nitum possibile utcumque: infi-
nitum definitur: ergo datur sal-
tem possibile, aliàs frustra defi-
niretur, ut in principio dicitur, aliàs

Resp. dist. antec. infinitum in
actu, vel possibile, neg. infi-
nitum synecathegorematicum, sive
in potentia, conc. & etiam con-
sequens dist. eodem modo.

Instabis: hæc est recta infiniti
definitio, cuius nihil est extra: er-
go tota collectio possibiliū erit
infinita. Prob. conseq. extra col-
lectionem possibiliū nihil pos-
sibile est extra: ergo possibilia
sunt infinita.

Retorqueo argumentum: ex-
tra collectionem creaturarū exi-
stentiam, nihil creatum existens
est extra: ergo creatura de facto
existentes sunt infinitæ; atqui
hoc negas: ergo debes respon-
dere instanti.

Ego autem resp. conc. antec.
intellecta dicta definitione, seu
descriptione, ut illam explica-
vimus supra lect. 1. vers. *Antiqui
Philosophi*. Et loquendo de infi-
nito creato, intellecta de infini-
to synecathegorematico, sive in
potentia, ut expendimus infra.

Sit 6. arg. possibilia non sunt
infinita: ergo sunt finita: ergo
poterit Deus omnia producere:
ergo casu quo omnia produce-
ret, maneret exhausta Omnipoten-
tia, sed hoc est inconveniens:

ergo nec sequatur, concedi debet,
possibilia esse infinita.

Etiam viget Adversarios ar-
gumentam præsens; quia etsi
possibilia sint infinita, poterit
Deus omnia producere, sicuti si
finita essent, quod probo: quia
non repugnaret ex parte possi-
bilitium, aliàs non essent possibi-
lia; nam quod ex se produci re-
pugnat, non est possibile, nisi
impossibile, ut manet dictam
suprà; neque repugnaret ex par-
te Omnipotentia; quia ista est
infinita, & talis non esset, si non
posset infinita producere, casu
quo infinita forent possibilia:
ergo licet possibilia sint infini-
ta, potest Deus omnia illa produ-
cere: ergo etiã maneret exhausta
Omnipotentia in tali casu, sicuti
si possibilia essent finita. Quid-
quid respondeant, respondere
possumus.

Sed tamen resp. conc. primã,
& secundam conseq. & neg. ter-
tiam. Quia licet non posset iam
aliquid de novo producere, pos-
set semper conservare creaturas
productas, quas veller, quod suf-
ficeret, ut Omnipotentia non di-
ceretur exhausta: sicuti intelle-
ctus divinus, qui non dicitur
exhaustus, est nihil de novo
cognoscere possit, eo quod sem-
per cognoscat cognoscibilia.
Deinde, quia, licet in tali casu
nihil posset iam Omnipotentia
producere, hoc non esset ex de-
fectu virtutis illius, nisi ex de-
fectu

fectu possibilem; nam totam suam virtutem retineret Omnipotentia; & solum potest dici, quod exhauritur aliqua potentia, quando omnino deficit ipsius virtus, quod patet in puteo conseruante aquam, qui non dicitur exhauriri, licet deficient varfa ad hauriendam aquam. Unde, in nostro casu potius deberet dici exhauriri possiblea, quam Omnipotentia.

Sit 7. arg. si possiblea essent finita, supponamus esse mille, positis istis, nulla erit repugnantia, vt Deus producat aliud, & posito isto alio, aliud, & sic in infinitum; ergo nullus potest assignari numerus possibleum, vltra quem non possit aliud produci possibile: ergo non continentur in aliquo finito, & determinato numero: ergo sunt infinita.

Resp. neg. antec. & dist. primū consequens: ergo nullus potest assignari numerus possibleum a nobis naturaliter, conc. a Deo, & forte a nobis supernaturaliter, neg. Etiam neg. secundam consequ. & dist. vltimum consequ. ergo sunt infinita in esse possibile, neg. syncategorematicè, siue in potentia, conc. Quale autem sit hoc infinitum? Infra videbimus.

Sit 8. arg. Angelus, & anima separata producant actus intellectus, & voluntatis per totam aternitatem a parte post, siquidem per totam aternitatem erunt

beati: ergo sunt infiniti actus possiblea: ergo datur infinitum possibile. Et patet; quia in aternitate non datur finis: ergo nunquam finietur productio talium actuum: ergo sunt infinita possiblea, quæ nunquam erunt producta.

Resp. 1. neg. antec. Ex eo enim quod durent beati per totam aternitatem a parte post, solum concluditur, quod ipsorum actus beatifici durabunt per totam aternitatem; non verò quod continuo erunt producentes actus de novo sine fine. Ex hoc namque sequeretur, vt manet dictum supra, Deum prædefine, seu decerne re sextiturum, quod nunquam existet, quod repugnat.

Addo, infinitum creatum includere talem contradictionem, quod licet sit cōtradictio dicere, quod per totam aternitatem continuo sine fine erunt producendæ creaturæ, & quod creaturæ producendæ per totam aternitatem non sunt infinita, prius deberet concedi hoc, quam infinitum esse possibile. Et hoc est quod vult dicere Scotus 2. Met. quest. 6. §. Hic est notandum, n. 4. vers. Ad rationes in oppositum, & sequenti, dum ait, quod omnes anime, quæ ponantur ab aeterno generatione perpetua, non erunt actu infinita, (circa quod mentem Doctoris Subtilis infra explicabimus) siquidem idem est

ad infinitatem producibilium
 produci cōtinuò per totam æter-
 nitatem à parte ante, vel sine
 principio durationis, ac per totā
 æternitatem à parte post, vel sine
 fine durationis, vt ex se patet.

Sed instabis: potest Deus vnū
 Angelum v.g. annihilare, & po-
 stea iterum illum producere, re-
 petendo ipsius annihilationes, &
 reproductiones sine fine per to-
 tam æternitatem à parte post: er-
 go sunt possibles infinitæ re-
 productiones Angeli, taliter
 quod nunquam erit posita in esse
 aliqua, (nec erit assignabilis)
 quæ sit vltima, sed quacumque
 assignata, adhuc restabunt aliæ,
 & aliæ vsque in infinitum: ergo
 sicuti sunt numero infinitæ re-
 productiones Angeli, etiā erunt
 numero infiniti Angeli possi-
 biles de novo producendi; quia
 non est maior ratio vnus, quàm
 alterius.

Resp. neg. antec. ob rationes
 dictas à posteriori, siquidem ef-
 fect efficaciter prædefinitæ à Deo
 reproductiones, quæ nunquam
 existent, quod nullus Catholi-
 corum concedet. Hæc est vna, &
 maxima ex contradictionibus,
 quas includit infinitum possi-
 bile, siue quæ ex illo sequuntur.
 Cum hoc stat, Nos, saltem natu-
 raliter, non posse cognoscere in
 quo consistat repugnantia, siue
 impossibilitas reproductionum
 Angelorum, aut quarumlibet
 aliarum entitatum, vltra possi-

biles finitas, ac per consequens
 nec posse assignare, siue nume-
 rare quot sint possible; sed so-
 lum cognoscere à posteriori, siue
 ab inconvenienti, nihil creatum
 infinitum esse possibile, sed im-
 possibile, vt vidimus, probando
 nostras conclusiones, & vltra in-
 convenientia allata, possunt alia
 quamplurima videri in Authori-
 bus infinitum in actu neganti-
 bus; quia omnia, siue ferè cuncta
 argumenta, quæ contra infini-
 tum in actu efformantur, eandē
 vim habent, seruatim seruantis,
 contra infinitum possibile, imò
 nova contradictio est, infinitum
 possibile concedere, & affirma-
 re infinitum in actu repugnare;
 quia, vt diximus supra, nihil
 aliud est esse impossibile, quàm
 repugnare esse in actu, neque
 esse impossibile, quàm non esse
 possibile: estque hoc ita per
 se notum, vt mirari possi-
 mus, quod sana, siue clara mente
 pollentes non vincantur.

Sit 9. arg. ex autoritate Con-
 cilij Constantiensis, vbi damna-
 tur error Ioannis Vvicleff affe-
 rentis, Deum non posse produ-
 cere alias creaturas vltra aliquē
 determinatum numerum; atqui
 si creaturæ possible solum esēt
 numero finitæ, earum numerus
 esset determinatus, & vltra illum
 non posset Deus alias produ-
 cere: ergo, ne contra Concil. sen-
 tiatur, debent admitti creaturæ
 possible numero infinitæ.

Rr

Resp.

Resp. Vvicleff non docuisse hoc in isto sensu, sed quod Deus operatur ad extra naturaliter, taliter quod non potest, nec potuit producere alias, nec magis, nec minus creaturas, præter quas de facto produxit: & etiam asseruit non posse non producere illas. Hoc enim est, quod merito damnat Concilium, & quod nullatenus affirmamus Catholici, tenentes creaturas posibles esse numepo, finitas tantum; sed dicimus, quod licet verum sit, Deum non posse ultra illas, alias producere, non esse ex defectu virtutis in Deo, sed quia non dantur aliæ posibles; posse tamen omnes posibles producere, & non producere, posseque ex illis aliquas producere, & aliquas non, & potuisse non producere hunc mundum, & producere, prout voluerit pro sua libertate, quam Deo negabat Vvicleff, nos concedimus, & Concilium docet.

SECTIO III.

QUID SIT INFINITUM IN POTENTIA, declaratur.

VT expendimus supra, videtur Scotum Philosopho, & sibi met contradicere, ex vna parte concedentem infinitum syncathegorematicum, sive in potentia cum secunda sententia ex relatis, & ex alia negantem posse, adhuc supernaturaliter dari in-

finitum in actu; sed certè Subt. Doctor, neque Aristoteli, neque sibi met contradicit, vt putant omnes, sive ferè omnes Scotistæ, eo quod non capiunt infinitum in potentia, sive syncathegorematicum, vt à Philosopho, & Scoto sumitur, & reverà sumi debet. Accipitur igitur communiter, vt vidimus supra, infinitum syncathegorematicum, sive in potentia pro infinito possibili: ex qua infiniti in potentia acceptione tota prænotata contradictio sequitur.

Quapropter, vt clarè appareat, talem contradictionem in scriptis Scoti non reperiri, placuit in presenti sect. quid pro infinito in potentia, sive syncathegorematico, intelligat Doctor, & intelligi debeat. Itaque infinitum in potentia reverà non est infinitum possibile simpliciter, nec debet sumi simpliciter pro infinito in omni linea, vt citò ostendam, sed pro infinito propriè, & rigorosè, licet in aliqua solum linea, & dependenti, nùm actuali, nùm verò possibili; sed est infinitum secundum quid: nec secundum quid debet accipi pro aliqua determinata linea, vt accipitur communiter, sed impropriè, & in esse cognito tantum ad modum infiniti, nempe non cognoscendo terminum, & finem, hoc est, cognoscendo aliquid, quod reverà habet terminum, & finem in omni linea; & tamen in aliqua linea

linea noster intellectus, saltē naturaliter, & vt sensibus alligatus, nequit invenire terminum, & finem illius, id est, nequit cognoscere, & assignare terminum, & finem illius, imò quacumque parte assignata, sive cognita in illa linea, videtur illi, adhuc esse possibilem aliam, & aliam usque in infinitum. Quod quidem ita illi videtur, non quia ratione non convincatur ad assentiendū dari ibi finem, sive partem, ultra quam non est possibilis alia, sed quia non invenit rationem, ob quam alia non est possibilis, nec assignare potest illam partem, quæ est ultima, sive ultra quam non est possibilis alia.

Vndè, infinitum syncategorematicum, sive in potentia appellatur etiā à Scoto infinitum secundum quid, quatenus ly *secundum quid* cōtraponitur ly *simpliciter* ad modum quo loquendo de ente simpliciter, & de ente secundum quid: & sic sicuti pro ente simpliciter intelligit ens realiter existens, & pro ente secundum quid ens in esse cognito, sive tantum obiectivè in intellectu: ita pro infinito simpliciter intelligit infinitum existens realiter, quale est Deus, & pro infinito secundum quid infinitum in esse cognito, sive tantum obiectivè in intellectu, quale est infinitum in potentia, sive syncategorematicum, pro eodē usurpando *infinitum in potentia*,

& infinitum *secundum quid*, vt patet ex eo quod vtraque appellatione loquatur de eodē infinito.

Circa quod noto, quod cum infinitum existens nullum detur præter Deum; & Deus sit infinitus in omni linea perfectionis simpliciter, hinc fit quod communiter usurpetur *infinitum simpliciter* pro *infinito in omni linea*: non quia, si per impossibile daretur infinitum in vna linea tantum existens realiter, non esset infinitum simpliciter in illa linea: sicuti infinitum, licet in omni linea, in esse cognito solum, sive tantum obiectivè in intellectu, nūm per impossibile, cum fundamento in re, nūm sine fundamento in re, non esset infinitum simpliciter, estò esset in omni linea infinitum, sed esset infinitum secundum quid; quia solū in esse cognito, sive tantum obiectivè in intellectu esset infinitum.

Deindè noto, quod loquendo de infinito, ly *simpliciter*, & ly *secundum quid* non debent usurpari pro *existere realiter*, sive extra animam, & pro *esse tantum obiectivè in intellectu*, sive intra animam; sed tam *simpliciter*, quàm *secundum quid* debent cadere, seu reduplicare supra ly *infinitum*, taliter quod *simpliciter* significet *infinitum propriè*, hoc est, infinitum, quod independenter ab intellectu est infinitum, nūm in esse existentis realiter, nūm in esse possibilis solum; & *secundum*

Rr

quid

quid significet, quod revera non est infinitum, nec existens, nec possibile, nisi tantum obiectivè in intellectu, hoc est, quod profectò (num existat, num sit merè possibile) habet terminum, & finem, & obiectivè in intellectu finem, aut terminum non habet, uti manet explicatum supra.

Hoc modo conciliantur auctoritates Subt. Doctoris negantes infinitum possibile, sive (ut volunt communiter Scotistæ) in potentia, sive syncategorematicum, tam cum ipsius auctoritatibus infinitum in potentia concedentibus, quam cum Philosopho, & etiam aliæ ipsius Philosophi utrumque etiã dicentis, ut vidimus supra.

Noto ulterius, quòd infinito in potentia huiusmodi explicato, cum revera non sit infinitum, nec actuale, nec possibile, nisi tantum obiectivè in intellectu, ut est tantum obiectivè in intellectu etiam conveniunt prædictæ definitiones, seu descriptiones traditæ sect. 1. quia ut concipitur ab intellectu, nihil est extra illud per intellectum in illa linea, in qua concipitur infinitum: similiter quantum concipit determinatum intellectus in illa linea, semper concipit esse possibile magis, & magis usque in infinitum in illa linea.

Deindè, etiam conveniunt illi, ut est tantum obiectivè in intellectu, proprietates quæ in-

finito assignari solent. Et patet; quia mensurari non potest, quæ est prima; quia ut aliquid possit mensurari, debet determinatè cognosci quantum sit; sed intellectus non cognoscit determinatè quantum sit infinitum syncategorematicum, sive in potentia, ut liquet in continuo, cuius nequit determinatè cognoscere quot sint partes proportionales illius.

Uterius, nequit totaliter per intellectum transiri, nec numerari, quæ est secunda proprietas; quia non potest intellectus cognoscere illam partem, ultra quã non sit alia possibilis, imò videtur illi, quod ultra quamlibet assignatam, & assignabilem, datur alia, & alia usque in infinitum: ergo nequit ab intellectu transiri, nec numerari.

Cóvenit illi etiam tertia proprietas, quæ est esse ignotum, & cognosci non posse, quod debet intelligi perfectè, & adæquatè, quod certum est, cum semper maneat aliud, & aliud usque in infinitum cognoscendum.

Quarta proprietas est, nõ posse excedi, nec posse esse maius, & minus, nec æquale. Quæ proprietas, licet ratio convincat contrarium ex vna parte de infinito secundum quid, ut probatū manet supra: ex alia etiam convincitur de infinito eodem; quia supposito, quod non habeat finem, ut est obiectivè in intellectu.

Aut, neque excedi potest, aliàs finiretur, vbi inciperet excessus: ex quo etiam patet, non posse esse maius, nec minus. De non posse autem æquari, non est ita manifestum.

Cùm enim ratio probet posse excedi, & esse maius, & minus, quæquidem sunt cõtra naturam infiniti: hinc est, quod Authores sint divisi, quidam dicunt posse excedi, & esse maius, & minus: ac per consequens non esse proprietatẽ infiniti secundùm quid: quidam verò, proprietatem esse, & sic omnes patiuntur gravissimas difficultates, à quibus Nos sumus immunes; quia dicimus, infinitum secundùm quid reverà non esse infinitum: & sic nihil mirum, quod possit excedi, & esse maius, & minus. Solum namque est infinitum analogicè, & sic non conveniunt illi omnes infiniti proprietates.

Quod autem, infinitum syncategorematicum, sive in potentia non esse infinitum possibile, sit mens Scoti, patet ex 3. Phys. quæst. 9. per totam, vbi de infinito in extensione ait esse impossibile, sive non esse possibile nisi in imaginatione: ergo iuxta Scorum obiectivè in intellectu potest esse infinitum.

Deindè, 2. Met. quæst. 6. §. Hic est notandum, num. 4. vers. Ad rationes in oppositum, & sequenti docet, quod si infinitum in potentia poneretur in actu, iam non


esset infinitum; & ponit exemplum in animabus, si per totam æternitatem à parte ante sine principio durationis vsque nunc continuò fuissent productæ, ait, quod non essent infinitæ, de quibus tenet, quod sunt infinitæ syncategorematicè, sive in potentia: ergo quia sentit, huiusmodi infinitum esse tantum obiectivè in intellectu: & esse infinitum, solum respectu nostri intellectus, modo suprà explicato; quia si sentiret esse infinitum possibile, à fortiori deberet dicere, quod si poneretur in actu, etiam esset infinitum; quia per productionem rerum non mutantur earum naturæ, sed transeunt de vno statu ad aliũ, nempe de statu possibilitatis ad spheram actualitatis: sicuti homo v.g. quia in statu possibilitatis est animal, rationale, risibile, &c. talis est etiam in statu actualitatis.

Vterius, in 1. dist. 3. quæst. 2. §. Quartò dico, num. 20. vers. Ad tertium dico, quod infinitum, ait de infinito potenciali, sive in potentia, quod est ignotum secundum modum suæ infinitatis, qui modus est, accipiendo vnam partem post aliam, quomodo cognoscitur ab intellectu creato, qui cùm non possit cognoscere partem, ultra quam iam non sit altera possibilis, quod cognoscit est finitum, & secundum quod non cognoscit, nempe alias, & alias

alias partes, quæ ipsi videntur
possibiles, quas non cognoscit
est infinitum: ergo quia intelli-
git reverà non esse infinitum,
sed cognosci ab intellectu crea-
to, ac si esset infinitum, nempe
non cognosci finem, nec ratio-
nem, ob quam nõ sint possibiles
aliæ, & aliæ partes in infinitum.

Deniquè, in 2. dist. 2. quæst. 9.
§. Respondeo ad argumentum, n. 30.
vers. Ad illud Philosophi, asserit,
quod continuum est divisibile
in infinitum, hoc est, in partes
vsque in infinitum; sed non in

partes in infinitum perceptibili-
les à sensu: ergo iuxta Scotum
erit divisibile in infinitum in
partes solum per intellectum, &
non per sensum; atqui solum in
potètia, sive syncathegorematicè
sunt infinitæ partes continui,
sive in quas continuum est divi-
sibile in infinitum, vt sustinent
omnes Aristotelici: ergo infini-
tum syncathegorematicè, sive in
potentia solum est per intelle-
ctum iuxta Scotum: ergo tantum
obiectivè in intellectu, vt manet
suprà explanatum.



LIBER QVARTVS PHYSICORVM.



ER decem cap. agit
Arist. in hoc libro de
Loco, tanquam de eo,
in quo corpus natu-
rale existit, & ubi sit motus loca-
lis. Et quia contrariorum eadem
est disciplina, hic etiam de Va-
cuo iuxta rectam disputat me-
thodum. Deindè, cum motus
quilibet, vel sit tempus, vel in
tempore operetur, disse-
rit consequenter
de isto.

DISPVATIO I.

DE LOCO.

QVINQUE priora capita præ-
sentis libri continent ea,
quæ pertinent ad Locum iuxta
Arist. de quibus modò in hac
Disp. pertractabimus.

SECTIO I.

QVID SIT LOCVS.

SIC definit Arist. locum hic
cap. 4. text. 41. Est terminus
continentis immobilis primò, quæ
ad-



admittitur ab omnibus, & pro maiori claritate cōmuniter traditur sic: *Locus est vltima superficies corporis continentis immobilis primo.* Ante cuius explicationem noto, patere ex ipsa, locum non esse spatium occupatum à corpore locato, vt dixere aliqui antiqui Philosophi, siquidem est superficies vltima corporis continentis. Quod breviter probatur: quia illud spatium dicunt esse corpus triuæ dimensionis, & consequenter quantum: ergo essent compenetrata naturaliter duo corpora quanta, scilicet ipsum spatium, & corpus locatum, quod dici nequit.

Ad perfectam intelligentiam loci, traditæque definitionis, observamus iuxta Scotū in 2. dist. 2. quæst. 6. à nu. 6. §. *Ad quæstionem igitur*, vbi multa de loco eruditissimè addūcit, quod locus est concretum accidentale, & relativum, cuius subiectum, siue materia est vltima superficies corporis continentis, & forma est relatio continentis activæ fundata in superficie dicta, & terminata ad corpus locatum, quæ relatio dicitur vbi activum, vt docuimus in Met. tract. 4. disp. 7. sect. 2.

Nunc autem explicatur per alijus partes definitio: particula illa, *vltima superficies*, significat materiam, siue subiectum, in quo forma, siue relatio constitutiva loci fundatur, quæ particula

idem significat, ac illa *terminus*, per quam traditur ab Arist. Illa namque materia, siue pars materialis loci non est totum corpus continens, sed vltima, & indivisibilis superficies, vt ait Scotus allegatus nam. 7. vers. *Exponendo autem*, his verbis: *Divisibile enim secundum illam dimensionem* (nempè in plures superficies) *secundum quam est divisibile, non potest immediate esse applicatum alicui, vt continens ipsum, sed precisum continens alicuius est indivisibile.*

Vndè, propriè loquendo, locus non est ipsum corpus ambiens, & continens aliud, nempe locatum, nisi vltima, & indivisibilis superficies ambiens locatum; etiamsi non tam propriè loquendo, corpus ambiens communiter locus dicitur, quatenus media vltima, & indivisibili superficie ipsius continet locatum. Ratio huius est; quia sic loquendo, possemus dicere plura corpora esse in eodem loco naturaliter, vt omnes pisces in aqua, & aves in aere, v. g. quod nequit dici de loco primo, id est, immediato, & proprio, nisi de communi, & remoto, qualis est aqua v. g. respectu piscium.

Illæ alia particula, *corporis continentis*, significat formam loci, siue id, per quod locus constituitur formaliter in esse loci, quod quidem est continentia activa, quæ, vt diximus, est relatio loci

ad locatum. Et noto, quod *ly corporis continentis*, ponitur, quia superficies non existit nisi in corpore; non verò, ut putant aliqui, ad denotandum, quod superficies, ut sit locus, petit per se esse in corpore; quia, ut docet Scotus allegatus, si per se existeret extra corpus, & ambiret aliquid corpus, esset illius locus, sicuti in corpore existens; quia eodem modo munera loci exerceret, ut quisque facillè videre potest.

Deindè, dicta particula ponitur, ut intelligatur, pertractari hic de loco corporeo: ex vi cuius rei jciuntur aliqui tenentes, locum esse spatium imaginarium, sive vacuum, quod intercedit, sive apprehèditur inter latera corporis continentis. Primò, quia spatium imaginarium, aut vacuum nihil est, sed ad summum cognoscitur ut aliquid, v.g. spatium, quod apprehendimus extra mundum, quod reverà nihil est. Et etiamsi inter parietes alicuius cubiculi nullum esset corpus, in quo casu cognosceremus ad modum alicuius illud ambitum inter parietem, & parietem, quod quidem esset vacuum; atqui locus debet esse aliquid, & reale: ergo non est spatium imaginarium, neque vacuum.

Secundò, quia aqua v.g. non dicitur esse in spatio imaginato inter latera vasis, tanquam in loco artificiali, sed in ipso vase:

ergo non spatium imaginatum inter latera vasis, sed vltima superficies concava vasis est locus artificialis aquæ: ergo idem dici debet de loco naturali.

Vtteriùs, rei jciuntur ex vi particule dictæ asserentes, locum esse ipsum *vbi*, seu præsentiam; quia, ut diximus suprâ, & in Met. loco allegato, *vbi*, seu præsentia est relatio extrinsecus adveniens, per quam locatum est formaliter in loco; sed id, per quod aliquis est formaliter in loco, non est ipse locus (sumpto loco pro materiali, ut loquimur nunc; nam pro formali diximus iam esse *vbi* activum, quod est relatio continentie fundata in vltima superficie concava corporis continentis, & terminata ad corpus contentum) sicuti neque forma est in vnione; nisi in materia; quia vnio est id, per quod forma est formaliter in materia: ergo &c.

Deindè, ponitur, *immobilis*, circa quam est maior difficultas inter Philosophos; sed duce semper Scoto in 2. §. allegato, illam explicabimus brevitate, & claritate, qua possimus. Et priùs supponimus contra aliquos, nõ esse superfluum: & etiam locum naturalem debere esse immobilem ad differentiam loci artificialis, ut est vas cõtinentens aquam, quod localiter cum ipsa aqua est mobilis. Ratio est; quia si locus non esset immobilis, corpus posset simul,

simul, & in sensu composito moveri, & non moveri localiter, quod est contradictio. Patet assumptum: quia mota aqua in vase localiter, moveretur localiter, & simul non moveretur localiter: ergo. Antec. liquet, moveretur, ut supponitur, siquidem vas, & aqua possunt moveri de vna domo in aliam; Deinde, non moveretur localiter; quia ad hoc debet relinqui terminus à quo: ergo cum aqua non relinquat superficiem vasis, non moveretur localiter. Insuper turris, & arbor in aqua, non moverentur, siquidem permanent in eodem loco; sed superficies aeris ambiens turrim, & aquæ ambiens aerem continuò moverentur, & turris, ac arbor transeunt continuò de vna ad aliam superficiem: ergo quin moveantur localiter, moverentur localiter, siquidem transirent de loco ad locum, quod fieri nequit, quin moveantur localiter: ergo ne hæc absurda concedantur dici debet, locum debere esse immobilem.

Difficultas igitur circa dictam particulam stat in assignando, quomodò debeat esse immobilis locus, cum iste sit vltima superficies ambiens locatum; & ista continuò moveatur, & mutetur, ut vidimus de turri, & arbore in aqua. Circa quam, relictis varijs dicendi modis, ita immobilitatem loci explicamus cum Scoto in 2. allegato, scilicet quod, ut

locatū moveatur de loco à quo ad locum ad quem, necessariò debeant esse immobiles locus à quo, & locus ad quem; quia si locus à quo moveretur cum ipsa re locata, vel locus ad quem veniret ad ipsam, non diceretur talis res moveri localiter: v. g. si vltima superficies vasis esset locus aquæ, dum vas aqua plenum movetur localiter, aqua nō moveretur localiter, quod est falsum: & patet, quia ad motum requiritur relinquere locum, in quo res, quæ movetur, existit ante motum, & novum locum acquirere; atqui in dicto casu aqua non relinquit vltimam superficiem vasis, neque aliam novam acquirit: ergo vltima superficies vasis non est locus aquæ, eo quod nō est immobilis. Deinde, licet nova superficies adveniat rei locatæ, non dicitur ista à suo loco moveri, ut patet in turri, & arbore in aqua: ergo quia ut vltima superficies sit locus, debet esse immobilis.

Vndè, dicendum est cum Subtili Magistro adducto, locum, tam pro materiali, (quomodò est vltima superficies concava ambiens rem locatam) quam pro formali (quomodò est relatio continentie activæ fundata in prædicta superficie, & terminata ad rem locatam) habere immobilitatem oppositam motui locali omnino, & incorruptibilitatem secundum equivalentiam per co-

parationem ad motum localem. Expressa verba sunt Scoti allegati num. 8. vers. *Dico igitur*. Quæ ita expendimus: tunc solum dicitur rem moveri de vno loco in alium, quando variatur ipsius distantia à centro mundi, & alijs partibus immobilibus ipsius: & quando eandem distantiam conservat, dicitur non moveri localiter, quod patet in exemplis supra adductis: nam turris v.g. Cæsaraugustæ existens, licet superficies aeris ambientis continuo varietur, & licet vna corrumpatur, & adveniat alia, turris semper dicitur esse in eodem loco, ac per consequens non moveri localiter: sic ad proportionem si aqua cum vase feratur à Cæsaraugusta ad Matritum, licet ambiatur ab eadem superficie vasis, dicitur mutare locum; atqui hoc non potest esse, nisi quia turris semper est in eadem distantia respectu centri, & aliarum partium immobilium mundi; & aqua in vase movetur localiter, estò ab eadem vasis superficie ambiatur; quia alia est distantia à dictis partibus, aqua Cæsaraugustæ existente, ac existente Matriti: ergo &c.

Ex dictis patet, quomodo superficies corporis continentis est immobilis æquivalenter, & incorruptibilis; quia licet abeat, aut corrumpatur vna, & consequenter relatio continentis activæ in illa fundata, quæ advenit, continet, & ambit rem locatam

in ipsissima eadem distantia respectu centri, & partium immobilium mundi; & si superficies continens moveatur cum re contenta, non ob hoc turris dicitur non moveri localiter in casu dicto, & aqua in vase non moveri: vnde, superficies de novo adveniens æquivalet illi, quæ abiit, aut perijt; non verò superficies vasis æquivalet superfici ei immobili. Et hoc ita est, quia finis loci, si sit idem, est continere rem locatam in tali, vel tali distantia à centro, cæterisque partibus immobilibus mundi.

Quod explicat Scotus adductus num. 9. vers. *Exemplum huius*, his verbis: *Hæc vox homo quotiescumque prolata dicitur vna vox numero, & distingui ab hac voce lapis numero: cum tamen non possit eadem vox numero bis proferri, ita quod quot sunt prolationes, tot sunt voces distinctæ numero: & hæc vox homo, & hæc vox lapis non tantum numero, sed etiam specie distinguuntur: tamen quia ad finem vocis, scilicet ad exprimendum conceptum per æquivalentiam sunt idem numero homo, & homo, lapis, & lapis quotiescumque prolata: ideò dicuntur esse vna vox numero respectu illius finis.* Eodem modo, servatis servandis, locus dicitur immobilis, vt applicat Scotus exemplum vers. sequenti.

Denique, particula illa *primo*, vel *primus*, pro immediato, quasi dicat *ultimus terminus pri-*

mus, sive immediatus rei locatæ; quia Phil. divisit locum in communem, & proprium: communis est, qui ita continet locatum, ut etiam alia plura præter ipsum contineat, sic aqua dicitur locus piscium. Proprius est, qui ita continet locatum, ut ei sit immediatus, & adæquatus, & præter ipsum non contineat aliud, & hic est locus definitus ab Aristotele, & ideo posuit particulam primo, sive primus. Omnia dicta in præsentis sect. docet Subtilis Doctor ultra in loco citato, hic quæst. 1. 2. & 3.

Aliquæ affectiones tribuntur loco à Scoto in locis allegatis, ab alijsq; Authoribus ex Philos. & etiam rei locatæ, quas brevitate gratia omittimus, & etiam quia ex dictis in præsentis sect. & ex dicendis infra per totam disp. saltem de principalioribus, sufficienter constabit, quæ sint? Et quomodo, sive in quo sensu loco conveniant suæ, & suæ rei locatæ?

SECTIO II.

QUIBUS REBUS CONVENIAT esse in loco?

DOcent aliqui, res omnes esse in loco, etiam Deum per suam immensitatem, per quam est præsens in omnibus rebus; sed non esse in illis, tanquam in loco, diximus iam in Theolog. tract. de *Attributis Dei*, disp. 3. sect. 6. vers. *Ad clariorem*

immensitatis. Alteri negant, non solum Deum esse in loco, sed etiam Angelos; at Angelos esse propriè in loco, propugnativimus cum Scoto etiã in Theolog. tract. de *Angelis*, disp. 10. sect. 2. loquendo igitur de rebus corporalibus, de quarum loco agit hic Arist.

SIT CONCLUSIO: corpora omnia, excepto ultimo Cælo, sunt in loco. Conclusio quoad primam partem colligitur ex Scoto hic quæst. 1. num. 5. vers. *Ex his sequitur*, & quoad utramque tenet illam expressè cum Philos. quæst. 4. in exposit. text. num. 12. vers. *Cui igitur corpori*, & sequenti; sed clariùs, & expressius in 2. dist. 2. quæst. 6. §. *Ad questionem igitur*, num. 7. vers. *Exponendo autem*, & quodl. 11. à num. 3. §. *De primo dico*. Ante conclusionis probationem noto, Nos Loqui cum Scoto actualiter; nam aptitudinaliter certum est, ultimam spheram posse esse in loco; quia potest Deus aliam spheram creare supra illam, cuius vitima superficies ambitet spheram, quæ de facto est vitima; at quæ est vitima, de facto non est in loco.

Prob. 1. concl. quoad utramque partem ex Phil. 4. Phys. 43. ubi ait, non esse in loco, quod non habet aliud corpus extra se continens, & quod habet extra se continens esse in loco; atqui omnia corpora præter ultimum Cælum sunt huiusmodi, ut ex se patet: ergo &c.

Secundò prob. ratione : locus est superficies corporis continētis, ex dictis scēt. antecedēti: ergo quod nō continetur in alio corpore, non est in loco, & quod continetur est in loco: ergo omnia corpora, excepto vltimo Cœlo, sunt in loco.

Respondent aliqui, aliter debere assignari locum vltimo Cœlo, & aliter corporibus inferioribus; quia ista sunt in loco ratione corporis extrinseci ipsa ambientis; & vltimum Cœlum est in loco ratione centri, circa quod movetur.

Sed contra: quia locus debet continere locatum, vt patet ex illius definitione; sed centrum non continet Cœlum, imò è cōtra, licèt mediātè: Deindè, à nullo alio continetur vltimum Cœlum: ergo. Vltimum namque Cœlum est locus illorum, quæ continent: & sic potest dici (dato quod moveatur) moveri localiter, quoad locare, sive quoad vbi activum; non verò quoad locari, seu vbi passivum, quatenus continud acquirat alium, & alium respectum continentis ad contentum in ordine ad corpora inferiora, vt docet Scot. quodl. II.

Aliqui Thomistæ respondent, vltimum Cœlum esse in loco ratione suarum partium, quatenus vna pars cōtinetur in alia, vt in loco.

Contra primò; quia licèt ita esset nunquam salvatur, quod vltimum

Cœlum sit in loco; nisi quod partes illius sunt in alijs ipsiusmet partibus, vt in locis earum, quod non est Cœlum absolute esse in loco.

Contra secundò; quia, vt docet Arist. 4. Phys. 34. & 44. neque totum propriè est locus partium, nec vna pars locus alterius. Ratio est, quia vna pars cōtinuatur alteri; non sic locus locato, cui solùm est contiguus, non continuus. Deindè, vna pars nequit moveri de vna in aliam; bene verò res locata de vno in alium locum: ergo &c.

RESPONDETUR ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum auctoritate Arist. 4. Phys. text. 1. & 13. vbi ait, omne corpus esse in loco, quod prius docuerat in 3. text. 54. Deindè, in specie hoc asserit de Cœlo, text. 32. ea ratione, quia semper est in motu explicans, quomodo id esse possit, ait, Cœlum esse in loco per accidens., hoc est, per partes. Nec respondere valet (asserunt) per totum Cœlum intelligere vniuersum constans ex pluribus corporibus, & Orbibus, quorum vnus alium continet, & hoc est esse in loco ratione partium. Quia Phil. tenet, omnes partes cœli esse quodammodò in loco.

Resp. quandò Arist. in exordio 4. Phys. dixit, omnia esse in loco, loquebatur secundum com-

munem illius temporis exitima-
tionem: tunc enim vigeat ten-
tentia de spatio supra impug-
nata; & iuxta hanc sententiam
certum est, omnia esse in loco;
at postea in progressu opinionē
istam rejicit: in 3. autem specia-
liter loquebatur de corporibus
sublunariis, scilicet de gravi-
bus, & levibus, vt patet ex ipso
contextu. Sic etiam text. 32. allo-
quitur secundum vulgarem, vt
liquet ex verbo *putamus*; huius
autem ratio, quam ibi subdidit,
ex motu desumpta infra dilue-
tur: & denique text. 45. accipit
Cælum pro vniuerso, vt exponit
Averf. text. 43. & 53. dicens esse
Themistij, & inquit esse in loco
ratione partium, quatenus vna
pars vniuersi locatur in alia, ter-
ra nempe in aqua, aqua in aere,
vt ipsemet Arist. explicat text.
46. & est communis Expositorū
opinio; particula autem *quodam-
modo*, vt notavit Averf. non ca-
dit supra esse in loco, sed supra ly
omnes, & idem sonat, ac *ferè*, vel
quasi, vt sensus sit, *omnes ferè par-
tes vniuersi esse in loco*, quia reve-
rà omnes sunt in loco præter
vnam, quæ est Cælum supremū.

Sit 2. argum. vitimum Cælum
mouetur localiter in Orbem: er-
go debetur ei locus, in quo fiat
iste motus, & à quo denomine-
tur localis, præcipuè cum locus
inventus sit propter motum lo-
calem ex ipso Arist. text. 32. Nec
valet respondere, vitimum Cæ-

lum apud Theologos esse Emphy-
reum, quod ponitur immobile,
vt sit apta Beatorum sedes, quia
difficultas saltē vrget apud Phi-
losophos, & etiam premere va-
let Theologos, quia posset move-
re Deus etiam Cælū Emphyreum.

Resp. supposito quod vitimum
Cælum moveatur localiter, dist.
antec. movetur localiter secun-
dum locare, conc. secundum lo-
cari, neg. siue secundum vbi acti-
vum, conc. secundum passivum,
neg. vt manet iam supra explica-
tum ex Scoto quodl. 11. Quam-
vis autem dicat Arist. text. 32. lo-
cum inventum esse propter mo-
tū localem; non tamen sustinet,
inventum esse necessariò prop-
ter motum lationis; quia motus
lationis de se indifferens est, vt
fiat in pleno, vel in vacuo, dato,
quod dicatur, corpora posse mo-
veri in vacuo. Deindè, gratis di-
citur, motum Cæli ex eo capite,
quod continuò secundum partes
variat vbi passivum, non esse lo-
calem, sed tantum præsentialem;
est tamen localis ea ratione, qua
continuò variat vbi activum;
quæ, vt diximus supra, tam vbi
passivum, quam activum nata
sunt terminare motum localem.
Et eodem modo dicendum foret,
si difficultas fieret de Emphyreo ex
hypothesi, quod moveretur.

Sit 3. arg. corporeitas est ratio
essendi in loco circumscriptivè;
ergo omnia corpora sunt in lo-
co eo quod corpora.

Resp.

Resp. ex Scoto quodl. II. art. I. dist. antec. est ratio fundamentalis essendi in loco, conc. formalis, neg. & etiam consequentiam. Ratio formalis essendi in loco est ubi; quod quidem est relatio extrinsecus adueniens, ut expendimus in Met. sine qua potest esse fundamentum, nempe non posito termino, vel non approximatis fundamento, & termino.

Instabis: quantitas est ratio formalis essendi in loco 4. Phys. 79. ut notat Scotus in 4. dist. 10. quæst. 3. sed supremum Cœlum est quantum: ergo est in loco.

Resp. neg. mai. quia est relatio dicta. Scotus namque improprie, ait, esse rationem formalem essendi in loco quantitatem, nempe sumpta ratione formali pro fundamentali proxima, ut albedo essendi simile v. g. Hoc docet Doctor in 4. allegatus §. *Conclusio est*, num. 5. vers. *Ad secundum dico*.

SECTIO III.

AN DVO CORPORA QUANTA possint esse in eodem loco?

SIT I. CONCLUSIO: repugnat naturaliter, duo corpora quanta esse simul compenetrata in eodem loco. Concl. est certa apud omnes, quam ut in dubitatam supponit Scotus in 4. dist. 49. quæst. 16. Ultra quam cō-

stat etiam experientia, præbui-
mus rationem iam in Met. tract. 4. disp. 3. sect. 1. subsect. 2. nempe, quod quantitas est naturaliter impenetrabilis cum alia quantitate.

SIT 2. CONCLUSIO: de potentia absoluta Dei possunt duo corpora quanta penetrari, & esse in eodem loco. Etiam est Scoti allegati: & nullus Catholicorum sine temeritatis nota negare audebit. Et constat ex pluribus Sacrae Scripturae testimonijs, in quibus asseritur, Christum D. prodidisse in lucem, intemerato claustro SS. Virginis Mariae: Discipulis post Resurrectionem apparuisse, ianuis clausis, &c.

Ratio est: quia corpora quanta, vel se expellant ad invicem ab eodem loco efficienter, vel formaliter: si efficienter, Deus potest impedire effectum causae efficientis, ut patet in igne Babyloniae: si formaliter, cum se expellant, eo quod iuxta naturam quantitatis exigant se expellere, poterit Deus plura in eodem loco conservare contra exigentiam eorum, quia Deus potest contra exigentiam creaturarum operari.

Contra primam conclusionem solent adduci aliqua experientiae apparentes, videlicet, quod si in vase pleno aqua ponantur numi aliqui, continebit totam aquam, & numos simul. Similiter vas plenum cinere tantam aquam

aquam continet, ac si cinerem non haberet: ergo quia talia corpora naturaliter penetrantur, & sunt simul in eodem loco,

Quibus, & similibus experientijs resp. neg. quod vas si sit omnino plenum vno corpore quanto, possit introduci aliud, quin præexistens expellatur. Si enim vas sit ita plenum aqua, quod plus aquæ continere non possit, quin evertatur præexistens, neque numos poterit continere, quin evertatur aqua in tanta quantitate, quanta sit numorum, qui introducuntur. Similiter dico, quod vas plenum cinere non admittet tantam aquam, quantam si cinerem non haberet. Admittet verò multam, non quia penetraretur aqua cum cinere, sed quia ad introductionem aquæ expelluntur quedam corpuscula quanta aeris inter cinerem contenta, quorum spatium, sive locum replet aqua. Pariter respondetur ad argumentum, quod fit de rarefactione, & condensatione, ut videri potest in Met. tract. 4. disp. 4. sect. 1. subsect. 3. ex cuius text. subsect. 2. & 3. satisfit etiam argumentis, quæ contra 1. concl. fieri possunt,

Ad alia argum. solvenda, quæ cōtra 2. concl. possunt efformari, noto, quod si duo corpora quanta essent in eodem loco, moto localiter vno, moveretur & aliud, si Deus vellet talia corpora distincta loca non occupare.

Deinde, si ambo essent æt. iva, & æqualis virtutis ad invicem, quodlibet impediret aliud, ne in ipsum ageret, & illud destrueret: si verò vnum esset fortioris virtutis destrueret aliud naturaliter, ut si ignis penetraretur cū ligno; sed tamen Deus impedire posset effectum ignis, & lignum sic penetratum conservare. Denique, si corpora penetrata essent eiudem coloris, ut duo alba, viderentur, sed non discernentur. Si verò essent colorum distinctorum, quasi confunderentur colores, & viderentur quasi vnus color mixtus duorum.

SECTIO IV.

AN IDEM CORPVS QUANTUM possit esse simul in pluribus locis?

AD questionis resolutionem noto, dupliciter posse rem esse in loco, nempe inextensè, seu diffinitivè, & extensè, seu circumscripтивè. Tunc dicitur res esse inextensè, & diffinitivè in loco, quando taliter est præsens loco divisibili, ut tota sit in toto spatio, seu loco, & tota in qualibet parte loci, seu spatij, hoc modo est Angelus in loco divisibili, & anima rationalis in corpore humano. Et tunc dicitur res esse in loco extensè, ac circumscripтивè quando in loco extenso, & determinato est taliter extensa, ut
tota

tota correspondeat, siue sit in toto loco, & singulæ partes eius in singulis loci partibus, taliter quod nulla pars rei locatæ sit in spatio, siue loco alterius. De re incorporea, ut est Angelus, diximus iam in Theolog. tract. de Angelis, disp. 10. sect. 3. & 4. non posse naturaliter esse simul in pluribus locis adæquatis. Quare difficultas præsens, loquendo naturaliter, restat solum de re corporea, & quanta.

SIT 1. CONCLUSIO: nulla res corporea, & quanta potest naturaliter esse simul in duobus locis adæquatis. Hæc concl. patet ex dictis in Theolog. ubi supra; quia si Angelus non potest esse simul naturaliter in duobus locis adæquatis, ut docet Scotus in 2. dist. 2. quæst. 7. multò minus poterit idem corpus, ut satis ex se liquet. Deindè, de eodem corpore supponit nostram concl. Doctor Subtilis in 4. dist. 10. quæst. 2. quæ sic prob. locus adæquatus est, quem corpus iuxta limitationem suæ substantiæ, vel quantitatis, & ad quem replendum se movet secundùm ultimū suæ potestatiæ motricis: ergo non potest naturali virtute plura talia loca adæquata replere. Hæc enim tolleret limitationem virtutis, & quantitatis corporis: & locus, quem supponimus adæquatum, non esset adæquatus.

SIT 2. CONCLUSIO: supernaturaliter potest idem corpus

esse in pluribus locis adæquatis incircumscriptivè, seu definitivè. Concl. est omnium Catholicorum, & supponitur à Scoto in 4. allegato. Et docet illam fides de corpore Christi D. in pluribus hostijs consecratis incircumscriptivè existente.

Ratione prob. quia esse in pluribus locis nihil est aliud, quàm habere plures præsentias, seu plura ubi ad plura loca; sed non repugnat simul plures præsentias, seu plura ubi habere idem corpus ad plura loca: ergo. Mai. patet; quia esse in loco nihil est præter entitatem corporis, & entitatem loci, nisi præsentia, seu ubi, ut manet dictum supra. Min. prob. quia ubi, seu præsentia est relatio extrinsecus adveniens, ut in Met. tract. 4. disp. 7. sect. 2. sed non repugnant simul duæ relationes eiusdem speciei in eodem fundamento ad diversos terminos, ut diximus etiam ubi supra disp. 6. sect. 6. ergo non repugnant in eodem corpore duæ præsentia, si ve duo ubi ad duo loca: ergo neque quod idem corpus sit in duobus, vel pluribus locis.

Quod autem possit Deus ponere corpus modo indivisibili in loco divisibili, patet ex eo quod possit facere, quod quantitas penetraret: & consequenter quod partes corporis quanti sint inter se taliter penetratæ, ut omnes in indivisibili existant: deindè sic positus, vel positus toto

corpore in indivisibili, sicut anima rationalis est tota in qualibet parte corporis, & tota in toto corpore, potest Deus facere, quod corpus modo indivisibili existens sit totum in qualibet parte loci divisibilis, & totum in toto loco.

SIT 3. CONCLUSIO: potest supernaturaliter idem corpus simul esse circumscriptione in pluribus locis. Est expressa Scoti in 4. dist. 10. quæst. 2. Prob. 1. concl. ex quibusdam apparitionibus Christi D. factis, v.g. Paulo Damascum petenti, & Petro Romæ deferenti: quibus in casibus dicere Christum D. reliquisse Cælum, non videtur consonum Sacrae Scripturae; nam ex ipsa habemus, Christum D. non relicturum Cælum corporaliter, nisi in die iudicij, Act. 3. *Quem oportet Cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*, & Aug. confirmat relatus de consecrat. dist. 2. cap. 1. *Hæres. Donec finiatur sæculum, sursum est Dominus.*

Resp. aliqui Thomistæ, nõ esse incõveniens in illis casibus per brevem morulam Christum D. reliquisse Cælum, & dicunt, Scripturam, & Aug. solum intendere, Christum D. ante iudicium non recessurum à Cælo per spatium temporis notabile.

Sed contra, quia neque in die iudicij relinquet Cælum, nisi per brevem morulam, in qua fiet iudicium: ergo allata Tho-

mistarum explicatio non est ad sensum Scripturae, & Aug.

Alij respondent, tales apparitiones fuisse imaginarias, quod tenent etiam de alijs Sanctorum apparitionibus in diversis locis.

Contra, quia prædictæ apparitiones Christi D. enumerantur à D. Paulo 1. ad Corinth. 5. inter eas, quæ confirmant veritatem Resurrectionis Christi D. ergo fuerunt veræ, & reales, & non imaginariæ.

Prob. 2. concl. ratione Scoti: non repugnat, quod idem corpus sit circumscriptione in vno loco, & simul in alijs definitivè, ut de corpore Christi D. constat: ergo neque quod sit simul in pluribus circumscriptione. Pater contra seq. quia esse definitivè est difficilius, & sunt duo miracula necessaria, vnum facere corpus existere modo indivisibili, & aliud ponere illud in pluribus locis; at ponere circumscriptione est facilius, siquidem connaturalius, ad quod solum vnum requiritur miraculum: ergo &c.

Respondeat Thomistæ, difficilius esse hoc secundum, in nõ impossibile, quia sequerentur contradictoria, quæ quidem non sequuntur ex primo. Sed nulla sequi contradictoria, patebit ex solutione argumentorum.

Secundò respondent, repugnare nostrum assertum, quia vna presentia circumscriptione vnius corporis est ab intrinseco incõ-

patibilis cum alia eiusdem corporis.

Contra, vna præsentia circumscriptiva non est incompatibilis cum alia diffinitiva: ergo neque cum alia circumscriptiva. Prob. conseq. si hoc repugnaret, maximè quia per præsentiam circumscriptivam fit corpus præsens adæquatè, & nequit esse præsens adæquatè, nisi per vnicâ præsentiam; sed etiam per præsentiam diffinitivam fit corpus præsens adæquatè: ergo si cum vna circumscriptiva non repugnat alia diffinitiva, neque alia circumscriptiva repugnabit.

Respondent deinde, quod cum præsentia circumscriptiva, & diffinitiva sint diversi generis, potest illas simul habere idem corpus; minimè verò vtramque circumscriptivam, cum sint eiusdem generis.

Contra, quia etiam præsentia diffinitiva est adæquata, sicut circumscriptiva, siquidem etiam per illam fit corpus adæquatè præsens; & compatiuntur duæ præsentia diffinitiva, vt patet in corpore Christi D. licet sint eiusdem generis: ergo similiter compatiuntur duæ circumscriptiva.

Prob. 2. concl. ex paritate posita: magis repugnat poni idem corpus circumscriptivè in vno loco, & simul diffinitivè in alio, quàm circumscriptivè in vtroque: ergo si primum non repugnat, neque secundum. Prob. anteq.

magis repugnat, quod quælibet pars corporis sit in qualibet parte loci, & totum in qualibet parte, quàm quod quælibet pars solum sit in parte loci sibi correspondente; sed primum est esse diffinitivè, & secundum circumscriptivè: ergo magis repugnat primum, quàm secundum.

Confirmatur: quia magis repugnat, quod in eodem subiecto sint duæ formæ, quarum vna potest haberi naturaliter, & altera solum supernaturaliter, quàm duæ, quas potest naturaliter, licet successivè, haberi: ergo magis repugnat, quod idem corpus simul sit in duplici loco, in vno per præsentiam circumscriptivâ, & in alio per definitivam (quæ quidem solum supernaturaliter potest haberi) quàm in vtroque per circumscriptivas, quæ reverà possunt naturaliter haberi divisivè.

Aliter respondent ad paritatè illam negando; quia (asserunt) quod corpus sit in duobus locis, in vno per proprias dimensiones, & in alio sacramentaliter ex vi conversionis alterius in ipsum, vt est de corpore Christi D. quod est in Cælo ratione propriæ dimensionis, & in Sacramento ex vi conversionis substantiæ panis in ipsum, nulla est implicancia; at verò implicat, quod quantitas, quæ est ratio occupandi vnum locum, sit ratio simul occupandi alium.

Sed contra arguit Doct. Subtilis

lis allegatus: conversio alterius in istud non est isti formaliter ratio essendi hic; quia transeunte conversione manet terminus conversionis hic: ergo absque contradictione potest alicui conferri esse hic sine conversione alterius in ipsum: & sic potuit Sacramentum Eucharistiæ institui, absque eo quod desineret substantia panis, vt probat Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. §. *Quicquid sit*, num. 12. vers. *Si etiam daretur*. Deinde, falsum est, quantitatem esse rationem essendi in vno loco tantum; quia licet hoc verum sit de vbi, etenim hoc est determinata ratio formalis essendi hic, vel ibi, vt multoties manet dictum, tamen quantitas est de se indifferens ad occupandum hunc, vel illum locum: & sicut naturaliter potest fundare multas præsentias successivè ad diversa loca, ita supernaturaliter potest illas fundare simul, nec ad multiplicationem posterioris, qualis est præsentia, sequitur necessariò multiplicatio prioris, qualis est quantitas.

Respondent adhuc, quod species panis derelicta post conversionem est corpori Christi D. ratio existendi in hostia, vnde in Cælo est circūscriptivè per proprias dimensiones; in Sacramento autem per alienas, nempe per dimensiones hostiæ consecrate, in quo nulla apparet im-

Sed contra, quia hoc est merum effugium; quia, vt arguit Scotus quæst. allegata, & quodl. 11. n. 9. à §. *De secundo principali*, species illa, seu dimensio hostiæ non est formaliter in corpore Christi D. ergo non est ratio corpori Christi D. essendi formaliter in loco; atqui corpus Christi D. est formaliter præsens: ergo nõ per conversionem, vel speciem conversi, sed per aliquid aliud.

Secundo, quia si dimensio hostiæ esset ratio formalis corpori Christi D. essendi in Sacramento, esset in Sacramento dimensivè, & modo extenso, quod est falsum: ergo dimensio hostiæ nõ est talis ratio. Prob. antec. dimensio nequit esse ratio essendi in loco indivisibiliter, nisi divisibiliter, ac dimensivè: ergo si dimensio hostiæ esset ratio formalis corpori Christi D. essendi in Sacramento, esset ibi divisivè, & dimensivè.

Aliter deniquè respondent, scilicet, quod præsentia quantitativa convenit corpori Christi D. in Cælo ratione propria quantitatis; at verò præsentia sacramentalis convenit illi ratione suæ propriæ substantiæ, nõ qualitercumque, sed quatenus substantia panis cõversa est in substantiam corporis Christi D. Vnde conversio est ratio causalis, & substantia ratio formalis, cur sit præsens in hostia.

Contra, substantia corporis
Tt 2 Chri-

Christi D. in hostia non est sine quantitate; quia licet ibi non sit eius quantitas ex vi conversionis, est tamen ratione concomitantia: ergo si substantia corporis Christi D. quanta potest habere ubi inextensum, & indivisibile, præter ubi extensum, quod habet in Cælo, multo melius potuisset habere aliud ubi extensum, & divisibile, cum hic sit modus illi connaturalis, & non ille.

Prob. 3. concl. non repugnat, quod duo corpora sint simul supernaturaliter in eodem loco circumscriptivè, ut vidimus sect. antecedenti: ergo neque quod idem corpus supernaturaliter sit simul in duplici loco circumscriptivè. Patet consequ. quia sicuti de ratione loci adæquati est continere adæquatè corpus locatum: ita de ratione corporis locati est adæquatè contineri in loco, sive ipsum replere: ergo si hoc non obest, ut duo corpora adæquatè sint simul circumscriptivè in eodem loco, neque illud obstat, ut idem corpus sit simul circumscriptivè in duobus locis.

Deniquè, potest probari cõcl. ex eo quod nulla potest fieri instantia contra multipliciter præsentia circumscriptiva eiusdem corporis in multis locis simul, quæ æquè, imò maiori ratione non militet contra multipliciter præsentia definitiva, & vnius circumscriptiva, alte-

riusque definitiva simul, ut vidimus, & amplius adhuc examinabimus.

*SOLVUNTUR ARGUMENTA
contra prædictas conclusiones,*

SIT primum argumentum contra primam concl. retorquendo rationem, qua Scotus in 4. allegatus suadet tertiam nostram concl. Probat igitur Scotus, quod idem corpus potest esse simul in pluribus locis adæquatis divina viute; quia rem esse in loco non dicit, nisi respectum præsentia extrinsecus advenientem; sed tales respectus (ait Doctor) plurificari non implicat in eodem fundamento; quia respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur posse, ita plurificantur, ut patet de albedine plures similitudines fundante ad plura alba: ergo non implicat, rem à Deo in pluribus locis constitui simul. Hæc namque ratio Scoti sic contra Nos retorqueri potest: plurificatio respectuum intrinsecus advenientium, de quibus minus videtur posse, fit naturaliter: ergo multo melius fieri potest multiplicatio præsentiarum, cum istæ sint respectus extrinsecus advenientes. Quæ ratione prob. etiam multa corpora posse naturaliter esse in eodem loco; quia sicut naturaliter ad unicum album sunt plures similitudines: ita similiter, imò & multo

multo melius ad eundem locum poterunt naturaliter esse plura vbi, si ratio Scoti valet.

Resp. Scotum ita arguere; quia si relatio extrinsecus adueniens, licet sit minus accidentalis subiecto, potest multiplicari sine contradictione, neque erit contradictio, quod presentia, sive vbi multiplicetur. Ex quo non concluditur, quod si illa potest naturaliter, etiam ista absolute; nam ex alio cap. potest provenire, quod illa possit naturaliter, & non ista: quia ad relationem non sufficit fundamentum, sed requiritur etiam terminus: cum autem ad intrinsecus advenientem non amplius requiratur, & naturaliter possint poni plures termini: hinc est, quod naturaliter possunt multiplicari, licet sint minus accidentales; & cum ad extrinsecus advenientes, ultra existentiam termini, aliquid aliud requiratur, si illud aliud non potest fieri naturaliter, nisi supernaturaliter, neque poterit esse relatio naturaliter, nisi supernaturaliter. Nunc ad rem: posito vno albo v. g. quod est terminus similitudinis fundatae in alio, potest naturaliter poni aliud, quin destruat illud, ac per consequens possunt multiplicari similitudines naturaliter in eodem fundamento; at vero cum ad presentiam, eo quod sit relatio extrinsecus adueniens, & ex eo magis accidentalis, sive

extrinseca subiecto, non sufficiat existentia termini, sed ultra requiratur propinquitas ad illum; & deinde non sit virtus in natura ad appropinquandum rem ad vnum locum, quin deferat alium, & sit talis virtus in Deo: hinc oritur, quod licet multo minus dicat contradictionem multiplicationis presentiarum eiusdem rei ad plura loca, quam similitudinum eiusdem albi ad plura alba, non potest naturaliter fieri multiplicatio presentiarum, nisi supernaturaliter; quia Deus potest appropinquare rem vni loco, quin deferat alium; bene vero multiplicatio similitudinum.

Sit 2. argum. contra 2. & 3. concl. pluralitas locorum adhaerentium non excedit capacitatem rei, aliis neque Deus posset illam ponere in pluribus locis; ergo neque excedit virtutem activam naturalem ad ponendam illam in pluribus locis.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. Ad plura adest capacitas in rebus, ad quae non datur virtus naturalis, ut patet in quantitate, in qua adest capacitas ad se penetrandum cum alia, ad quod non datur virtus naturalis activa, & patere potest in mille exemplis.

Sit 3. arg. contra 2. concl. limitatio rei creatae ad locum provenit ex limitatione entitatis ipsius: ergo sicut nequit fieri illimitata quoad se, ita neque quoad locum.

Resp.

Resp. ex Scoro in 2. dist. 2. q. 7. num. 2. §. *In ista questione, vers. Ad secundum dico, & in 4. dist. 10. quæst. 2. §. Et pro istis solvendis, num. 15. vers. Et ad probationem, dist. antec. limitatio ad locum, hoc est, non posse ex sua virtute occupare plus loci, quam est suus locus adæquatus, nec à sua virtute poni plus, quam in vno loco simul, conc. hoc est, quod repugnet ei poni virtute divina in pluribus locis, neg. similiter dist. consequens: nequit fieri illimitata quoad locum, id est, nequit ex sua virtute in maiori loco, neque in pluribus locis adæquatis, conc. id est, nequit à Deo poni, neg. Licet virtute divina ponatur res in pluribus locis simul, cum hoc non sit propria virtute, neque per innatam exigentiam suam, nisi per meram non repugnantiam, semper manet limitata quoad locum; quia adhuc nõ manet immensa, quod requirebatur, vt maneret illimitata quoad locum, vt patet ex dictis in Theolog. tract. de *Attributis Dei*, disp. 3. sect. 6. vers. *Noto, quod licet.**

Sit 4. arg. specialiter contra 2. concl. rem esse in loco definitivè, est esse ita hic, quod non alibi: ergo implicat in terminis, posse rem poni in pluribus locis definitivè.

Resp. dist. antec. in sensu, quo hic sumimus definitivè, neg. in alia acceptione, conc. & simili-

ter dist. consequens: rem esse definitivè in loco, vno modo sumitur pro esse in suo loco cum negatione essendi in alijs, in hoc sensu implicat in terminis esse in pluribus locis definitivè. Alio modo sumitur pro esse totam rem in toto loco, & totam in qualibet parte, & hoc modo dicimus posse esse, imò & de facto esse corpus Christi D. in pluribus locis.

Sit 5. arg. contra 2. & 3. concl. nequit eadem res esse in diversis temporibus simul: ergo neque in diversis locis, adhuc circumscriptivè.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. Quia tempus, cum ex natura sua sit successivum, nequeunt simul esse duo tempora, in quibus simul existat res; at verò duo loca existunt simul. Si paritas valeret, neque posset res esse in loco, in quo antea fuit, sicuti nec in tempore, in quo antea extitit.

Sit 6. arg. si idem posset esse in pluribus locis simul, sequeretur, terminos à quo, & ad quem motus esse compositibiles, quod est contra rationem, & Philos. 5. Phys. ergo &c. Patet sequela; quia duo vbi possunt esse termini à quo, & ad quem motus.

Resp. dist. antec. termini primi, seu per se essent compositibiles, neg. secundi, & per accidens, conc. quod non est contra Philosoph. nec rationem. Ad probationem

sequelæ etiam dist. antec. duo vbi possunt esse termini primi, & per se, neg. secundi, & per accidens, conc. & neg. conseq. terminus namque à quo primus, & per se non est vbi, quod definit movens, nisi negatio, sive privatio vbi, quod acquirit, sicuti in generatione, seu productione formæ in subiecto terminus per se, à quo istud movetur, seu mutatur, non est forma corrupta, nisi privatio acquisitæ; ideòque sicut duæ formæ sunt composibiles in eodem subiecto, etiam duo vbi, &c.

Sit 7. arg. sequeretur, quod idem posset esse divisum à se ipso, quod est impossibile: ergo. Prob. quia existens CæsarAugustæ v. g. esset divisum à se ipso existente Matriti.

Resp. dist. sequelam: esset divisum à se ipso secundum locum, conc. quoad entitatem, nego. Etiam si loca essent duo, & divisares, sive ipsius entitas esset eadem sine sui divisione, quod dicimus non repugnare, & manet probatum.

Sit 8. arg. sequeretur, quod idem esset distans, & indistans respectu eiusdem loci; sed hæc est contradictio: ergo. Prob. sequelæ: quia quatenus existens CæsarAugustæ distaret à Matrilo, & quatenus existens Matrilo non distaret à Matrilo: ergo esset distans, & indistans.

Resp. dist. sequelam: esset di-

stans, & indistans per eandem præsentiam, sive vbi, neg. per diversas, conc. & neg. min. Ad probationem sequelæ conc. antec. & dist. consequens, sicuti sequelam. Ad contradictionem requiritur, quod negatio, & forma verificentur de eodem cum eisdem circumstantijs: unde, diversitas præsentiarum est causa, ut distantia, & indistantia respectu eiusdem loci non sit contradictio in eodem, ut docet Scotus quæst. supra allegata.

Sit 9. arg. sequeretur, quod idem esset extra terminos proprios, & ultra extremitatem suam; sed hoc nequit esse: ergo &c. Prob. sequelæ: quia locus ex 4. Phys. est terminus, & extremitas rei locatæ: ergo.

Resp. etiam ex Scoto dist. sequelam: esset extra terminos proprios per eandem præsentiam, respectu cuius sunt termini illius, neg. per aliam præsentiam, respectu cuius non sunt termini illius illi, extra quos est, conc. similiter dist. min. & neg. conseq. Ad probationem sequelæ dico, Philof. asserere locum esse terminum rei locatæ, sed debet intelligi taliter, quod si sit in duobus locis, quilibet est terminus secundum præsentiam, per quam est in illo.

Sit 10. arg. idem potest esse simul in duobus locis: ergo idem poterit poni bis in eodem loco.

Resp. conc. antec. & neg. conseq.

seq. Quia quod semel est, nequit iam fieri, nisi prius desinat esse: unde successivè solum poterit poni bis idem in eodem loco.

Sit 11. arg. idem esse simul in pluribus locis repugnat potentia activæ rei creatæ: ergo negari debet. Prob. antec. quia semel posito in pluribus locis, posset in omnibus agere, si in omnibus habeat passum: & ita scintilla ignis posset totum comburere mundam, parva candela totum spatium illuminare, & Angelus omnia corpora movere; sed hæc repugnant potentia activæ rei creatæ: ergo & quod idem possit esse simul in pluribus locis.

Resp. neg. antec. ad cuius probationem dico, quod in pluribus locis existens posset idem, ac existens in vno, si in illo applicarentur tot passæ, ac in pluribus, quod ait Scotus quæst. allegata; quia per replicationem præsentiarum non augetur activitas, nec minuitur, quod docet Scotus in 4. dist. 10. quæst. 2. num. 13. §. *Et pro istis solvendis, vers. Tertia propositio est.* Itaque scintilla ignis ubique posita, posset in omnia passæ, quod posset in vno vbi, si ibi applicarentur omnia illa passæ: & sic ageret in aliquod, vel aliqua illorum, vel in omnia magis remissè, ac si in vnum; nam ait Scotus: *Nec mirum, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora; & in multa, quam in vnum.* Ad illud

de actione illuminativæ candelæ, in qua non intervenit resistantia falsi, retundens virtutem agentis, ob quod nec requiritur maior virtus in illa ad illuminandum hic, & illic, eo quod in hac actione non repatiatur, potest concedi, quod omnia illuminaret loca, in quibus replicaretur; quia illuminatio fit per productionem luminis, quæ est, secundum aliquos, species lucis: & non debet negari, quod corpus, ubicumque replicetur, possit emittere species intentionales sui, illasque in medio multiplicare, alias videri non posset nisi in vno tantum loco, in quo illas emitteret. Ad illud de Angelodico, quod si in vno loco movendo corpus totam suam vim, seu virtutem applicaret, alibi nullum posset movere; si vero non applicaret totam, posset alibi movere; sed semper debilius quo plura moveret, ac si in eodem loco moveret illa.

Sit 12. arg. vnum vbi est incompossibile cum alio vbi: ergo nequeunt esse in eodem corpore: ergo neque istud esse in duobus locis. Prob. antec. accidentia in eodem subiecto existentia se invicem denominantur, ut patet de subiecto quanto, & albo; nam dicimus, *quantum est album, album est quantum*: ergo etiam duo vbi, si essent in eodem corpore, denominarentur ad invicem: ergo vbi Cæsaraugustanum denomi-

naret

naret Matritense Casaraugustæ præsens.

Resp. neg. antec. Ad eius probationem dist. antec. se invicem denominantur in abstracto, nego; in concreto, conc. & hoc modo conc. etiam primam conseq. & nego secundam. Denominaciones accidentales in concreto faciunt hunc sensum, *subiectum habens quantitatem, habet albedinem*: in alio namque sensu non sunt veræ; & in hoc etiam sunt veræ illæ de duobus vbi in eodem corpore; nam istæ sunt veræ, *subiectum habens vbi Casaraugustæ, habet vbi Matriti*; non verò istæ, *vbi Casaraugustæ est Matriti, sive est vbi Matriti*, sicuti de duabus paternitatibus, ad duos filios in eodem subiecto; nam istæ sunt veræ, *subiectum, quod est pater Petri, est pater Ioannis, sive pater Petri est pater Ioannis*; non verò istæ, *paternitas ad Petrum est paternitas ad Ioannem*.

Sit 13. arg. nequit dari motus de extremo ad extremum, non transeundo per medium; sed hoc eveniret, si idem posset esse in duobus locis; ergo. Prob. min. quia posset produci secundum vbi, quo constitueretur in secundo loco, absque eo quod producerentur alia vbi in medio: ergo moveretur de extremo ad extremum, quin transiret per mediū.

Resp. dist. mai. motus, qui propriè est motus, ac successivus, conc. motus, qui non est pro-

priè motus, neque est successivus, nisi mutatio acquisitiva, & non deperditiva, neg. Concedo min. de ista mutatione. Ad probationem min. conc. antec. & dist. conseq. sicuti primam maiorem. Hoc modo fit de factò Christus D. præsens in Eucharistia, non relinquens Cælum, nec per medium transiens.

Sit 14. arg. contra secundam concl. corpus est divisibile: ergo repugnat ei modus indivisibilis, qualis est præsentia diffinitiva.

Confirmatur: quia Angelus est in se indivisibilis, repugnat ei esse in loco divisibiliter: ergo quia corpus est in se divisibile, repugnabit ei esse in loco indivisibiliter.

Resp. ad argum. conc. antec. & dist. conseq. ergo repugnat ei modus indivisibilis, quoad entitatem, conc. quoad spatium, sive locum, neg. Etiam si corporis partes sint inter se penetratæ, quod reducuntur ad spatium indivisibile, quomodo existit definitivè, & modo indivisibiliter quoad spatium, seu locum; tamè in se, & in sua entitate temper est divisibile in suas partes inter se realiter distinctas.

Ad confirmationem resp. conc. antec. & neg. conseq. & paritat. Ratio est, quia ad existendum divisibiliter, essentialiter requiruntur partes, quæ ex sua essentia repugnant Angelo; at verò ad existendum indivisibiliter,

solūm requiritur, quod partes nō sint extensæ; quod non repugnat eis divinitus per penetrationem. Ex quo constat corpus posse esse sine figura; quia ad istā requiritur extensio partium sic, vel sic in ordine ad locum.

Sit 15. arg. si corpus poneretur in loco indivisibiliter, posset dividi in omnem sui partē simul, & semel; sed hoc nequit esse, cum sint infinitæ: ergo.

Resp. conc. mai. & neg. min. ac suppositū illius, nempe quod partes continui sint infinitæ, nisi secundū quid, & obiectivē in intellectu solūm, vt diximus de infinito in potentia lib. 3. & dicemus de partibus cōtinui lib. 6.

Sit 16. arg. contra 2. & 3. conclus. idem non potest referri ad se oppositis relationibus; sed hoc sequeretur: ergo. Mai. patet; quia opposita relativē includunt contradictoria. Min. prob. si idem esset in diversis locis, posset dici superius, & inferius se ipso, similiter dextrum, & sinistrum respectu alterius eiusdem, & sic de alijs relationibus oppositis secundū situm.

Resp. dist. mai. idem non potest referri ad se oppositis relationibus secundū eandem rationem fundandī, conc. secundū diversas, neg. Conc. min. & neg. conseq. Ad probationem mai. dist. eodem modo antec. opposita relativē secundū eandem rationē fundandī inducunt con-

tradictionem, conc. secundū diversas, neg. & conc. probationem min. Relationes oppositæ prædictæ fundarentur in diversā vbi, tanquam in fundamento proximo, sive ratione fundandī, ob quod nō inducerent contradictionem: sicuti nec relatio activi, & passivi in igne v. g. respectu caloris, neque in intellectu respectu intellectiois; quia fundant tales relationes secundū diversas potentias, nempe activam, & receptivam. Similiter corpus idē secundū aliquid sui est maius, & secundū aliud est minus, & hoc tam respectu sui, quam alterius eiusdem. Deindē, vbi in toto corpore aliud est anterius, & aliud posterius, aliud superius, & aliud inferius: vnde, mediantibus illis vbi, tanquam alio, & alio fundamento proximo, sive ratione fundandī, non est contradictio, nec inducit illam, quod corpus habens vbi superius, & inferius, sit superius, & inferius. Nec mireris, respectum superioris, & inferioris fundari in vbi, licet vbi sit respectus; quia, vt diximus in Met. tract. 4. disp. 6. sect. 5. vna relatio potest esse fundamentum alterius. Eodem modo responderetur alteri argumento de propinquo, & distanti, quæ sunt relationes oppositæ; quia idem est propinquum isti loco, & distans ab alio per diversa vbi: & sic propinquum, & distans à se ipso se-

cundum diversa vbi.

Sit 17. arg. idem corpus posset simul moveri, & quiescere, nempe in vno loco moveri, & in alio quiescere; sed hoc est impossibile: ergo & quod idem sit in diversis locis. Patet min. quia moveri, & quiescere sunt privative opposita, & sic contradictoria.

Resp. dist. mai. secundum idem vbi, neg. secundum diversa concedo, & neg. min. cuius probationem dist. eodem modo. His verbis respondet Scotus: Cum moveri, vel quiescere secundum locum sit simul cum vbi, vel posterius, scilicet ipso vbi; ideo variatur ad variationem vbi: & ita poterit in vno vbi quiescere localiter, & in alio vbi moveri; quia quiescere hic localiter nihil aliud est, quam habere continue idem vbi, quod prius: & ibi moveri nihil aliud est, quam habere aliud, & aliud vbi: sicut autem est possibile, quod idem corpus habeat hic permanentemente vbi vnum, & aliud ibi: sic possibile est, quod permanentemente habeat hic vnum vbi, & alibi plura successive. Eodem modo dicendum est de partibus totius, si fiant instantie, quia possibile est, quod hic omnes partes totius quiescant in toto, & ibi aliqua moveantur, ut manus, vel pes: quia omnia ista consequuntur vbi, puta hoc, & illud.

Pro isto argumento adducit Scotus subtilissimas instantias quas acutissime solvit, quod omne ipsius verbis proponam.

Sic ait: Et si arguas, ergo ut est in vno vbi posset moveri ad se ipsum, ut est in alio vbi, & ita accederet ad illud vbi, in quo iam est, & tunc vel expelleret se ipsum de alio vbi, ad quod accedit, & tunc esset impossibile sibi ipse secundum vbi, sicut aliud corpus: vel non expelleret, & tunc desineret habere illud vbi virtute propria, accipiens tantum illud vbi quiescentis; vel faceret se ut habens aliud vbi cum se ipso, & ita quasi duo corpora simul, similiter si esset animatum posset se ipsum movere pellendo, vel trahendo, & posset idem homo habens mille vbi facere choreas, & maximum exercitum in campo, & multa alia, quae videntur mira, & iterum loqui, & tacere, & disputare cum se ipso.

His instantijs respondet Subtilissimus Doctor sic: Dico, quod haec sunt puerilia, & imaginatio nem sensui innitentem sequentia. Si enim quaratur ratio eorum, de quibus arguitur, nulla est difficultas maior, quod corpus moveatur ad illud vbi, in quo quiescit, quam ad aliud vbi: & tunc, cum perveniret ad illud vbi, dico, quod idem corpus expellet se de illo vbi, in quo quiescit; nisi forte illa virtus agens, per quam habuit aliud vbi, desinat conservare ipsum, ut aliud vbi carum: & tunc non habebit, nisi tantum vbi, quod habuit prius quiescens, sed prius non habebat illud, ut terminum sui motus: modo desinet secundum vbi, quod habebat in motu: habere autem quodcumque vbi, sive ut

in motu, sive in termino motus, nihil facit ad variationem, vel multitudinem absolutorum, quae sunt in re.

Per hoc patet de chorea, & bello, confabulatione, & disputatione cum se ipso, quia si loqui dicat actum imaginationis, vel intellectus, ille quidem ubique est idem ubicumque fuerit loquens, si atem non est, nisi formatio vocis per instrumenta naturalia in aere percusso, & quidem alius erit aer contiguus organis vocalibus in isto vbi, & alius in alio vbi; & est quod idem aer sit, moveri tamen poterit hic localiter aer, & ibi non: & sic in isto formabitur vox, & in illo non: & in illo loquetur, & in isto tacebit: & in isto tenebit tenorem, & in isto quintam, & ille attrahet aerem extra aquam existens, & idem existens in aqua non poterit attrahere: sed non submergeretur hic, quia alibi habet aerem attractum refrigerantem ipsum.

Ita etiam concedo, quod ut in vno vbi poterit movere corpus suum, ut est in alio vbi, pellendo, vel trahendo: quia propter identitatem corporis non auferitur ratio mobilis, nec motui ab ipso.

Adhuc aliam proponit instantiam sic: Et si arguitur sic, si moveatur, ergo non quiescit: si quiescit, ergo non moveatur: ergo si simul moveatur, & quiescit, simul moveatur, & non moveatur, simul quiescit, & non quiescit. Respondeo, in respectibus oppositis non sequitur absoluta affirmatio, & negatio, sed tantum secundum quid, Sicut non sequitur,

est similis, & dissimilis: ergo est similis, & non similis; nam antecedentia verificantur, si intelligantur respectu diversorum. Si enim est similis huic, est similis: & si est dissimilis illi, est dissimilis: sicut Philosophus arguit in predicamentis cap. de quantitate, quod si aliquid est magnum, ad hoc est magnum, & si parvum, ad illud est parvum: & ex hoc infert, quod magnum, & parvum non sunt contraria, quod non teneret, nisi magnum ad hoc inferret magnum, & parvum ad hoc inferret parvum. Eodem modo hic quiescere in hoc vbi, infert quiescere, & moveri in hoc vbi, infert moveri: tamen ille affirmationes non inferunt illas negationes, puta quiescere, non moveri, moveri non quiescere: imò est fallacia consequentis: quia antecedens verificatur in respectu ad unum terminum, & consequens negativum negat respectu cuiuscumque.

Sit 18. arg. contra 3. concl. si idem corpus esset in duplici loco circumscriptivè, occuparet maius spatium illo. Deinde, esset æquale cuilibet loco; & inæquale, cum vtrumque repletet; sed hæc repugnant: ergo.

Resp. ad primum, quod occuparet maius spatium per duplicem præsentiam, quod non repugnat; non verò per unicam, quod implicaret. Ex quo patet ad secundum; quia esset æquale cuilibet loco seorsim sumpto; non verò duobus simul sumptis; quia sic esset inæquale, quod fa-

teri debent etiam adversarij de corpore Christi D. existente circumscriptione in Cælo, & sacramentaliter in hostia, ac per consequens in loco hostiæ.

Sit 19. arg. in quo præter mirabilia, & paradoxa contra Nos proposita iam, alia quamplurima proponuntur. 1. igitur sequeretur, quod eadem gutta aquæ toties replicari, ut univèrsam terram inundaret, atqui ita totus orbis in vnica gutta submergeretur, & super illam solam posset committi navale bellum. 2. idem corpus in vno loco haberet calorem, & in alio frigus, ex eo quod in vno loco applicaretur ei ignis, & in alio nix. In vno loco agrotaretur ab aere infecto, & in alio haberet sanitatem ab aere salubri. Homo posset esse mortuus in vno loco, & vivus in alio; quia posset occidi ab inimico in vno loco, & non in alio. Deindè, posset in vno loco sedere, & in alio stare, & alia quamplurima his similia, quæ poterit quilibet excogitare.

Ad enervanda hæc, & alia huiusmodi, quæ obijci possunt, imò & ad pleniorè intelligentiam solutionum eorum, quæ iam proposita manent, debet observari firmiter contentum in tribus propositionibus, quas firmat Subtilis Doctor in 4. allegatus dist. 10. quæst. 2. à num. 13. §. Et pro istis solvendis.

Prima igitur propositio est

hæc: Quæcumque sunt priora essentialiter ipso vbi, uniformiter insunt corpori, quamvis habenti diversa vbi, nec variabuntur variato ipso vbi: quæ verò posterius, vel simul natura, variabuntur secundum varietatem ipsius vbi. De qua propositione licet ait Scotus: Hoc patet, quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris: sed posterius bene variatur ad varietatem prioris: quæ etiam sunt simul natura cum aliquo, variamur eum illo.

Secunda propositio est (prosequitur Scotus) sicut passum existens in vno vbi reciperet formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patitur ab eisdem sibi in illis duobus vbi approximatis, & hoc intelligo de passione, quæ est ad formam absolutam. Hoc patet, quia ad hoc, quod patiens patitur ab agente recipiendo istam formam, non oportet, nisi quod sit in potentia, passiva, & agens habeat formam activam, & sint debite approximata, sive in hoc vbi, sive in illo sit approximatio, nihil differt quantum ad actionem, quæ est ad formam absolutam, sed passio posita in duobus vbi, ipsum habet eandem potentiam passivam ad formam absolutam, & activum habet eandem potentiam activam, & eodem modo potest approximari sibi, ut est in isto vbi, sicut in alio: ergo eodem modo patitur quantum ad omnem formam absolutam à quocumque activo sibi ap-

pro-

proximato, sive in isto vbi, sive in alio, sicut si tantum esset in vno vbi, & esset agens sibi approximatum.

Tertia propositio est. Sicut corpus in vno vbi existens se haberet in ratione activi ad diversa sibi approximata in illo vbi, sic ipsum, ut existens in duobus vbi, se habet ad eadem sibi in illis vbi approximata. Hoc patet ex probatione præcedentis.

Hac firmissima Scoti doctrina, facile respondetur ad tot mirabilia ab adversarijs, tanquam absurda proposita, & ad plura alia quæ possunt proponi. Itaque si vna gutta aquæ replicaretur, & poneretur per multiplicatas præsentias in tota terra; vel conservaret Deus illam sua absoluta præsentia sic; vel relinqueret illam in sua vi naturali, & etiam alias causas secundas. Si primum, certum est, quod inundaret totam terram, & in illa submergeretur totus Orbis, & super illam posset committi navale bellum; si non, ita multiplicarentur præsentia, quod occuparet etiam aeris spheram. Ratio est; quia cum nulla quantitas possit cum alia penetrari, eo quod Deus miraculosè conservaret illam guttam aquæ sic replicatam supra omnem terram, omnis superficies terræ esset occupata illa gutta aquæ, & sic inundata. Deindè, cum submergi aliquod animal, nihil aliud sit, quàm ipsius viscera aqua taliter occupari, ut impediat ingressum, & egressum aeris

ad respirationem, vna sola gutta taliter replicata, & divinitus sic conservata, ut occuparet omnia viscera animalis, istud submergeretur eodem modo, ac in mari. Similiter dicimus, quod illa gutta sustineret naves, quia istæ non possent penetrari cum illa; neque illam expellere à suis locis, in quibus supponitur supernaturaliter à Deo conservata.

Si verò postquam Deus possuisset illam ubique per præsentiarum replicationem, & relinqueret illam in sua vi naturali, & etiam omnes causas secundas, quælibet causa siccaret, vel consumeret illam: v.g. Sol suo calore, vivens etiam suo in stomacho, &c. ac si unicam haberet præsentiam: & sic neque inundaret totam terram, neque submergeret Orbem, neque aliquod vivens, nisi minutissima, & parvi caloris, nempe illa solum quæ ab ipsa etiam unica tantum præsentia habente, submergerentur. Neque posset sustinere navem; quia ipsa navis citò siccaret, & consumeret illam.

Ad secundum dico, quod illi corpori accideret idem, ac si illa agentia simul in eodem loco applicarentur: unde non haberet simul frigus, & calorem, nisi vel vnum, aut aliud, vel nullum: nam si agentia applicata æqualem haberent vim, ad invicem se impedirent, & nullum produceret: si vnum esset fortius alio, fortius pro

produceret, & sic corpus haberet effectum fortioris, nempe calorem, si ignis esset fortioris virtutis, vel frigus, si nix. Idem dico de ærotari ab aere applicato in vno, & in alio loco. Similiter si inimicus interficeret illum in vno loco, esset mortuus in duobus; quia hoc non pendet à loco, neque cum vbi dicit necessariam connexionem. Quod omne patet ex tradita Scoti doctrina in tribus relatis propositionibus, quæ quidem benè applicata solventur evidenter quæcûque proponantur, quæ mirabilia videntur, quia nunquam vidimus corpus circumscriptivè simul in pluribus locis existens.

Hic solet inquiri, per quam actionem poneretur res in pluribus locis, nempe an per reproductionem ipsius rei, vel solum per adductionem ad secundum locum, & quomodò hæc fiat? Sed de hoc ex professo disputat Theologus in tract. de Eucharistiæ Sacramento. Etiam solet disputari, an corpori bilocato circumscriptivè, convenient eadem affectiones in utroque loco, vel diversæ in quolibet? sed constat satis ex tribus propositionibus Scoti traditis, quod illæ quæ ab vbi non pendent, nec cum illo habent connexionem, erunt eadem in utroque loco; quæ verò pendunt ab vbi, vel connexionem habent cum illo, erunt in quolibet loco diversæ.

DISPUTATIO II.

DE VACUO.

VACVVM, quomodo libet sumatur, opponitur loco, ob quod ad maiorem loci intelligentiam, postquam de illo disputant Philosophi, de Vacuo immediatè agunt, de quo in præsentis Disp. breviter aliqua pertractabimus.

SECTIO I.

QVOD, ET QVOTVPLEX
sit Vacuum?

VACVVM, vt hic communiter accipitur à Philosophis, sic definitur ab Arist. in hoc lib. cap. 8. *Est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri.* Hanc descriptionem Philosophi tradit Scotus in expositione huius libri num. 3. text. 6. vers. *Amplius 6. vacuum, & quæst. 7. illam admittit in expositione text. num. 26. text. 60. vers. Quoniam autem, & quæst. 13. num. 3. vers. Secundo notandum.*

Ad cuius intelligentiam, sciri debet duplex esse vacuum, iuxta id, quod in præsentis sect. quærimus, vt docet Scotus hic q. 13. num. 13. vers. *Tertio notandum, vbi tenet, vacuum aliud esse separatum, quod etiam dici solet vacuum privativum, & aliud non*

separatū, quod dicitur positivū. Separatum, ait Scotus, est spatium imaginatum separatum à quolibet corpore, hoc est non clausum aliquibus superficiebus corporum, v. g. si Deus annihilaret totum mundum, illud spatium, quod imaginatur derelictum, dicitur vacuum separatum: Et etiam spatium imaginatum extra mundum dici solet vacuū separatum. Spatium non separatum, sive positivum est vacuum, prout terminatur, & clauditur aliquibus superficiebus, seu corporibus: v. g. supposito, quod annihilaret Deus omnia corpora sublunaria, manentibus tantum Cœlis, in quo casu maneret vacua tota hæc capacitas, sive totum spatium imaginatum repletum corporibus sublunaribus, & terminatum superficie Cœli, sive ipso Cœlo. Vndè vacuum terminatum, sive spatium imaginatum, & vacuum terminatum idem sunt, sive, vt proprius loquar, nihil sunt.

Ex dictis constat, quod definitio vacui ab Arist. tradita, tam spatium imaginario, sive vacuo negativo, quam vacuo positivo, seu terminato potest accomodari diversimodè sumpta particula illa, *locus*. Sumpta verò propriè pro loco in actu primo, & fundamentaliter, quomodò est vitima superficies corporis, vt vidimus ex Arist. definiente locum, convenit vacuo positivo; quia vitima

superficies, inter quas daretur vacuum quasi clausum, propriè sunt locus in actu primo fundamentaliter; quia sunt aptæ ad fundandum vbi, ad corpus, quod potest Deus producere, & replens spatium imaginatum.

Si autem particula illa *locus* non sumatur propriè, nisi translative pro spatio imaginato, accomodari potest definitio spatii imaginario, sive vacuo negativo: quia hoc modo idem significat, ac spatium imaginatum corpore non repletum. Altera particula definitionis, scilicet, *non repletus corpore*, non indiget explanatione, & quidem satis constat ex se utriusque vacuo convenire.

Deniquè, illa alia particula, *aptus tamen repleti*, sumpta aptitudine propriè, solum convenit vacuo positivo, nempe superficiebus claudentibus vacuum; quia cum istæ sint quid positivum possunt dicere, & dicunt aptitudinem ad repleti alio corpore: & sic nequit convenire vacuo negativo; quia cum istud sit nihil nequit habere aptitudinè aliquam; At verò potest accomodari, sumpta aptitudine pro mera non repugnantia, quomodò sumitur impropriè, & translative. Et quod sic accepta capacitate conveniat vacuo negativo ex se patet; quia si in spatio in quo nunc imaginatur mundus, quod ante istius creationem erat spatium imaginatum, sive vacuum

negativum, non esset mera non repugnantia, ut repleretur mundo, non potuisset Deus mundum in tali spatio imaginato creare.

SECTIO II.

*AN DETUR, VEL POSSIT DARI
vacuum in rerum natura?*

SUPPONO, vacuum negativum, seu spatium imaginarium, quod dicitur vacuum terminatum, esse nihil, & hoc vult Scotus hic quaest. 13. num. 13. vers. *Nunc ponuntur conclusiones*, asserens: *Impossibile est aliquod vacuum separatum esse, ut patet ex rationibus*, quibus dictam conclusionem probat, siquidem totus est in probando non esse quid positivum; nam esse quid negativum, & purum nihil, & sic dari tale nihil docet Scotus ibidem n. 8. solvendo 7. & 8. arg. quod tenet etiam ex Philos. quaest. 7. in expositione text. num. 39 text. 76. vers. *At verò per se considerantibus*. Nam ita certum est dari posse vacuum negativum, siquidem potest Deus omnes creaturas annihilare: & datur ante creaturarum productionem. Imò datur de facto extra mundi sphaeram; nam potest Deus extra illam alias creaturas corporeas, & alium mundum producere. Difficultas igitur solum est de vacuo positivo, seu terminato, de quo.

SIT I. CONCLUSIO: repugnat

vacuum naturaliter. Ita Scotus in 3. dist. 27. quaest. vnic. num. 12. §. & vers. *Ista rationes*, & in 4. dist. 49. quaest. 13. §. *Ad rationes principales*, num. 13. vers. *Ad tertium*. Conclusio patet multis experimentijs. Videmus enim multoties corpora moveri contra suam naturalem inclinationem, ut vacuum impediatur: ergo quia nequit dari naturaliter. Videmus enim, quod ore attracto aere per fistulam, cuius inferior extremitas attingit aquam, statim aqua forsùm ascendit, ut repleat spatium ab aere derelictum, ne vacuum detur. Vterius, in phiala duplicem habente viam, detinetur aqua, dum una clauditur, & vsque dum aperitur, nequit effundi; quia non potest ingredi aer ad replendum spatium derelinquendum ab aqua. Mira alia quàm plurima experimur quotidie, ne vacuum detur in rerum natura.

Ratio huius (meo videri) nulla alia potest esse, nisi quia omnia corpora dependent ad invicem ad sui conservationem: & cum agens naturale nihil possit agere in distans naturaliter saltem, neque possunt ad invicem conservari agentia naturalia, nisi sint contigua. Deinde, neque corpora caelestia, à quibus maximè dependent sublunaria, non solum ad sui conservationem, verum etiam ad eorum productiones, possent influere in illa ob-

eandem rationem, & sic tota machina mundi corrueret, & periret.

Insuper, hæc alia potest assignari ratio: vt detur vacuum, necesse est, vel quod duo corpora quæta penetrarentur, vt hoc modo remaneat aliquod spatium non repletum, vel quod annihilaretur aliquod corpus quantum, eo quod totum spatium sit repletum à creatione mundi; sed nihil horum potest fieri naturaliter: ergo neque dari vacuum. Quæ ratio reverà est evidentior, licet à posteriori.

SIT 2. CONCLUSIO: non repugnat supernaturaliter dari vacuum in rerum natura. Ita Scotus in hoc lib. quest. 12. num. 3. vers. *Secundo, quia de facto*, & in 4. dist. 43. quest. 5. §. *De secundo dico*, num. 6. vers. *Nunc autem quod effective*, & quodl. 11. num. 7. §. *De secundo articulo*, vers. *Item confirmatur*. Ratio est; quia cum virtus divina superet omnem virtutem creatam, poterit Deus removere unum corpus à spatio, aquam v.g. à vase, live à phiala, & impedire motum cuiuslibet alterius, ne in illa introducat, & repleat illud spatium ab aqua derelictum: supplereque potest Deus quoslibet influxus aliorum corporum, etiam celestium, ad cõservationem quorumlibet corporum, & se solo illa conservare: ergo de primo ad ultimum liquet conclusio.

Cõfirmatur: quia potest Deus annihilare omnia elementa absolute, & nihil innovare circa Cælum, sed illud conservare in esse: ergo in hoc casu daretur vacuum inter latera Cœli.

Prob. 2. concl. possibile est, dari distantiam aliquam quasi secundum tempus, & durationem inter duo, licet non sit inter illa tempus positivum intermedium, & positiva mensura motus, scilicet si tempus, & motus primi Cœli non esset, sed sufficit, vt sit tempus potentiale, & imaginarium: ergo etiam poterit esse distantia inter duo secundum locum, absque eo quod mediet aliquid positivum, nisi spatium imaginarium, seu vacuum.

ARGUMENTA CONTRA PRÆdictas conclusiones solvuntur.

SIT primum argumentum contra primam conclusionem: Cœli sunt figure spherice, & Emphyreum est quadratum iuxta illud Apocalip. 21. *Civitas in quadro posita*: ergo inter Emphyreum, & primum mobile sunt cavitates quædam vacuæ: ergo non solum potest dari, verum de facto assignatur vacuum naturaliter.

Resp. Emphyreum esse sphericum quoad superficiem concavam, licet sit quadratum quoad convexam: ex quo nullatenus concludantur cavitates aliquæ vacuæ.

Sic

Sit 2. arg. si vas æneum æquè secundum omnes partes compactam, ut nullo modo aer ingredi posset, impleatur aqua calida, & omnimodè ocludatur os, si maximo frigori applicaretur, aqua illa congelaretur; quia frigus est applicatum, & non impeditum, sufficientemque habens virtutem: ergo daretur vacuum in illo.

Resp. quod in illo casu, vel non congelaretur aqua, ipsa natura impediente, ne vacuum daretur, vel frangeretur vas, ut accidit, quando est luteum, aut vitreum. Hoc modo, servatis servandis, responderetur ad alia argumenta experimentalia, quæ efformantur etiam ad probandam penetrationem duorum corporum quantum naturaliter.

Sit 3. argum. datur plenum in natura: ergo & vacuum. Prob. conseq.posito vno contrario debet dari aliud, ut sapè arguit Arist. ergo &c.

Resp. conc. antec. & neg. conseq. Ad probationem dist. antec. debet dari aliud positivum, conc. negativum, quale est vacuum, neg. Arist. loquitur de contrariis positivis; non verò de positivo, & negativo.

Sit 4. argum. prius potest esse sine posteriori; sed locus est prior locato: ergo sine isto potest esse locus: ergo & dari vacuum.

Resp. dist. mai. vel naturaliter, vel supernaturaliter, conc. natu-

raliter, subdist. aliquod prius, conc. quodlibet, neg. conc. min. & dist. conseq. naturaliter, neg. supernaturaliter, conc. Etiam substantia materialis est prior quantitate, & nequit naturaliter esse sine illa.

Sit 5. argum. à propositione de tertio adiacente, valet inferre propositionem de secundo adiacente, v. g. ex illa, homo est albus, bene inferitur hæc: ergo homo est; sed vacuum est locus privatus corpore: ergo vacuum est.

Resp. dist. mai. in materia necessaria, neg. in contingenti, cõc. Ratio est; quia propositiones in materia contingenti non abstrahunt ab omni temporis differentia, sicut propositiones in materia necessaria, idèo ista valet, homo est albus; ergo homo est, & ista non, Antichristus est homo; ergo Antichristus est.

Sit 6. argum. contra 2. conclusi corpus medium facit distare formaliter latera continentis; sed repugnat effectus formalis sine sua causa formali: ergo & quod distet latera huius gymbalij v. g. quia detur corpus inter illa: ergo & quod inter ipsa detur vacuum.

Resp. neg. mai. quia quod efficit distare formaliter latera continentis, non est corpus mediãs, nisi ipsa distantia, quæ est relatio in ipsis extremis fundata, quæ, ut resaltet, non requirit medium positivum, nisi præcisè quod non

sint approximata, ac per consequens sufficit mediū negativum, quale est vacuum.

SECTIO III.

*AN, SI VACVVM DARETVR,
possent corpora in illo moveri?*

IN hoc eodem lib. presentem proponit Scotus difficultatem quæst. 12. vbi non tam resolutè, sicuti in Theolog. de hac difficult. loquitur; ob quod hic tenet aliqua contraria his, quæ resolvit ibi in 2. locis infra allegandis. Cuius ratio est; quia hic aliquando loquitur attendente solum vna, vel altera ratione philosophica, & in secundo, consideratis omnibus. Deindè, in 2. sent. loquitur resolutè, utpotè maturiùs discurrens; hic verò non resolutè attendentis omnibus principijs philosophicis, nisi secundam vnam, vel aliud coniecturando, ut ipsemet Scotus fatetur in eadè quæst. 12. allegata, num. 5. vers. *Et quia ista coniectio.* His verbis: *Et notandum, quod quia nunquam expertum est, quod fieret in vacuo, ideo posito quod esset vacuum, nullus scit quid sequatur, ideo predicta quæstiones posita sunt verisimiliter coniecturando.* Quapropter principaliter attendentes Subtili Magistro in 2. sent. difficultates propositas breviter resolvemus, & prius de motu in vacuo terminato, posteaque in vacuo indeterminato.

Ad cuius intelligentiam observamus, vacuum terminatum posse dupliciter considerari. Primum, si daretur, stante terra producta, ut si intra aliquod cubiculum nullum existeret corpus. Secundò, vel si stante terra, nullum intercederet corpus inter superficiem convexam terræ, & superficiem concavam Cæli: de motu in his vacuis terminatis eodem modo est philosophandum. His suppositis.

SIT I. CONCLUSIO: corpora gravia, & levia in vacuo derelicta moverentur ex se, vsque dum quodlibet perveniret ad suum centrum, vel ad aliud corpus impediens. Est conformis Scoto in hoc 4. lib. allegato, quod docet expressius in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *ad quartum argumentum*, à num. 21. vers. *tunc ad illa.* Prob. ista corpora habent naturalem virtutem movendi se in proprium centrum: ergo si non impediatur eorum virtus, movebuntur vsque ad illud; atqui si essent in vacuo terminato, à nullo impediretur virtus eorum: & deindè haberent proprium centrum, ut ex se patet: ergo moverentur vsque ad centrum, vel vsque ad impediens talem motum. Min. liquet; quia in vacuo supponitur nullum esse corpus, quod possit impedire. Undè constat, quod licet lapis esset contiguus superficiem Cæli, moveretur in proprium centrum ob rationem dictam, scilicet vsque

que ad terram, in qua quiesceret.

Contra, quia nihil obest, quod corpora habeant vim attractivā, & sic in tali casu ab ipso Cœlo detineretur lapis, ne in proprium centrum descenderet. Primò, quia hoc dato, semper salvatur conclus. casu scilicèt, quod lapis esset in vacuo, & non contiguus superficiei Cœli. Secundò, quia non omnia corpora habent vim tam attractivam, quod vincant vim aliorum, vt ea attrahant, licèt aliqua talem vim habeant respectu aliquorum, vt Magnes respectu ferri. Quod si Cœlum talem vim haberet respectu lapidis in casu dicto, vel alius alterius corporis, detineret illud, ne in centrum propriū descenderet; at hoc etiam accideret, etiam si non esset vacuum, imò melius; quia ultra virtutem attractivam Cœli, daretur in medio aliquod corpus aliquantum resitens, quod non daretur in vacuo.

SIT 2. CONCLUSIO: si animal poneretur super terram, casu quo esset vacuum spatium medians inter Cœlum, & ipsam terram, posset movere se motu progressivo. Prob. quia ad hoc solum requiritur aliquod corpus solidum, vt est terra, supra quod animal firmet pedes; sed in dicto casu illos firmaret supra terram, si ve in terra: ergo posset deambulare. Nec dicas, quod terra deti-

neret illud; quia falsum est, siquidem de facto non detinet. Imò moveretur velocius in tali casu; quia non daretur aer detinens, ac resitens, sicuti de facto.

Ad resolvendum de motu in vacuo indeterminato, noto, dupliciter etiam posse considerari vacuum indeterminatum. Primò, scilicèt, vt de facto datur extra mundum, mundo existente. Secundò, sicuti dabatur ante mundi creationem. In duplici hac differentia considerato.

SIT 3. CONCLUSIO: in prima consideratione sumpto vacuo indeterminato; si poneretur corpus aliquod grave, vel leve extra mundum, moveretur sua nativa vi ad proprium centrum, vsque dum perveniret ad aliquod corpus impediens. Ratio est iam supra tacta conclus. antecedenti; quia tale corpus haberet virtutem ad se movendum in propriū centrum, & vt supponimus proprium daretur centrum: ergo &c.

Circa quam concl. observari debet, quod si illa corpora, tam gravia, quam levia, ponerentur distantia à superficiei convexa Cœli, moverentur vsque ad illam; quia nullum daretur impediens inter ipsa, & superficiei dictam, vt supponitur. Deindè, si corpus ultimæ sphaeræ cœlestis sit ita solidam, quod non posset frangi ab illis corporibus, quiescerent in superficiei convexa illius. Si verò non sit solidum, sed ita flu-

xibi.

xibile, quod ab illis posset frangi, frangeretur à corpore gravi, & moveretur istud vsque ad suum centrum, vel vsque dum perveniret ad corpus, quod frangere non posset. Et idem dicendum est de corpore levi vsque ad ipsius centrum, quod si istud esset superficies còvexa ultimæ sphaeræ (quod sic non videtur) quieteretur in illa.

SIT 4. CONCLUSIO: si vacuū interminatum tale esset, quod nullum daretur centrum, nec levium, neque gravium, scilicet ut erat ante mundi creationem, & sicuti foret, si totus mundus annihilaretur, corpus in illo positum non moveretur. Ratio est, quia licet naturaliter inclinaretur in proprium centrum, cum hoc non daretur, non se moveret ad illud. Et patet; quia ideò mundus non moveretur à spatio, in quo est, quia non datur aliud corpus, quod sit eius centrum. Et noto, quod Angelus, & quodlibet aliud agens habens vim movendi, & pellendi alia corpora localiter, posset illa pellere, & movere in vacuo; quia ad illa movenda habet virtutem, & nihil daretur in vacuo, à quo talis virtus impediretur. Omnes prædictæ conclusiones sunt iuxta Scoti mentem in 2. allegati.

SATISFIT ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum: in vacuo non posset corpus ad

vnam partem moveri: ergo. Prob. antec. non esset maior ratio, ut moveretur ad vnâ partem potius, quam ad aliam; sed non potest simul ad omnes moveri: ergo neque ad vnâ.

Resp. ex dictis, quod si loquatur de vacuo terminato, & de interminato primo modo sumpto, neg. antec. & mai. probationem eius; quia esset ratio, ut moveretur ad proprium centrum, ut manet supra probatum. Si verò loquatur de vacuo interminato secundo modo, diximus iam, quod non moveretur, nisi ab aliquo agente proiectum, & tunc moveretur ad partem, ad quam projiceretur.

Sit 2. argum. si corpus moveretur in vacuo, naturaliter daretur vacuum; sed hoc dicimus repugnare: ergo debemus asserere etiâ, repugnare, quod corpus moveatur in vacuo. Prob. mai. quia dum moveretur corpus, maneret vacuum spatium, quod ante motum occupabat.

Resp. dist. mai. naturaliter absolute, neg. ex suppositione vacui dati supernaturaliter, conc. & min. etiam in hoc sensu, negoque conseq. Ad probationem mai. conc. antec. Nos dicimus repugnare vacuum naturaliter absolute; non verò ex suppositione quod iam detur, & ponatur in illo aliquod corpus.

Sit 3. arg. omnis motus sub-lunaris pendet à cœlesti motu,

& influxu ex 8. Phys. 56. & ex 12. Met. 38. sed in vacuo non posset transmitti influxus: ergo.

Resp. dist. mai. de facto, conc. in casu supposito de vacuo, neg. In casu namque, quod Deus vellet corpus aliquod supernaturaliter in vacuo conservare, istius motus, & operationes non penderent à motu, & influxu Cœli, nisi Dei, sicuti & conservatio illius, etiam si de facto à motu, & influxu Cœli dependeat. Arist. namque de facto, & absolute naturaliter loquitur, quare non est contra nos.

Sit 4. argum. motus localis non potest esse sine loco, nec locus sine superficie; sed in vacuo nulla est superficies: ergo in vacuo, si daretur, non posset corpus moveri localiter.

Resp. dist. primam partem mai. motus localis proprius, conc. improprius, neg. secundam partem conc. & etiam min. distinguoque consequens, sicuti primam partem maioris. Vacuum proprie non est locus, nisi valde improprie, quatenus illud ad modum spatij, & loci concipimus, ideoque in conclusionibus non dicimus, quod in vacuo posset moveri localiter corpora, siquidem non possent transire de loco ad locum, quod ad motum localem requiritur. Unde proprie loquendo ille motus deberet dici, non localis, sed vacualis; quia non esset de loco ad lo-

cum, sed de vacuo ad vacuum.

Et noto, quod tunc ubi non esset relatio realis, ex defectu unius extremi realis, nempe loci, sed esset relatio rationis; quippe ad extremum non positivum, sed negativum, vel rationis.

SECTIO IV.

*VTRUM MOTVS IN VACVO
esset instantaneus, vel suc-
cessivus.*

SIT CONCLUSIO: motus in vacuo non esset instantaneus, sed successivus. Ita Scotus allegatus sect. antecedenti. Prob. 1. successio motus non sumitur præcisè ex sola resistantia corporis intermediij, verum etiam ex spatij divisibilitate, nùm spatium sit reale, hoc est, repletum corpore, nùm verò sit imaginarium, hoc est, inane, & vacuum: ergo cum spatium vacuum esset divisibile, siquidem est capax replendi, imò & repletur corpore divisibili, motus per illud esset successivus.

Prob. 2. & supponamus vacuum à terra in Cœlum, & descendere lapidem à Cœlo in terram. Rogo, vel in ipsomet instanti, in quo inciperet moveri à Cœlo, perveniret ad terram, vel non, sed post? Si secundum: ergo motus non est instantaneus, sed successivus. Si primum, contra; quia sequeretur, quod lapis descendens esset

esset simul circūscriptivè in omnibus partibus spatij mediantibus inter Cœlum, & terram, quod naturaliter non poterat fieri, vel quod lapis angeretur in tanta longitudine, quantum est spatium inter Cœlum, & terram, quod ultra quod naturaliter est impossibile, non esset lapidem moveri, siquidem non relinqueret terminum à quo, nempe Cœlum.

Confirmatur hæc ratio: si esset columna aliqua in vacuo, vel sic meditetur, & duo lapides eiusdem ponderis, quantitatis, & figuræ simul inciperent moveri, & descendere iuxta columnam, vel realem, vel meditatam, vnus tamen à summitate columnæ, & alter à medio, non possent simul descendere, ita vt simul pervenirent ad terminum, sed qui est à medio, prius perveniret; quia quando ille à summo descendens est in medio, vel lapis in medio existens est iam motus, vel non: si primum: ergo non inciperent moveri simul contra suppositum; si secundum: ergo vnus prius alio: ergo successivè.

Prob. 3. successio in motu provenit ex resistentia aliqua, per vos; sed in vacuo datur aliqua resistentia: ergo motus in illo est successivus. Prob. 4. licet resistentia proveniens ex raritate, vel densitate medij (quæ à Scoto appellatur accidentalis, quia potest separari à motu) non esset in

vacuo; tamen reperiretur resistentia essentialis, quatepùs scilicet spatium illud, & distantia, saltem privativa, terminorum à quo, & ad quem nequit simul pertransiri, sed prius secundum vnam partem, quàm secundum aliam; nec moveus est tantæ virtutis, cum sit finitum, & limitatum, vt possit terminum statim inducere: ergo in vacuo datur aliqua resistentia; nempe essentialis, licet non accidentalis.

RESPONDETUR ARGUMENTIS.

SIt primum argumentum ex Philof. 4. Phys. à tex. 65. probante, vacuum destruere motum, eo quod necessariò deberet in instanti fieri: ergo iuxta Arist. dato, quod in vacuo detur motus, non erit successivus, nisi instantaneus.

Resp. nimis vexare Doctores Arist. sensum, cum motum in vacuo negavit. Conveniunt tamen in hoc, quod arguit ad hominem contra antiquos, qui vacuum admittabant propter motum localem ex vna parte; ex alia deinde asserbant, omnem successionem ex resistentia medij pleni provenire, contra quos rectè arguit Arist. quod motus in vacuo in instanti fieret, quod non valet rationibus firmis demonstrare; sed suadere ex illorù dictis præcisè, quod revera multoties efficit,

cit, & faciunt omnes Magiltri, licet non sit eorum sententia, quod in talibus argumentis probant.

Sit 2. argum. qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, talis est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus; sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate, & densitate: ergo nec motus ad motum in velocitate, & tarditate, nec temporis ad tempus horum motuum, atqui hoc deberet esse, si motus in vacuo fieret in tempore, sive successivè, siquidem tempus semper habet proportionem cum tempore: ergo motus in vacuo nequit esse in tempore, sive successivè.

Resp. dist. mai. qualis est proportio medij ad medium, &c. attendente resistantia accidentali, cæteris paribus quoad resistantiam essentialem, conc. attendente solum resistantia accidentali, neg. Etiam dist. min. sed vacui ad plenum nulla est proportio, &c. positiva ex utroque extremo, conc. positiva, & realis ex vno, & negativa, ac imaginaria ex alio, neg. & etiam consequentiã. Conc. min. subsumptam, & neg. consequ. Certum est, quod quanto subtilius est medium positivum, velotius erit motus, quàm motus per medium densius, si moventia sint æqualis virtutis, ut patet in motibus deorsum duorum lapidum

æqualis quantitatis, ponderis, & figuræ vnus per aerem, & alter per aquam: & etiam quod in minori tempore fiet motus lapidis per aerem, si distantia sit æqualis; at cum non solum detur resistantia accidentalis, sed etiam essentialis, ut diximus probando concl. non solum est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus cum densitate, & subtilitate medij ad medium; verum etiam est proportio in velocitate, & tarditate, & etiam temporis ad tempus, nullo dato corpore in medio, cum maiori, & minori resistantia essentiali, scilicet cum maiori, & minori virtute moventis, & cum maiori, & minori medio, per quod fierent motus: v.g. si in vacuo descenderent duo corpora, vnum parvi corporis, & magni ponderis, ut pila plumbi, & aliud parvi ponderis, ut palea, velotius descenderet illa, quàm ista, & consequenter in minori tempore: & si pila descenderet è Cælo ad terram, & palea solum è distantia dimidij digiti, aut minori, in minori tempore esset motus istius, quàm illius: ergo non solum est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate (in quibus fiat resistantia accidentalis) cum motu ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus; verum etiã est proportio virtutis, & virtutis moventium, distantie, & distan-

tiæ mediæ (in quibus resistentia essentialis consistit) cum motu ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus.

Sit 3. argum. ex nostro asserto sequeretur, quod motus factus in pleno posset esse æqualis motui facti in vacuo; sed hoc est impossibile: ergo & quod dicimus. Min. patet; quia ad motum in pleno, præter resistentiam essentialem, datur accidentalis, quæ est maior: ergo cum motus sit tardior ex maiori resistentia, repugnat esse æqualem motum in pleno motui in vacuo. Mai. prob. si aliquod plenum subtile esset in tanta proportione, quod excederet aliud plenum subtile tantum, quâ tum tēpus motus facti in vacuo excedit tēpus motus facti in pleno illo, tunc si fieret motus in hoc pleno subtiliori, esset æqualis motui facti in vacuo: ergo &c.

Resp. dist. mai. cæteris paribus, neg. cæteris imparibus, conc. & hoc modo, nego min. ad cuius probationem conc. primam partem antecedentis, & dist. secundam: resistentia accidentalis est maior quacūque essentiali, neg. aliqua essentiali, conc. Etiam conc. suppositam consequ. & nego consequentiam. Nunc ad probationem mai. conc. totum. Patet posse dari motum in pleno æqualem motui in vacuo recompensando resistentiam accidentalem per resistentiam essentialem: v. g. si descendat per vacuum corpus

parvissimi ponderis, ut minutissima palea, vel parvum papyri fragmentum, & per plenum valde subtile corpus maximi ponderis, ut magnus plumbi globus: ita poterunt commenturari à Deo ista corpora, & replere medium corpore ita subtile, quod motus globi plumbei in pleno sit æqualis, imò & velocius motu paleæ in vacuo. Ex his solvantur alia argum. ab inconvenienti similia prædictis.

Sit 4. argum. illuminatio fit in instanti in spatio divisibili, quia non datur resistentia in illo, sed in vacuo non est resistentia ad motum: ergo etiam erit in instanti.

Resp. conc. mai. & neg. min. quia licet non detur resistentia accidentalis, ut in pleno, datur essentialis, ut diximus supra, nempe divisibilitas spatij, quæ quidem divisibilitas, adhuc in pleno valde subtile non est resistentia; quia forma accidentalis luminis ad illuminandum spatium non movetur de vna parte spatij ad aliam, sed tota in instanti producitur in toto spatio, quod nequit fieri in motu, eo quod ad acquirendum vna partem spatij debeat relinqui altera.

DISPUTATIO III.

DE TEMPORE.

AGIT Arist. de tempore à 10. cap. huius libri. Cum autem

tem tempus concipiatur à nobis veluti duratio rerum, & aliquomòdò sit mensura, qua certificamur de longiori, vel minus longa duratione rerum; ideò pluriimi Philosophi non solùm disputant de tempore in præsentì libro, sed pariter de duratione rerum, non tantum in communi, verum etiam de tribus durationibus in particulari, nempe de Æternitate, quæ est duratio Dei, de Ævo, quod est duratio creaturarum permanentium, & de tempore, quod est duratio rerum successivarum, de quo solummòdò hic disputabimus; quia de æternitate egimus iam in Theolog. tract. de *Attributis Dei*. Et de mensura, ac Ævo tract. de *Creatione rerum*.

SECTIO VNICA.

QUID SIT TEMPUS.

Verè dari tempus clarè constat Gen. 1. *fiant luminaria magna, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & etiam ipsa experientia*. Quid verò sit tempus, illiusque naturã explanare, valdè difficilè, ait Aug. 11. Confess. 14. his verbis: *Quid est ergo tempus? Si aliquis ex me quærat scio; si quærenti explanare velim, nescio*. Quare de re tam difficili, & obscura, pauca, & breviter, ne diffusionè, & copia obscuriores, ac difficiliores reddamus, pertrahimus.

SIC DEFINIT tempus Philosophos *tempus est numerus motus, secundum prius, & posterius*, quam communiter amplectuntur omnes, & Scotus in hoc 4. lib. quæst. 17. num. 8. vers. *tertia conclusio*, & supponit in sententiarijs pluribus in locis. Quidam ut explicet Scotus quæst. allegata huius lib. à num. 6. vers. *tertio, notandum*, observat, quod numerus est triplex. Quidam est actus animæ, scilicet intellectus, quo numeramus, & hic dicitur numerus numerans. Alius est numerus numeratus, qui est in duplici differentia: vnus est numerus numeratus tanquam instrumentum, quo numeramus alium numerum numeratũ. V. g. quando numero fabarum numeramus numerum hominum, numerus fabarum est numeratus tanquam instrumentum, & est secundus in divisione dicta trium membri, & tertius est numerus numeratus, ut homines numerati per actum intellectus, tanquam per numerum numerans, & per fabas, tanquam per numerum numeratum, ut instrumentum.

Vndè, particula illa in definitione, scilicet *numerus* ponitur loco generis, per quam convenit tempus cum alijs numeris, qui tempus non sunt, & ponitur ut significet numerum numeratum, tanquam instrumentum. Circa quam observat Scotus, quod additur etiam ad differentiam mensuræ, secundum quam in mensura-

rando non exigitur discretio, vt in vna, libra, & consimilibus.

Illa alia particula, *motus*, apponitur (ait Subtilis Doctor) tam pro motu, quam pro illo, quod consequitur motum; quia omnis duratio successiva est mensurabilis tempore; tempus est illud, quo mensurantur omnes motus, qui tempus non sunt, & omnis successiva duratio.

Denique additur illa alia particula, *secundum prius, & posterius*, ad declarandum, partes tempus constituentes non debere coexistere simul, sed ita successivè, vt vna pars transferat, dum existit alia, & vt alia existat, necessariò debeat transisse ista, taliter quod repugnet simul duas partes existere. Ob quod, ait Scotus, quod si alio modo mensuramus motus, nempe vt simul duo motus, vel tres existant distinctorum mobilium, dicendo, illi motus sunt duo, vel illi motus sunt tres, tunc ille numerus non diceretur tempus; bene verò dicendo ille motus duravit vna hora, vel vna die, &c.

EX DICTA conclusione sic explicata nonnulla corollaria iuxta Subtilem Magistrum deducimus. Primum est: tempus non distinguitur à motu. Ita Scotus hic quæst. 15. num. 6. vers. *quantum ad tertium*, & in 4. dist. 48. quæst. 2. §. *contra secundam viam*, nu. 12. vers. *ad primum dicitur sic*, & sequenti. Ratio est; quia tempus

nihil est aliud, quam partes successivè fluentes cum ordine prioris, & posterioris modò supra explanato; sed motus successivus (de quo loquimur) omne hoc exprimit: ergo tempus est motus.

COROLLARIUM 2. est, non quilibet motus successivus est tempus, sed solum motus Cæli, & præcipuè solis. Sic Scotus in hoc 4. lib. allegatus vers. *secundò supponitur*, & quæst. 16. num. 5. vers. *quantum ad tertium*, & in 4. sent. iam adductus. Quod probat Scotus hac ratione: ille motus est tempus, per quem propriissimè mensuratur duratio successiva; sed hoc fit per motum Cæli: ergo &c. Mai. patet; quia per tempus non intelligitur aliud, quam mensura successivæ durationis. Min. etiam constat per conditiones mensuræ, quæ motui Cæli conveniunt. Primò namque motus Cæli est vnigenus cuilibet successivæ durationi, & hoc in successione. Secundò, quia motus Cæli est maximè notus, famosus, & magis communis omnibus, quam quilibet alius motus. Tertio, quia motus Cæli est primus motuum, vt liquet 8. Phys. text. 75. & est rationabile, quod primum in aliquo genere sit mensura aliorum eiusdem generis. Quarto, quia motus Cæli est invariabilis; quia non potest velocitari, aut retardari; & est de ratione mensuræ, quod non possit variari. Quintò, quia motus Cæli

li est minus, vt patet 2. Cœli, tex. 28. & 4. Phys. tex. 33. & 10. Met. tex. 3. & 4. quia est velocissimus: ex quibus omnibus deducitur, quod non quilibet motus successivus, sed solus motus Cœli est tempus.

Circa quæ noto, quod tempus, prout dicit solùm partes motus, & successionem illarum, est quid reale, non simul totum existens, nisi successivè vna pars post aliã, taliter quod quælibet dū est præsens est ens reale simpliciter. At quælibet dum non est præsens, hoc est, dum non est existens, vel est præterita, vel futura, & vt sic, licet non sit ens rationis chymericum, & fictitium; est tamen ens secundum quid, & in esse cognito solum, vt constat ex alibi dictis multoties, tam in cursu Philos. quàm in Theolog. maxime loquendo de ente possibili, futuro, & præterito. Quod si tempus, hora v.g. concipiatur, vt tota simul existens, sic est ens rationis chymericum; quia vt sic est tantum obiectivè in intellectu, & sine fundamento in re.

TERTIUM COROLLARIUM, potest dari quies in omnibus mobilibus, vel potest Deus annihilare omnia mobilia, in quo casu non esset tempus reale, nisi imaginarium, quod sanè erat ante rerum creationem, quod revera tempus imaginarium est, quædam non repugnantia temporis realis, quam ad modum duratio-

nis successivæ cœcipimus. Quod docet Scotus quodl. 11. §. de secundo articulo, num. 9. vers. ad tertium diceretur. Et patet: idè in æternitate, hoc est, ante mundi creationem, dicitur communiter dari tempus imaginarium, quia in æternitate, hoc est, multo ante quam de facto crearetur mūdus, licet non ab æterno, non repugnabat tempus reale: ergo illa non repugnantia, quam vt durationem concipimus, est tempus imaginarium: ad modum scilicet spatij imaginarij, vt diximus disp. antecedenti, proportione servata.

Quod amplius probat, & explicat clarius Scotus allegatus sic: *Nulla motu existente, posset esse quies aliqua (id est, aliquod corpus, quin moveretur) etiam propriè accepta, quia nullo corpore moto, posset aliquod corpus uniformiter se habere, & cum hoc esse aptum natum aliter, & aliter se habere, sicut post iudicium corpus beati... Huic ergo uniformi dispositioni correspondet propria mensura, quæ est tempus: (supple imaginarium) inter cuius quæcumque duo instantia imaginata posset tantus fluxus, sive motus intercipi, & ita si tempus dicitur mensura motus, sive fluxus, illa uniformis existentia habebit tempus: licet non uniformiter actuale positivum, sed potentiiale, & privativum.*

Circa dicta observo, quod cum tempus essentialiter dicat successio:

sionem, nunquam possunt existere simul plures, imò neque duæ adhuc partes, aliàs iam illæ partes non essent essentialiter successivæ, nisi ad summum per accidens: ex quo sequitur, quod ex partibus temporis, (idem tenendum est de quolibet motu successivo) vna sola indivisibilis est existens, in quolibet nunc, & consequenter nunquam est verum dicere, nunc sunt præsentæ duæ, vel plures partes temporis, nisi vnica indivisibilis; ex cæteris verò quæ jam sunt præteritæ; quia in tali nunc iam non existunt, & extiterunt, non simul duæ, vel plures, sed vna postquam perijt alia; quædam verò sunt futuræ; quia in tali nunc non existunt, & existent infallibiliter, non simul duæ, vel plures, sed vna postquam perierit, quæ in tali nunc est præsens, & existens, & alia postquam perierit illa, & sic de alijs vltique in infinitum, si tempus esset infinitum. Quod si totum possibile tempus non sit futurum, postquam extiterint omnes partes temporis futuri, solum remanebant partes possibles, hoc est, partes temporis, quibus non repugnat existere successivè, vt manet dictum, & quibus repugnat, existere simul duas, vel plures. Supra quod adverti debet, quod in illo tunc, in quo prima indivisibilis pars temporis extitit, nulla alia erat præterita; quia ante primam nulla

extitit: neque in illo tunc, in quo existit vltima, est verum dicere, quod dantur aliæ futuræ; quia post vltimam nulla existit, quod omne est per se notum.

Noto deindè, quod dum dicimus tempus durare, vel conservari, non debet intelligi, simul existere omnes illius partes, sed continuò succedere, & existere vnâ post aliam, taliter quod nulla existit plus quàm vno indivisibili instanti temporis, sive durationis imaginariæ; quia post primum instans indivisibile, in quo existit prima, iam ista non existit, nisi secunda, & sic de cæteris; non sic in rebus permanentibus, quarum omnes partes existunt simul in quolibet instanti, sive vnico instanti existant, sive conserventur per plura instantia ultra primum, in quo creantur.

Vltèriùs noto ad solutionem aliquorum argumentorum, quod tempus potest considerari, vt est duratio successiva, & sic nihil est præter motum successivum: & vltra hoc potest considerari, vt est mensura aliarum durationum, quomodo dicimus tempus esse motum Cœli, ob rationes supradictas. Deindè, valet considerari, vt mensura in actu primo remoto, & sic nihil dicit, nec reale, nec rationis præter ipsius entitatem; quia ex se habet capacitatem, & aptitudinem ad mensurandum, & hoc habet ex natura sua. Po-

rest vterius considerari, vt mensura in actu primo proximo, & sic addit supra entitatem partes determinatas, horas v.g. vt mensuret diem, &c. quod non habet ex natura sua, sed ex beneplacito hominum, qui sic voluerunt in viginti quatuor partes dividere diem, cum potuissent in plus, aut minus: & ita, supra entitatem dicit quid rationis ex beneplacito hominum sic dividente partes quasi discretas. Potest denique considerari, vt mensura in actu secundo, quatenus scilicet intellectus applicando tales partes mensurat, & certificat se de dura-

tione aliarum rerum, tam successivarum, quam permanentium, & tam motus, quam quietis, an videlicet durent vna, vel tantis horis, diebus, & annis: & sic, vltra dicta pro fundamento exprimit pro formali respectum rationis ad rem mensuratam causatum ab intellectu comparante mensuram, sive tempus ad rem mensuratam, ob quod respectu istius tempus dicitur mensura extrinseca; nam mensura intrinseca cuiuslibet appellatur ipsiusmet duratio intrinseca, vt eternitas Dei, & Ævum rei permanentis creatæ.



LIBER QUINTVS PHYSICORVM.



FXAGITAT Arist. in hoc 5. lib. Physic. per sex capita, de speciebus motus quoad ipsius unitatem, tam specificam quam numericam, necnon penes suam contrarietatem; de quibus, quia facilliora apparent, & alibi de ipsis plura non semel manent apposita, placuit, quæ modò sub examine veniunt, vnica disp. cõprehendere.

DISPVATIO VNICA.
DE SPECIEBVS MOTVS.

IN præsentî disp. non solum assignabimus species motus, verum designabimus ad quæ prædicamenta detur: & à quo specificatio, vnitalque numerica proveniat, quibus non tantum disp. præsens, sed & cunctus lib. 5. finietur.



SEC.

SECTIO I.

SPECIES MOTVS ASSIG-
nantur.

PRima divisio motus est in instantaneum, & successivum. Instantaneus est, qui in instanti absolvitur. De quo noto, quod cum successio possit dupliciter accipi, nempe improprie, prout dicit transitum de termino à quo ad terminum ad quem, sic sumpto motu, successivus erit motus in communi; at magis strictè loquēdo, successio desumi solet pro continua, & in tempore facta: & in hoc sensu sumimus hic successionem, dum motum dividimus in successivum, & instantaneum.

Secunda divisio motus in communi est illa, quæ traditur ab Arist. 5. Phys. 7. ubi ait: omne, quod mutatur, intelligi posse mutari, vel de subiecto in subiectum, vel de non subiecto in non subiectum, vel de non subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum: & omiſſa secunda, scilicet de non subiecto in non subiectum, quæ impossibilis est, concludit, quod illis tribus modis potest contingere motus. Circa quã divisionem noto, quod per subiectũ intelligit hic Arist. terminum positivum, nũm sit à quo, nũm verò ad quem, & per non subiectum terminum nega-

tivum: vndè dicta divisio potest fieri bimembris, nempe quod motus potest fieri inter terminos positivos, & tunc est de subiecto in subiectum, videlicet de vna forma in aliam formam, vel inter vnum positivum, & alterum negativum, & tunc est, vel de non subiecto in subiectum, scilicet de privatione formæ in formam, vel de subiecto in non subiectum, nempe de forma positiva in privationem istius, qua propter ista divisio, quippè inter vnum terminum positivum, & alterum negativum, subdividitur in illam, cuius terminus à quo est positivus, & terminus ad quem negativus, & in aliam, cuius terminus à quo est negativus, & terminus ad quem positivus.

Tertia divisio motus est penes terminos ad quos terminatur; nam terminatur ad ens simpliciter, qualis est forma substantialis, vt sumitur hic ens simpliciter, vel ad ens secundum quid qualis est forma accidentalis, vt in præſenti accipitur ens secundum quid: & consequenter motus, vel est substantialis, vel accidentalis. Ita colligitur ex Arist. 5. Phys. 8.

Quarta divisio motus est in naturalem, violentum, & neutrum, quæ revera sumitur penes habitudinem, quàm dicit subiectum ad formã; nam subiectum, vel inclinatur naturaliter ad formam, vt aqua v. g. ad frigiditatem,

tem, & tunc motus est naturalis; vel habet oppositionē cum illa, vt aqua ad calorem, & tunc motus est violentus; vel neque inclinatur ad formam, neque habet oppositionem cum illa, quod est neutro modo se habere, vt in motu circulari rotæ v.g. & tunc motus dicitur neuter.

Aliæ solent assignari divisiones motus; sed quia vel conveniunt tantum motui accidentali, vel solum successivo, vt fortè infra videbimus, consultò illas omittimus. Et quia appositæ, præter primam sunt claræ, explicabimus nunc, quid formaliter addat successio, quæ motum successivum constituit, & distinguit ab instantaneo.

SECTIO II.

EXPENDITVR DIVISIO MOTVS in instantæum, & successivum.

Sciendum est, quod motus successivus etiam dicitur cōtinuus; at in præsentī non sumitur cōtinuitas pro perpetuitate, quemadmodum accipit illam Arist. 8. Phys. 54. & sequenti, dum ait, solum motum Cœli esse cōtinuum; sed sumitur quatenus habet partes continuatas. Et hoc adhuc valet dupliciter esse: primò, partes possunt esse cōtinuatæ, quatenus sunt adinvicem unitæ, vt in corpore quanto permanenti, quod revera dicitur con-

tinuum permanēs. Secundo, hac ratione nequeunt dici continuæ, sive continuatæ partes motus successivi; quia non existunt omnes simul, imò neque adhuc duæ; & quod non existit nequit alteri uniri; sed motus dicitur cōtinuum successivum, eo quod vna pars existit post aliam immediate, hoc est, quin mediet aliqua quies, sive mora notabilis inter partem, & partem successivè existentem.

Notanter diximus *sine mora notabili*; quia in pluribus motibus, imò & in ipso motu Cœli, sive solis, dantur aliqua moræ, vt videbimus lib. sequenti, & tamen quia non sunt notabiles, partes dicuntur continuatæ, quoad hoc quod est vnam post aliam immediate existere, ipsiusque motus cōtinuum successivum. Quando verò inter partes motus datur interruptio notabilis, successio illius non dicitur cōtinua, sed discreta.

Hic solet dubitari, in quo formaliter consistat successio motus? Aliqui tenent, successionem in motu esse quantitatem quandam, quia dicit pluralitatem partium sibi invicem succedentium, quæ quantitas ab aliquibus ponitur prædicamentalis, cum sit quædam pluralitas partium motus distincta à pluralitate partium formæ, licet ab ista proveniat. Alteri asserunt, successionem formaliter dicere negationem

nem simultatis partium motus.

SIT CONCLUSIO : successio non stat formaliter in quantitate, neque in negatione simultatis partium, nisi in relatione rationis, seu ordine partium secundum prius, & posterius. Concl. supponitur à Scoto in 2. dist. 2. quæst. 1. num. 18. §. *sed contra conclusionem*, & alijs in locis ipsius quæstionis, & quæst. 2. num. 4. §. *instatur contra istud*, verl. *istam instantiam*, & in pluribus alijs locis, in quibus sustinet dari ordinem prioris, & posterioris in motu successivo, & tempore.

Quod non sit quantitas partium prob. quia possunt intelligi partes, quin intelligatur successio; nam de conceptu partium non est successio, vt ex se patet: ergo in quantitate partium præcisè non stat successio formaliter.

Confirmatur: quia in motu successivo, cui non repugnat esse instantaneus, etiam si fiat in instanti habet omnes suas partes, ac per cõsequens eandem quantitatem; sed tunc nulla est successio in motu: ergo non consistit ista formaliter in quantitate partium.

Quod neque sit formaliter mera negatio simultatis, liquet etiam; quia negatio simultatis in existendo, reperitur inter illa, quorum nullum existit, & inter illa, quorum existit vnum, & non existit aliud, quod reperitur sine

successione inter illa: ergo non stat successio formaliter in præcisa negatione simultatis, etiam si successio talem negationem dicat.

Cæterum, quod stet formaliter in ordine prioris, & posterioris, nempe in ordine tali, per quem prima pars motus est prior respectu aliarum, & respectu nullius posterior, quæ sequitur est posterior respectu præteritæ, & prior respectu futurarum, & sic de alijs, servatis servandis, vsque ad ultimam, quæ est posterior respectu aliarum, & respectu nullius est prior, patet; quia his ordinibus intellectis, intelligitur successio, etiam si nihil aliud intelligatur, & quovis alio intellecto, si isti respectus non intelligantur, non intelligitur successio; ergo &c.

Circa quod noto, quod successivum pro materiali, sive tanquam pro fundamento, & termino dicit ipsas partes motus, & pro formali dicitur relationes: sicuti simile v. g. pro materiali, sive tanquam fundamento, & termino, dicit duo alba, & pro formali relationem similitudinis.

Vnde præfatas relationes non esse reales, sed rationis, patet etiam; quia non est inter extrema existentia; nam dum vna pars existit, iam est præterita illa ad quam dicit respectum posterioris, & nondum existit, sed est futura illa, ad quam respectum prioris dicit.

Et observo circa hoc, quod illa forma cuius partes successivè acquiruntur, & in factò esse simul existunt, vt calor in aqua v.g. in factò esse talis forma non est successiva, nisi permanens. Imò neque in fieri, sive motus ad ipsam est per se successivus, nisi per accidens; quia potest in instanti esse. At vt reduplicativè successivus talis motus, partes illius dicunt prædictos respectus prioris, & posterioris: & etiam partes formæ, non vt in factò esse, sed reduplicativè vt in fieri; & vt sic, iam non est prima, dum advenit secunda, neque est tertia: ac per consequens semper sunt ad terminos non existentes dictæ relationes, modo quo termini sunt, nempe reduplicativè in fieri, licet modo quo termini non sunt, existant, scilicet in factò esse.

Obijcies Arist. in Prædicam. cap. de quantitate, qui inter species quantitatis numeravit motum, & tempus; sed ista sunt entia successiva: ergo successio est quantitas partium.

Resp. Phil. enumerasse motum, & tempus inter species quantitatis; sed non quia intenderet esse species propriè quantitatis, nisi impropiè, vt diximus iam in Met. tract. 4. disp. 4. sect. 5.

Videatur ibi, ne dicta iterum referamus.



SECTIO III.

QUÆ MOTVS DIVISIO SIT
essentialis, & quæ acciden-
talis?

Primam divisionem motus in instantaneum, & successivum propugnant aliqui esse essentialem. Alij verò distinguunt successionem à continuitate, & dicunt, successionem esse differentiam essentialem motus, continuitatem verò proprietatem: vnde sentire videntur, essentialem esse talem divisionem. De alijs divisionibus variè etiam iudicant Authores; at nos breviter, claritate, qua possimus de singulis disputabimus.

SIT I. CONCLUSIO: divisio motus in instantaneum per se, ita vt repugnet illi esse successivum, & in successivum, quomodo libet sit successivum, scilicet nùm per se, nùm verò per accidens, est essentialis. Prob. hoc principio, quo omnes, vel ferè cunctæ sequentes cõclusiones in hac sect. resolvendæ suaderi poterunt. Illa divisio est essentialis, quæ dividit divisum in talia membra, quod licet divisum, vt sic, sit ex se indifferens ad vtrumque, nulli in dividuo divisi possunt convenire ambo membra, nec simul, nec divisim; sed nulli huic motui in dividuo possunt convenire, nec simul, nec divisim ista membra,

esse per se instantaneum, & esse
 successivum, nūm per se, nūm pe
 accidens: ergo prædicta divisio est
 essentialis. Min. satis ex se patet;
 quia individuo motui, cum re-
 pugnet successio, certū est, quod
 neque per se, nec per accidens
 poterit convenire successio, nec
 simul cum instantaneitate, nec
 divisim. Mai. etiam constat; quia
 idē divisio animalis v. g. in ra-
 tionale, & irrationale dicitur es-
 sentialis, quia, licet animal, vt
 sic, quod quidem est divisum,
 possit divisivē esse rationale, &
 irrationale ex se, nullum idem
 individuum sub animali potest
 esse rationale, & irrationale, nec
 simul, nec divisim: idem dicimus
 de colore, vt sic, in album, & ni-
 grum; & idē divisio hominis in
 album, & nigrum dicitur acci-
 dentalis; quia homo, vt sic, non
 solum est indifferens ad albedi-
 nem, & nigredinem ex se, verum
 quodlibet individuum hominis
 potest, licet non simul, saltem di-
 visivē esse album, & nigrum, si-
 quidem albedo, & nigredo pos-
 sunt adesse, & abesse præter su-
 biectionem corruptionem, in quo stat,
 quod membra dividenda sint
 accidentia respectu divisi, sin au-
 tem erit, vel in differentias essen-
 tiales contrahentes genus per
 identitatem, & sic erit essentia-
 lis, vel in proprietates insepara-
 biles à differentijs essentialibus,
 quomodo iam non erit acciden-
 talis, sed reducetur ad essen-

tialem. Consequen. sequitur.

SIT 2. CONCLUSIO: divisio
 motus in successivum per se, &
 instantaneum, nūm sit per se in-
 stantaneum, nūm verò per acci-
 dens, etiam est essentialis. Et li-
 quet ex præcedenti, applicatis
 applicandis. Ex quibus deduci-
 tur, quod etiam sit essentialis di-
 visio motus in instantaneum per
 se, & successivum per se. Deindē
 sequitur, quod divisio motus in
 motum instantaneum, qui potest
 esse successivus, & in successi-
 vum, qui potest esse instantaneus,
 est accidentalis, quod satis
 ex se patet.

CIRCA 2. divisionem trimē-
 brem sit 3. conclus. divisio motus
 in motum à subiecto in subie-
 ctum, & in motum à subiecto in
 non subiectum, non solum non
 est essentialis, verum nec est pro-
 pria divisio, ac per consequens,
 nec est divisio propria acciden-
 talis. Patet conclus. quia vna ex
 regulis bonæ divisionis propriæ
 est, quod vnum ex membris di-
 videntibus non includatur in
 alio, vt diximus in summulis
 disp. 4. sect. 6. vers. *secunda*, quod
 membra, sed prædictæ divisionis
 vnum membrum includitur in
 alio: ergo &c. Patet min. quia
 motus de subiecto in non subie-
 ctum, hoc est, de forma in istius
 carentiam includitur in motu
 de subiecto in subiectum, id est,
 de vna forma in aliā: ergo. Con-
 stat antec. repugnat quod subie-

Autem mutetur de forma præhabita, quin mutetur ad non habendum talem formam: ergo & quod mutetur de illa ad aliam, quin simul mutetur ad carentiam illius: ergo in motu de subiecto ad subiectum includitur motus de subiecto ad non subiectum.

SIT 4. CONCLUSIO: divisio motus in motum de subiecto in subiectum, & in motum de non subiecto in subiectum etiam est impropria, sicuti præcedens, & ob eandem rationem; quia motus de vna forma præhabita ad formam, quæ acquiritur, necessario includit motum à carentia formæ, quæ acquiritur ad ipsam talem formam, vt satis ex se liquet.

SIT 5. CONCLUSIO: divisio motus in motum de non subiecto in subiectum, & in motum de subiecto in non subiectum est essentialis. Prob. quia impossibile est cuilibet individuo motus de subiecto, siue de forma in privationem formæ, esse de privatione formæ in formam, & è contra: ergo divisio motus in ista membra non est accidentalis, nisi essentialis. Conseq. patet ex probatione primæ conclusionis.

SIT 6. CONCLUSIO: divisio motus in substantialem, & accidentalem est essentialis. Hæc conclusio potest probari ratione, quæ præcedens; quia nullus motus in individuo potest transire de substantiali in accidentalem, nec è

contra. Deinde, quia motus à termino ad quem sumit suam specificationem principaliter; sed substantia, & accidens, quæ sunt termini ad quem prædictorum motuum, non solum specie, verum & genere differunt: ergo motus substantialis, & accidentalis distinguuntur specie: ergo motus in illos est generis in species: ergo est essentialis.

SIT 7. CONCLUSIO: divisio motus in naturalem violentum, & neutrum est accidentalis. Patet ex ratione præcedentium; quia idem numero motus ad eandem numero formam, si sit in subiecto innatè appetente formam est naturalis; & si sit in subiecto illam innatè renuente est violentus; & si in subiecto neutro, scilicet nec innatè appetente, nec renuente formam, est neuter: ergo. Ratio à priori est; quia motus non specificatur à subiecto, nisi à termino ad quem.

Prædictæ conclusiones sunt conformes doctrinæ Scoti varijs in locis, & præcipuè 3. 4. 5. & 6. in hoc 5. lib. quæst. 1. num. 4. vers. *secundò notandum*, & prima, ac secunda conclusio. quæst. 2. per totam, de sexta, & septima specialiter, & applicativè de alijs in 1. dist. 2. q. 7. §. *ad primū argumētum*, à num. 30. vers. *cum arguitur ratio de motu*, & dist. 13. quæst. vnic. num. 2. §. *contra August.* vers. *item illud de 5. Physicor.* & §. *ad questionem respondeo*, num. 21. vers. *ad pri-*

num dico, & in 3. dist. 13. quat. 2.
num. 6. §. ad secundum, vers. & tunc
ad illas duas.

SECTIO IV.

AD QUÆ PRÆDICAMENTA datur motus?

Multipliciter solet accipi motus, ex quo oritur diversitas opinionum; quia cum unusquisque suo modo accipiat, prohibito etiam resolvit: vnde controversia ista, plus de re, quam de nomine censetur: quapropter iuxta acceptiones motus, quas in hoc 5. lib. affert Scotus, vt questionem istam resolvat, & iuxta alias, in quibus accipi potest, breviter sine lite assignabimus prædicamenta, ad quæ datur motus, & ex illis ad quæ per se, & ad quæ per accidens.

Itaque Scotus allegatus q. 1. n. 3. vers. notandum, quod motus, vno modo accipit motum pro omni mutatione, siue sit instantanea, siue successiva, modo sit in subiecto in actu substantiali, quale est totum physicum cõpletum, modo sit in subiecto in potentia, qualis est materia prima. Ita sumpto motu certum est dari motum per se ad substantiam, siquidem materia prima mutatur de non habenda vna forma ad illam habendam, & sic datur hic motus in generatione, licet non successivus, instantaneus: & etiam mu-

tatur de habenda vna forma ad illam non habendam, quomodo datur motus in corruptione, ex quibus primus dicitur acquisitivus, & secundus deperditivus. Deinde, quod hoc modo datur ad quantitatem, qualitatem, & ubi, satis patet ex dictis.

Quod si ad huiusmodi motum non requiratur, quod forma ad quam transit subiectum (idem dicimus de deperditivo, proportionem servata) non intendatur per se ab agente, nisi solum quod subiectum aliter se habeat, ad omnia prædicamenta erit motus, & sic ad relationem etiam intrinsecus advenientem; quia paries albus v. g. ante existentiam alterius albi non erat similis illi, & dum existit, iam est illi similis. At si ad motum requiratur, quod agens intendat formam per quam subiectum aliter se habet, ad relationem intrinsecus advenientem non datur motus; quia produciens albedinem, istam intendit producere in subiecto, & præter intentionem illius resultat similitudo ad omnia alba, & dissimilitudo ad non alba, & etiam in alijs albis, & non albis ad illud. Ad relationes extrinsecus advenientes, iam potest esse motus ex hac conditione; quia possunt intendi ab agente, vt ad ubi, & ad unionem hypostaticam v. g. & ad quamlibet, quæ non resultaret ex præcisa approximatione extremorum.

Circa

Circa quam conditionem noto, quod quia posito corpore in loco fundamentaliter, necessariò resultat vbi, potest dici, quod dum corpus movetur de loco ad locum, iste motus ex intentione agentis non est ad vbi formaliter, nisi fundamentaliter; quia agens solum intendit esse in tali loco, & posito in illo, necessariò resultat relatio vbi, sicuti relatio intrinsicè advenièns, positis extremis in rerum natura: & sic possunt interpretari Philof. & Scotus dicentes ad vbi dari motum. Vel aliter sumendo motum, si loquantur de vbi formali, nempe sumendo motum prout per illum acquirit subiectū aliquid, per quod intrinsicè se habet aliter, ac antea; quia per motum localem nihil aliud præter vbi acquirit intrinsicè locatum, siquidem locus non recipitur in illo, nisi vbi.

Alio modo, ait Scotus, accipitur motus, scilicet pro omni mutatione successiva, sive sit in subiecto in actu, nempe composito physico, sive in potentia, quippe materia prima, & sic accipit Arist. motum in 3. lib. Hoc potest etiā intelligi latè, vnde quaque proveniat successio, nūm per se, nūm per accidens, nūm ex parte subiecti, nūm ex parte virtutis limitati agentis. Et hoc modo dabitur motus ad omnia prædicamenta; quia omnia possunt successivè acquiri.

Tertio modo, prosequitur Scotus, sumitur motus propriissimè pro mutatione successiva facta in subiecto in actu de termino à quo positivo ad terminum ad quem positivum, & sic accipit Arist. motum in isto 5. tex. 18. quando probat, quod solum in tribus generibus invenitur motus, scilicet in quantitate, qualitate, & vbi: & sic isti termini mutatio, & motus se habent sicut superius, & inferius, nam omnis motus est mutatio, non è contra. In ista acceptione non est motus ad substantiam. Primò, quia fit in materia prima. Secundo, quia non est successivus.

Circa quod observat Scotus, quod licet aliqua forma substantialis introducatur successivè in materia, non est motus propriè; quia illa successio provenit propter partes quantitativas subiecti, vt quando comburitur lignum, prius introducitur forma ignis in vna parte, & postea in alia, quod non sufficit, eo quod quilibet pars mutatur instantanè ad illam, quod non evenit in qualitate, quæ in qualibet parte subiecti intenditur successivè, & in toto subiecto.

Cum enim tam diversimodè accipi possit motus, vt vidimus, & accipiatur ab Arist. varijs in locis, & à Scoto cum ipso, ex hoc responderi valet ad authoritates illorum, si in eo opponantur, nempe si detur motus, vel non ad hoc,

hoc, vel illud prædicamentum; quia secundum unam acceptio- nem motus, dabitur motus ad unum prædicamentum, & secundum aliam non dabitur. Et sic poterit etiam responderi ad argumenta à ratione. Sed ut melius responderi possit, sumpto motu propriè, quomodo ait Arist. dari motum ad quantitatem, qualitatem, & ubi solummodo.

SECTIO V.

QUÆ SINT CONDI T I O N E S motus propriè sumpti?

Quatuor conditiones ad motum propriè sumptum requisitas, assignat Scotus in hoc 5. lib. quæst. 3. num. 3. vers. *notandum*, quod ad motum, ut sic propugnet cum Phil. dari motum propriè sumptum ad quantitatem. Prima illarum est, quod acquisibile per motum, per se, & de natuta sua sit acquisibile successive, & non subito, ita quod non possit totum simul acquiri.

Secunda conditio est, quod illud, cui fit acquisitio, vel deperditio, maneat idem ante, & post, ita quod acquisitio, vel deperditio fiat alicui manenti idem, ut aqua v. g. quæ manet eadem numero, licet mutetur de frigida in calidam.

Tertia conditio est, quod illud, quod acquiritur, sit acquisibile sibi per motum sui ipsius, & non

ad motum alterius; & propter hoc ponit Arist. quod ad relationem non est motus; quia prædicata relativa mutantur de aliquo subiecto, non propter mutationem ipsius subiecti, sed propter mutationem factam in aliquo alio, nempe in termino, ut ex se patet.

Quarta conditio est, quod motus ille sit de termino positivo ad terminum positivum, inter quos terminos est distantia media: & ista sequitur ex præcedenti conditione; quia nisi sit distantia, secundum quam posset fieri successio, iam motui non repugnaret, quod fieri posset subito, & in instanti; & talis distantia terminorum vocatur contrarietas, quæ in qualitatibus non est distantia secundum situm, sed secundum gradus qualitatis.

His conditionibus motus suppositis, ut clarè constet, dari motum ad quantitatem sumptum in hac propria acceptione, profertur num. 4. vers. *secundo*, *notandum*, & explicat sex modos, quibus potest accipi augmentatio. Primo modo, ait, sumitur augmentatio pro quacunque maioratione quantitatis, sive fiat adveniente aliquo, sive non: & sic rarefactio dicitur augmentatio, & talis non est ad quantitatem, imò est ad qualitatem; cuius signum est, quod per rarefactionem mutantur prædicata de genere qualitatis, ut rarum, densum de illo.

illo, quod sic augmentatur.

Secundo modo sumitur augmentatio pro maioratione quantitatis mediante aliquo adveniente: & hoc multipliciter; vno modo per aggregationem, vt cumulus lapidum dicitur augmentari per appositionem lapidum.

Tertio modo, per continuationem, vt quando aqua apponitur aquæ.

Quarto modo, per generationem, vt quando ignis augmentatur per appositionem combustibilium.

Quinto, quando auctum est continuè aliud, & aliud, vt quando propter augmentum potentia, vel diminutionem resistentia continuè est alia, & alia proportio, & continuè maior, & maior.

Nullo ex his modis sumitur hic augmentatio; nam sic augmentatio non est aliud, quam motus localis, vel alteratio; aut generatio, vel corruptio.

Sexto modo accipitur augmentatio pro maioratione quantitatis viventis facta, adveniente aliquo, scilicet nutrimento, virtute animæ, mediante calore naturali; & sic accipitur in proposito. Et ad talem augmentationem requiruntur aliqui motus, vel mutationes. Primò enim requiritur alteratio, scilicet decoctio nutrimenti. Secundò, motus localis nutrimenti decocti à stomacho ad membra. Tertio, corruptio substantialis nutrimenti. Quar-

tò, illam corruptionem sequitur partialis generatio animæ viventis. Et quinto requiritur, facta generatione, extensio quedam totius corporis; & hoc fit virtute caloris naturalis.

Ex quibus patet, quod in huiusmodi augmentatione datur motus ad quantitatem; nam ad illud est motus propriè sumptus, quod ex sua natura est acquisibile successivè alicui manenti eidem per mutationem sui ipsius, & non per mutationem alterius; sed quantitas est ex sua natura acquisibilis successivè vivèri manenti eidem per mutationem ipsius viventis, & non alicuius alterius: ergo &c.

SECTIO VI.

DE QVO SPECIFICENTUR MOTUS?

NOto, quod non querimus, à quo specificetur motus intrinsecè; nam certum est specificari à suis predicatis intrinsecis, essentialibus, & specificativis. Solum enim inquirimus specificationem extrinsecam, id est, quodnam sit principium, ex quo possit colligi, num à priori, num verò à posteriori, quod vnus motus sit eiusdem, vel diversæ speciei cum alio? Et quæst. est de motu acquisitivo.

SIT CONCLUSIO: motus ad formam, quæ producitur non sumit

mit suam specificationē ab agente, neque à termino à quo positivo, neque privativo, neque à subiecto, nisi à termino ad quem; motus verò localis potest specificari non solum à termino ad quem, & à quo positivo, verum etiam à medio. Ita Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *ad primum argumentum principale*, num. 30. à *verf. cum arguitur tertio*. De motu ad formam, quæ producitur, tenet etiam nostram conclus. dist. 13. quæst. vnic. num. 2. §. *contra*, Aug. 5. *verf. item illud de 5. Physicorum*, & §. *ad quæstionem respondeo*, num. 22. *verf. ad primum dico*, & in 3. dist. 14. quæst. 2. num. 6. §. *ad secundum*, *verf. & tunc ad illas duas*, & in 4. dist. 43. quæst. 1. §. *aliter ponitur*, num. 8. *verf. contra istud*.

Prob. breviter quoad omnes suas partes, & 1. quod non specificetur ab agente patet; quia eadem forma specifica potest à diversis specie agentibus provenire, ut calor à Sole, & igne v.g. ergo etiam motus, nam iste est fluxus ipsius formæ.

Secundò, quod non specificetur à termino à quo privativo, constat; quia nullum ens positivum potest à puro nihilo, qualis est privatio, specificari. Deindè, quia privationes specificamus ex terminis, quibus privant, cum ipsæ nihil sint.

Tertiò, quod neque à termino à quo positivo, docet Arist. 5. Phys. 48. Et patet; quia sicuti forma ig-

nis semper est vna specificè, nùm producatur in ligno istius speciei, nùm alterius, etiã motus ad illam; quia non est maior ratio vnus, quàm alterius. Et noto, quod si loquatur de motu, sive de mutatione deperditiva, specificabitur à termino à quo positivo ob eandem rationem, servatis servandis.

Quartò, quod non specificetur à subiecto, constat evidenter in mutationibus substantialibus, siquidem idem est subiectum in omnibus, scilicèt materia prima. Et in accidentalibus; quia sicuti calor introductus in ligno, & in aqua est eiusdem speciei, etiam motus ligni, & aquæ ad calorem,

Quintò, quod specificetur à termino ad quem. Prob. 1. quia iste intenditur per se à natura; & ab illo denominatur motus, ut calefactio à calore v.g.

Sextò, quod motus localis specificetur etiam à termino à quo positivo, & ad quem, & à medio, eo modo quo locales motus possunt specie distingui, liquet; quia valdè distinctus est motus à Cæsaraugusta in Matritum, quàm ab Hispali, & eodem modo distinguitur motus à Cæsaraugusta ad Matritum, quàm ad Barcinonam. Deindè, motus rectus specie distinguitur à curvo, licèt ab eodem loco, & ad eundem locum: ergo &c.

Argumenta, quæ contra nos solent fieri, facilè solventur, stando

do in hoc principio, nempe, quod pro motu, & mutatione, solum debet intelligi fluxus formæ, quæ acquiritur; minimè verò aliqua antecedentia; quia ista solent variari, & motus esse eiusdem speciei, ut patet, dum mutatur materia ad formam substantialem per putrefactionem, & per generationem ex semine.

Hic mos est etiam inquirere, à quo proveniat, sive ex quo sumatur unitas numerica; sive individuatio motus, hoc est, ex quo

proveniat, quod sit potius hoc individuum, quam aliud in eadem specie. De quo satis diximus in Met. tract. 3. disp. 3. sect. 3. ubi probavimus, à solo Deo provenire, determinante, & movente causam secundam plures numero effectus potentem producere eiusdem speciei, ut hunc potius numerò producat, quam illum. Quod constat etiam ex dictis hic lib. 2. disp. 2. sect. 8. & sect. 11. vers. unde solū de causa efficienti, & præcipuè d. 4. sect. 8. concl. 2.



LIBER SEXTVS

PHYSICORVM.



FIGIT Philosophus lib. 3. & 5. de unitate numerica, & specifica motus, ac de conditionibus, & proprietatibus illius; modò in hoc 6.

pertractat per 10. cap. de motu quoad suam integritatem, compositionem, divisionem, infinitatem, & alia valdè ad motus cognitionem deservientia, de quibus omnibus per duas disp. agemus, ut mos apud Auctores iam cõmuniter invaluit.



DISPVATIO I.

DE CONTINVO.

MOtus namque quoddam continuum censetur, ut videbimus infra, ob quod ut perfectam illius cognitionem capiamus, de continuo, tam successivò, quam permanenti oportet sedulò disputare.

SECTIO I.

QV ID, ET QVOTVPLEX SIT continuum?

Continuum est illud, quod ex pluribus partibus inte-

gralibus inter se vnitis constat. Vbi sciendum est, in hoc à contiguo differre, quod istius partes non sunt inter se vnitæ, sicuti partes illius, sed præcisè sunt adinvicem approximate, & adinvicem se tangentes.

Communiter dividitur continuum in permanens, & successivum. Permanens est, cuius partes simul existunt vnitæ, vt lignum v.g. successivum est, cuius partes sibi succedunt, ita vt simul non existunt, neque existere possunt plures, imò neque duæ, vt tempus. Ex quo constat, quod partes continui successivi neutiquam possunt inter se vniri; quia quod non existit, non est, & quod non est, nequit in sensu composito esse vnitum, vt satis ex se patet.

Difficultas præcipua, imò & vnica, quæ in præsentis disp. acriter à Philosophis disputari solet, est vtrum continuum, tam permanens, quam successivum componatur sive constet ex partibus divisibilibus in infinitum, ita vt nunquam deveniri possit ad partem ita parvâ, vt sit indivisibilis in alias? Vel vtrum constet partibus finitis, ita vt dividi possit in partes ita parvas, vt iam non possint in alias dividi, sive indivisibiles in alias? Sed antequam ad difficultatis resolutionem deveniamus, vt clariùs circa illam versemur, perfectiusque natura continui intelligatur, aliqua in præsentis sect. prænotare decrevimus.

Noto igitur 1. continuum permanens non solum inveniri in quantitate, sive in ente quantitativo, verumetiam in substantia materiali; quia ista (vt diximus in Met. tract. 4. disp. 4. sect. 3. & sect. 6. vers. *sexta denique proprietatis*.) independenter à quantitate habet partes integrales inter se vnitas; propterquam rationem in qualitatibus materialibus etiam independenter à quantitate ratio continui reperitur. Vndè quidquid dicatur de continuo, licèt communiter de continuo quantitativo examinetur, de quolibet continuo intelligi debet.

Noto 2. quod licèt hoc nomen *indivisibile* iuxta ipsius etymologiam, negationem divisibilitatis significare videatur; tamen aliquam entitatem positivam significat, quæ talem negationem dicit, vt de infinito, immenso, irrationali, &c. dictum manet alibi.

Noto 3. quod indissolubilitas argumentorum contra quamlibet opinionem circa partes componentes continuum, ob quod insuperabilis difficultas apparet omnibus, pendet (meo iudicio) ex diversa, ac impropria terminorum intelligentia. Quare vt omnis æquivocatio tollatur, & in sensu determinato loquamur, ac omnimoda proprietate, quidquid alij sentiant.

Noto 4. actû dari partes actuales in continuo, licèt non actû ab invicem separatas, sed inter se reals

realiter vnitas ; tamen realiter inter se distinctas, & ab invicem separabiles. Quod omne patet evidenter : lignum vnus vnus v.g. potest secari in duas medietates, vel in quatuor palmos, &c. sed si tales partes actū nō darentur in ligno, & essent actuales, non posset lignum actū in illas secari, & dividi : ergo licet antequam lignum dividatur in illas, sint inter se realiter vnitæ, sunt actū, & actuales in ligno, ac realiter inter se distinctæ. Quod sicut realiter inter se distinctæ, etiā patet evidenter ; quia illa, quæ non sunt inter se distincta realiter, nequeunt ab invicem separari ; neque vnum destrui, remanente alio, quod potest eveniri in partibus ligni, & multoties evenit, vt frequenter experimur : ergo &c.

Confirmatur hoc ; quia agens dividens lignum non producit partes, in quas lignum dividitur : ergo iam supponebantur actū, & actuales in ligno, etsi realiter inter se vnitæ.

Confirmatur 2. vna gutta aquæ, v.g. antequam cum aliâ vnatur, est ab illa realiter distincta, & actualis : ergo & postquam vnita ; quia quæ semel distinguuntur realiter, repugnat identificari realiter : & quod semel est actū, & actuale, semper est actū, & actuale, nisi destruat, atqui continuū aquæ constat, tanquam ex partibus integralibus, ex illis guttis

vnitis, quæ antea erant separatae : ergo in continuo dantur actū partes actuales realiter inter se distinctæ, etsi vnitæ inter se realiter.

Contra quod non obest, Scotum in 4. dist. 12. quest. 4. nu. 25. §. de quarta transmutatione, verſ. de divisione dico, dicere, quod partes, dum sunt vnitæ, sunt in potentia ; quia hic per esse partes in potentia, non intelligit esse possibile secundam suas entitates, neque esse tantum obiectivè in intellectu ; nam, vt manet probatum, physice & realiter existunt à parte rei vnitæ ; sed intelligit esse in potentia ad existendum per se, nempe sine vnione ad modum totius. Quod patet ex ipſo Doctore num. 26. verſ. de appositione dico, vbi clarè tenet, quod partes vnitæ habent eandem entitatem, ac separatae, & quod solum deficit eis vnio, dum sunt separatae.

Nota 5. partes, quæ actū dantur vnitæ in continuo, esse in duplici differentia. Quædam sunt aliquota, determinata, æquales, & non se communicantes. Dicuntur, aliquota ; quia si aliquoties repetantur, exhauriunt totum continuum. Dicuntur determinata, quia determinato numero clauduntur. Dicuntur æquales, quia nulla excedit aliā in magnitudine. Et denique dicuntur non se communicantes, quia vna neque secundum se totam, neque secundum

ali-

aliquid sui includitur in alia. Huiusmodi partes sunt quatuor palmi in vna v.g. qui si quatuor vicibus repetantur, complent vnam, & illam exhauriunt, si quatuor palmi auferantur ab ea. Sunt etiam determinatae, quia hoc determinato numero quaternario clauduntur. Sunt etiam aequales, vt ex se patet: & hinc, quod nulla includitur in alia, neque secundum se totam, neque secundum aliquid sui.

Aliae dantur partes, quae dicuntur *proportionales*, *indeterminatae*, *inaequales*, & *se communicantes*. Huiusmodi partes sunt, quando dividimus continuum secundum aliquam proportionem (ob quod dicuntur *proportionales*) & servata dicta proportione, quamlibet illius partem in alias partes minores, & istas in alias minores, vsque in infinitum syncathegorematicè subdividimus, vt si dividamus continuum proportione dupla, sive in duas medietates, & postea quamlibet ex illis, in alias duas medietates, & sic in infinitum. *Indeterminata* dicuntur, quia non habent parvitas terminum, nec numerum determinatum; sed quamlibet assignata, adhuc restant aliae, & aliae minores vsque in infinitum accipiendae. Dicuntur *inaequales*, quia nulla datur certa magnitudo, in qua tales partes sint aequales, sed semper sunt minores, & minores. Et denique dicuntur *se*

communicantes, quia semper vna est aliquid alterius, vt semipalmus v.g. qui semper est aliquid palmi.

Hic advertendum est, quod illae duae medietates, in quas continuum, & istae in alias duas, &c. dividuntur, possunt inter se comparari; & vt sic non dicuntur partes *proportionales*, *indeterminatae*, &c. imò dicuntur *aliquotae*, *determinatae*, &c. & possunt comparari, vel ad illam partem, cuius dicuntur medietates, & quae dicitur totum respectu illarum; vel ad alias partes medias, in quas quamlibet ipsarum vsque in infinitum dividi potest, & respectu quarum dicitur totum: & in utroque sensu, sive respectu cuiuslibet ex his duabus comparationibus dicuntur partes *proportionales*, *inaequales*, &c. His adnotatis de partibus.

Nota 6. praeter partes, dari uniones in continuo distinctas realiter ab ipsis partibus. Quod patet; quia divisa quantitate quatripalmari v.g. in quatuor partes palmares, remanent ipsae partes, quae erant unitae, & pereunt uniones, quibus uniebantur, & continuabantur: ergo dictae uniones distinguuntur realiter a partibus, quas uniant. Ista namque uniones sunt relationes extrinsecus advenientes: & sunt mutuae, hoc est, in qualibet parte fundatur unio, quae terminatur ad aliam partem, cum qua unitur sicuti

alibi manet dictum, loquendo de vnione totius substantialis physici, seruat seruantis. Quod debet intelligi de continuo permanenti; nam de successivo diximus iam, ipsius partes non posse vniri; quia non possunt adhuc duæ simul existere, alias iam non esset successivum, sed permanens. Vndè, de vnionibus nulla est quæst. in præsentî, nisi solum de partibus, de quibus sit.

SECTIO II.

*VTRVM CONTINVVM COMPO-
natur ex partibus indivisibilibus,
vel ex divisibilibus in
infinitum?*

Circa quæstionem istam tot, & tam arduas difficultates includentem variæ, ac diversæ dantur sententiæ, quæ ad duas præcipuas reduci possunt, nempe Zenonis asserentis continuum componi ex partibus indivisibilibus, & Aristotelis dicentis ex partibus semper divisibilibus usque in infinitum componi. Quæ quidem cum modificatione intellectæ (meo videri) conciliari possunt.

Ad quod noto, quod sicuti datur duplex compositio, nempe activa, quæ convenit parti, & passiva, quæ toti spectat, ut dixi in Theolog. tract. de *Attributis Dei*, loquendo de simplicitate Dei: pariformiter debet dari duplex

divisio, vna activa, quæ conveniat partibus dividendis totum, sive in quas totum dividitur, sive est divisibile, & alia passiva, quæ conveniat toti in partes divisio, sive divisibili. Vndè pars, licet non sit divisibilis passivè in alias partes, adhuc est divisibilis activè, vel, quod idem est divisiva. V.g. totum substantiale physicum est divisibile passivè in partes essentielles physicas, & nulla istarum est divisibilis in alias partes essentielles physicas; sed qualibet est divisibilis activè, sive divisiva totius in se ipsam, tanquam partem essentialem illius.

Deindè noto, quod indivisibile etiam est in duplici differentia. Aliud est extra genus divisibilitatis, & aliud intra genus. Indivisibile extra genus divisibilitatis vocamus illud, cui ex genere suo repugnat esse totum, & pars, adhuc indivisibilis in aliquo genere: v. g. in genere divisibilitatis integralis, Angelus est indivisibilis extra genus; quia repugnat illi ex genere suo esse totum integrale, & etiam partem, adhuc indivisibilem. Indivisibile intra genus vocamus illud, quod in aliquo genere potest esse pars, in quam dividatur aliquod totum; sed non potest esse totum divisibile in aliquas partes talis generis: v. g. materia prima, & etiam forma substantialis in genere divisionis in partes essentielles physicas sunt indivisibiles;

biles, quia in ipsas potest dividi totum substantiale, tanquam in partes essentielles physicas; ipsæ verò sunt indivisibiles in alias partes essentielles physicas.

Ex dictis iam supponimus, in continuo permanenti dari indivisibilia extra genus, quæ quidem sunt uniones, quibus partes continui uniantur inter se, & continuantur. Quod dentur tales uniones, iam manet probatum supra. Quod tales uniones sint indivisibiles, etiam constat; quia ut remanet dictum, sunt relationes, & istæ nec habent partes integrales, quibus constant, neque sunt partes integrales, ut ex se patet, in quo genere divisionis est divisibile continuum. Istæ namque uniones sunt indivisibilia continuativa, sive (quod idem est) unitiva partium vastarum, sive continuatarum; quia loquendo de partibus integralibus, idem est esse unitas, ac continuatas, sive continuas; nam in hoc solum distinguuntur contiguæ, ut tales à continuis, ut talibus, quod istæ sunt unitæ; ille verò non.

Præter uniones, certum est etiam apud omnes, dari in continuo permanenti partes integrales quantitativas, si continuum sit quantitativum, ut lignum, aqua, aurum, &c. vel substantiales, si continuum fuerit aliqua substantia materialis nuda quantitate; vel accidentales, si fuerit accidens materiale, &c. unitas, & con-

tinuatas per prædictas uniones: & de istis est tota præfens difficultas apud Philosophos, an scilicet istæ partes continuæ possint dividi in partes tam parvas, quæ non possint ulterius dividi in alias minores, ita ut ex se sint indivisibiles? Vel utrum nunquam possit perveniri ad partes tam minimas, quæ non possint ulterius dividi; sed quibuscumque assignatis, & quantum parvis, adhuc istæ sint divisibiles in alias minores, & istæ in alias usque in infinitum? Hæc est in Philosophia maxima difficultas, quæ pro utraque parte torquet maximopere ingenia.

SIT CONCLUSIO: continuum non componitur ex partibus divisibilibus usque in infinitum cathegorematicè; benè verò syn-cathegorematicè. Prima pars conclusionis est iuxta sequaces Zenonis; secunda autem iuxta Aristotelis sectatores. Utraque pars est conformis ipsi Aristoteli utrumque dicenti in diversis locis, sed antequam conclus. rationibus probemus, autoritate, tam Arist. quam Scoti, ostendere oportet.

Conclusio namque videtur esse contra Arist. & Scotum lib. 6. Phys. in expositione textus à Scoto tradita tex. 1. 2. & 3. ubi expressè, & clarè tenet, & probat Arist. & cum eo Scotus; continuum non componi ex indivisibilibus; sed non debent intelligi de indivisibilibus in partes actuales physicas, &

reales; sed de indivisibilibus in partes in potentia, sive per intellectum, quod revera est nostra conclusio. Et patet; quia sæpè docent Arist. & Scotus, continuum non posse esse divisum in omnes suas partes; sed potest esse divisum saltem à Deo in omnes suas partes actuales physicas, & reales, adhuc iuxta illos; quia solum negat posse esse divisum in omnes suas partes, quatenus includantur partes in potentia, ac per intellectum: ergo iuxta Philos. & Scotum non componitur ex indivisibilibus simpliciter, tam in partes actuales physicas, & reales, quam in partes in potentia, sive per intellectum; sed ex partibus indivisibilibus in partes actuales physicas, & reales; & divisibilibus in infinitum in partes potentiales, sive per intellectum, ut infra explicabimus.

Deinde patet expressius ex Scoto ibid. q. 2. num. 5. vers. *verum est tamen*, ubi docet, quod partes continui non sunt infinitæ cathegorematicè, nisi finitæ: & quod sunt infinitæ syncathegorematicè: ergo sentit, quod infinitum non est divisibile in partes infinitas actuales physicas, & reales, (hoc significat per *ly cathegorematicè*) benè verò in infinitas partes in potentia, sive per intellectum (hoc sonat *ly syncathegorematicè*, ut videbimus infra.) Hæc sunt Subtilis Doctoris verba: Nunc ponuntur conclusiones. Prima con-

clusio: *nullæ partes continui sunt infinitæ, sumendo hanc dictionem infinitum cathegorematicè; patet, quia omnes partes continui sunt terminatæ; nec aliqua sunt extensæ sine termino: igitur omnes sunt finitæ.* Ecce expressè, a pud Scotum, primam partem nostræ conclusionis. Secundam etiam exprimit vers. sequenti his verbis: *Secunda conclusio; capiendo hanc dictionem infinitum syncathegorematicè, hæc est veritas: infinitæ partes sunt in continuo, & etiam à parte predicati, in continuo sunt infinitæ partes.*

Insuper, quæst. 3. num. 7. vers. *ideo sit conclusio*, docet, in continuo dari puncta, sive indivisibilia, & etiam dari lineam indivisibilem secundum latitudinem, & superficiem indivisibilem secundum profunditatem. Propugnat etiam, dari infinitas lineas, ac per consequens infinita puncta, & infinitas superficies: ergo quia intelligit, quod ista sunt indivisibilia physicè, & realiter, & sic finitæ, nempe sumpta cathegorematicè; & divisibilia in infinitum, ac per consequens esse infinita, non cathegorematicè, nisi syncathegorematicè, & in potentia, scilicet non physicè, & realiter, nisi per intellectum solummodò. Sic ait vers. allegato: *Ideo sit conclusio: aliquis est punctus materia primæ, & aliquis forma substantialis, & aliquis punctus qualitatis, & aliquis compositus ex materia, & forma.* Et vers. sequenti

tertia conclusio: est aliqua linea indivisibilis secundum latum, & secundum profundum: imò in quolibet continuo sunt lineæ infinitæ. Et vers. sequenti: quarta conclusio: aliqua est superficies longa, & lata, indivisibilis tamen secundum profundum. Et denique num. 8. vers. ex quibus, ait: *Ex quibus sequitur, quod sicut aliquis est punctus compositus ex materia, & forma, ita etiam est aliqua linea composita ex materia, & forma; & cum hoc etiam aliqua superficies. Et si obijciatur: tunc sequeretur, quod punctus esset divisibilis, quia posset dividi in materiam, & formam. Respondetur, quod non est inconveniens punctum dividi in partes essentielles, sicut in materiam, & formam: tamen non est divisibilis in partes quantitativas.*

Uterius, dari indivisibilia in continuo supponit ut certum, quest. 7. à num. 5. vers. *ex istis sequitur*, cuius verba sunt clara, quæ brevitatatis gratia non adducimus. Idem docet expressè de continuo successivo, quest. 8. num. 3. à vers. *nunc de hac mutatione*. Vbi admittit instantia indivisibilia: & concedit infinita instantia, quod esset contradictio, si non intelligatur, loqui cathegorematicè, & syncathegorematicè, ut manet explicatum.

Item in lib. de rerum principio, quest. 21. à num. 16. vers. *sic igitur patet*, tenet continuum, tam permanens, quam successivum, non posse componi ex indivisibili-

bus, quod varijs rationibus suadet. Vbi loquitur de indivisibilibus per intellectum, scilicet de illis, quæ nullam extensionem habent, ut liquet ex rationibus, quibus probat; sed indivisibilia quanta, ut sunt à parte rei, habent aliquam extensionem: ergo non loquitur hic de illis, ut sunt à parte rei, nisi ut ab intellectu concipiuntur; & ut sic, iam dicimus, partes continui esse semper divisibiles. Et quod hic loquatur in isto sensu, patet ex eo quod alibi dicat, in continuo dari indivisibilia quanta, ut vidimus.

Etiam 2. Met. quest. 6. §. *ad primum principale*, à num. 21. vers. *idèd aliter dicitur*, tenet partes continui, tam permanentis, quam successivi, esse divisibiles in infinitum; sed loquitur de partibus, non actualibus physicis, & realibus, sed de partibus in potentia, sive per intellectum, ac syncathegorematicè sumptis, ut diximus in secunda parte conclusionis, quod colligitur ex ipsius contextu, nu. 22. vers. *idèd aliter ad formam argumenti*, ubi docet, quod continuum potest esse divisum in omnes suas partes finitas, & determinatas, quæ quidem sunt partes actuales physicae, & reales; non verò in omnes in potentia, quæ sanè sunt indeterminatae, & infinitæ.

Idem clarissimè sustinet in 2. dist. 2. quest. 9. à num. 27. §. *sic igitur improbat*, ubi docet, quod divisio continui est in potentia, (lo-

quitur de divisione in infinitum) nempe non in partes actuales, nisi in partes in potentia, & per intellectum, modo quo sentimus in secunda parte conclusionis, & diximus etiam de infinito in potentia lib. 3. quæst. 3. & 4. Et patet, quia à num. 27. §. *ad secundam probationem*, iam loquitur de indivisibili, seu puncto physicè sumptò, quod admittit in continuo, asserens, non esse quid negativum, sed quid positivum absolutum: ergo loquitur hic de partibus actualibus, de quibus ait esse indivisibilia physicè, & realiter.

Deindè, quod còtinuum componatur ex partibus indivisibilibus physicè, & realiter, est sententia Arist. & Scoti, præterquàm quod satis constat ex dictis, patet etiam ex 4. Phys. definiendo locum, post longam disputationem asserit, & Scotus cum eo, esse ultimam superficiem corporis continentis; sed in infinito non datur ultimum, maximè existens: ergo sentiunt superficies corporis physicè, & realiter sumptas non esse infinitas, (idè dici debet de punctis, & lineis, servatis servandis) sed finitas: ac per còsequens continuum non componi ex partibus physicè, & realiter divisibilibus in infinitum, nisi ex indivisibilibus physicè, & realiter: ergo quando asserunt componi ex partibus usque in infinitum divisibilibus, loquuntur de divisibilitate per intellectum, vt supra explica-

tum manet, quod declarât dicendo, partes continui esse finitas categorèmaticè, & infinitas synèthegorematicè.

De partibus indivisibilibus physicè, etiam est sententia communis omnium Mathematicorum supponentium ista indivisibilia à parte rei, & non secundum nostram imaginationem, aliàs Mathematica non foret numeranda inter scientias reales; neque solummodò præcisione, scilicet còsiderando vnam dimensionem, alteram non intelligendo; quia saltem considerando punctum, omnem divisibilitatem physicam, & realem excludens, vt est quid positivum, verè fallerentur.

Vterius expressè docet Scotus ex Philos. nostram conclusionem quoad vtramque partem in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *ad ista argumenta*, num. 16. vers. *secundo Arist.* Ex dictis namque respondetur argumentis contrarijs ab autoritate, tam Aristotelis, quàm Scoti, aliquando asserentium, partes continui esse finitas, & aliquando infinitas esse: aliquando (quod idem est) esse divisibiles in infinitum, & aliquando esse indivisibiles, vt vidimus; quia loquuntur in duplici sensu à nobis dicto in conclusione. Sic autoritate, tam Arist. quàm Scoti vtraque pars conclusionis stabilita.

Prob. 1. ratione prima ipsius pars: si continuum constaret partibus divisibilibus in infinitum

cathegorematicè, esset actu infinitum, quod merito negatur à cunctis Peripateticis cum Philos. & manet probatū lib. 3. disp. 2. sect. 3. ergo continuum constat, seu componitur ex partibus actu, & cathegorematicè indivisibilibus, & non ex partibus actu, & cathegorematicè divisibilibus in infinitum. Prob. antec. includeret actu infinitas partes realiter inter se distinctas, quarum quælibet esset extensa; sed quod includit actu infinitam multitudinem est actu, & cathegorematicè infinitum secundum multitudinem: & quod includit partes infinitas actu existentes, quæ una intra aliam penetrata existat, est actu infinitum cathegorematicè secundum extensionem: ergo si continuum constaret partibus divisibilibus in infinitum cathegorematicè, quodlibet continuum esset infinitum cathegorematicè, & actualiter, si non sit quantitativum, secundum multitudinem, & si sit quantitativum, secundum multitudinem, & secundum extensionem.

Respondent aliqui ad illud de infinito secundum multitudinem, quod licet partes continui sint infinite cathegorematicè, non constituunt multitudinem actu infinitam, sive infinitum secundum multitudinem; quia licet partes continui sint inter se distinctæ, nõ tamen sunt discrete, & divisæ; numerus autem, & multitudo distinguit actualem discretionem, & separa-

tionem: potius ergo (asserunt) dicentur omnes distinctæ partes continui vnum simpliciter, cum omnes unitæ vnum continuum component; hoc autem modo adedò diminuto admittere infinitum, nullum (aiunt) est incòveniens, imò nec infinitum infinitorū; quia omnes distinctæ partes sunt res incomplete, ordinatæ ad constitutionem vnius rei complete. Neque hoc infinitum (dicunt) intendit negare Arist. sed solum infinitum rerum separatarum, & completarum in genere discreto.

Sed hæc solutio est merum effugium argumenti; quia si partes in continuo non possunt dici, nec multæ, nec pauca, cum ibi, per vos, nullam constituant multitudinem, cur à vobis appellantur infinitæ?

Et si dicant, se non loqui in rigore, sed accipere nomen multitudinis, prout cum pluralitate convertitur.

Contra; quia etiam nos loquimur in hoc sensu, & contendimus, hanc pluralitatem actu infinitam repugnare; nam argumenta allata lib. 3. contra infinitum, tam impugnant infinitam pluralitatem partium separatarū, quam distinctarum solummodò, cum vim sumant ex ipsa infinitudine rerum, & non ex earum separatione.

Deinde, Arist. in prædicamento quanti non distinguit quantitatem discretam à continua, quia

hæc non habeat multitudinem partium actu distinctarum, & illa habeat; sed supponens, multas utramque habere partes, distinguit unam ab alia, quia partes quantitatis continuæ sunt copulatæ, & unitæ; non autem partes quantitatis discretæ: ergo nomen multitudinis tam amplè poterit sumi, ut conveniat quantitati discretæ, & continuæ. Cùm enim Arist. dixit, numerum causari ex divisione continui, loquebatur de numero prædicamentali, cuius partes molem, & discretionem important; non autem de numero transcendentali, quo numerari solent octo gradus qualitatis v. g. decem relationes, viginti Angelos, &c. ergo quamvis partes in continuo non subeant numerum prædicamentalem; quia non sunt ab invicem discretæ; tamen quatenus sunt distinctæ, subiacent numero transcendentali; & rationes impugnantes actuale infinitum, imò & possibile, æquè militant contra omnem talè multitudinem, sive prædicamentalem, sive transcendentem, ut videri potest in lib. 3.

Alteri respondent, concedendo, partes in continuo esse infinitas; sed tamen asserunt, istam infinitatem non esse vocandam infinitatem simpliciter, nisi solum secundum quid; quia talis partium multitudo non facit extensionem infinitam, neque implet infinitum spatium, sed tota

hæc multitudo, quam cõstituant, inter certos, ac definitos terminos continetur.

Sed contra, quia sic dicendo, solum evitat infinitum secundum magnitudinem, & extensionem; non verò infinitum secundum multitudinem, quod nunc impugnamus. Deinde, debere esse infinitè extensum continuum, probat etiam argumentum, ex eo quod infinitis partibus constet: & ex eo quod non est infinitè extensum, sed finitè, probamus nos partes illius non esse infinitas, sed finitas.

Aliter respondent communiter Peripatetici, nempe continuū includere infinitas partes proportionales, sive indeterminatas; nõ verò infinitas aliquotas, seu determinatas, quæ solummodò (dicunt) possunt facere infinitum.

Contra istam solutionem arguo primò: illæ sunt partes aliquotæ, & æquales, quæ realiter inter se distinguantur, & habent æqualem magnitudinem; sed dato, quod continuum sit divisibile in partes semper divisibiles usque in infinitum cathegorematicè, debet actu continere infinitas partes realiter inter se distinctas, & æquales: ergo & infinitas aliquotas. Prob. min. diviso palmo v. g. in duas medietates, & qualibet ex his medietatibus in alias duas, & istis in alias, & sic usque in infinitum; necesse est pervenire ad infinitas partes, quæ licet

licet non distinguantur adæquarè ab illis, quarum sunt medieta-tes, nec sint illis æquales; tamen inter se distinguuntur realiter, alias non esset divisibilis in illas, alia pars, quæ divisibilis supponitur in illas; & inter se erunt æquales, ut supponitur: ergo dato, quod continuum sit divisibile in partes semper divisibiles usque in infinitum cathegorematicè, debet actu continere infinitas partes realiter inter se distinctas, & æquales. Antec. prob. si aliqua pars non posset dividi in duas medietates æquales, maximè quia non haberet sufficientem magnitudinem ad duas æquales medietates: ergo ista pars esset indivisibilis, & sic haberetur intentum. Deinde, supposito, quod qualibet pars excogitabilis sit iterum in alias, & alias divisibilis usque in infinitum cathegorematicè, habere debet sufficientem magnitudinem, ut in ipsa dentur duæ medietates æquales: ergo diviso palmo v.g. in duas medietates æquales, & istis divisis in alias duas, & sic in infinitum cathegorematicè, necesse est pervenire ad infinitas partes inter se realiter distinctas, & æquales, ac aliquotas.

Arguo secundo contra eandem solutionem: licet partes continui, in quas est divisibile, sint proportionales, erit actu, & cathegorematicè infinitum, si sit divisibile in infinitas cathegorematicè: er-

go nulla est solutio. Prob. antec. si continuum palmare v. g. divideretur de facto in omnes partes, in quas per te est divisibile, tales partes essent infinitæ cathegorematicè, licet proportionales: ergo quia actu continet infinitas partes proportionales; atqui ex eo quod actu contineat infinitas partes, licet proportionales, debet esse actu, & cathegorematicè infinitum, tam secundum multitudinem, quam secundum extensionem: ergo. Prob. min. subsumpta: eo quod continuum palmare v. g. sit divisibile in centum partes proportionales, debet esse totum integrale continens multitudinem centum partium in ipso actualiter existentium, quæ licet sint inter se unitæ, sunt ab invicem distinctæ realiter, alias in ipsas non posset dividi: & etiam debet habere in se totam extensionem partium; quia dum sunt inter se unitæ, non sunt inter se penetratæ: ergo eo quod esset divisibile in infinitas partes proportionales, deberet esse totum integrale actu, & cathegorematicè continens multitudinem infinitam partium ab invicem realiter distinctarum: & similiter deberet habere extensionem omnium illarum: ergo esset actu, & cathegorematicè infinitum secundum multitudinem, & secundum extensionem.

Huic instantiæ respondent Peripatetici, quod partes illæ proportion-

Portiones infinitæ, in quas continuum est divisibile, non sunt actû, & cathegorematicè in continuo, nisi solum in potentia, & syncathegorematicè; & cum repugnet, adhuc divinitus dari actû, & cathegorematicè infinitum creatum: hinc est, quod nunquam potest esse divisum, adhuc supernaturaliter, in partes illas infinitas, in quas est divisibile: ac per consequens neque est actû, & cathegorematicè infinitum, neque secundum multitudinem, neque secundum extensionem, nisi in potentia, & syncathegorematicè, quomodo nullatenus repugnat infinitum creatum. Hoc est præcipuum fundamentum, quod defendunt, continuum esse divisibile in partes usque in infinitum divisibiles.

Contra: nihil est divisibile in partes, quas actû non includit, nisi possibilitate, sive divisibilitate remota, & de hac non loquimur, nisi de proxima; v.g. lignum A, vnius vine in longitudine est divisibile divisibilitate remota in quinque palmos, siquidem potest Deus illud augere, producendo materiam, formam, & quantitatem vnius palmi supra quatuor, & sic posset dividi in quinque; sed loquimur de divisibilitate proxima, nempe in illas partes, quas actû habet continuum; nõ verò in illas, quas potest habere producendo illas Deus in ipso: ob quod non dicitur vineam esse

divisibilem plus quam in quatuor palmos, quia actualiter non habet plus quam quatuor: ergo continuum non debet dici divisibile, nisi in illas partes, quas actû habet; atqui istæ sunt finitæ: ergo non est divisibile in infinitas, quæ actû, & cathegorematicè sint infinitæ.

Vt enim Aristotelicam sententiam defendant Peripatetici, plura dicunt, & vt prædicto, aliisque argumentis, & instantijs respondeant, quæ (meo videri) plus confusionis sophisticæ, quam probabilitatis, & claritatis continent; neque sunt de Aristotelis mente, vt vidimus de infinito loquendo, de quo asseritur communiter dari infinitum in potentia, & repugnare in actû, & infinitum in potentia sumunt pro eodem, ac infinitum possibile, quomodo manifestè se contradicunt: vbi etiam ostendimus, quomodo sumit Aristoteles, & cum eo Scorus infinitum in potentia, nempe pro infinito, non possibili, nisi obiectivè in intellectu. Et hoc modo certum est, continuum esse divisibile in partes divisibiles usque in infinitum in potentia, vel syncathegorematicè, vt explicabimus, dum secundam partem conclusionis probemus.

Alteri respondent, continuum constare partibus ita exiguis, vt nulla illarum possit iam dividi in alias, licet in se sint divisibiles.

Sed contra ; quia hoc est quod dicimus, nempe continuum posse dividi in partes tam parvas, & exiguas, quæ iam non possunt dividi in alias ; nam quod non potest dividi est indivisibile, sicuti invisibile, quod videri non potest: ergo contradicunt se dicendo, partes continui non posse dividi propter earum exiguitatem, & esse divisibiles.

Prob. secundò ipsa prima conclusionis pars: si continuum actû, & cathegorematicè haberet infinitas partes proportionales, in quibus esset divisibile, sequeretur tot partes habere continuum parvum, ac magnum, v. g. sequeretur, quod formica haberet tot partes, ac mons magnus: tot pars, quot totum; ex quo etiam sequitur, omnes magnitudines esse æquales; sed omnia hæc sunt falsa: ergo & quod continuum componatur ex partibus divisibilibus in infinitum cathegorematicè.

Aliqui respondent, posse dari unum infinitum maius alio, tam secundum multitudinem, quam secundum extensionem: ac per consequens non sequi ex infinita multitudine partium continui, tot partes habere formicam, ac habet equus v. g. neque esse æqualis magnitudinis. Sed hæc solutio manet impugnata lib. 3. disp. 2. sect. 3.

Sed si persistant, probò, dari tot partes in formica, quot in equo iuxta illorum sententiam:

non posset assignari in equo aliqua pars post quaslibet acceptas, cui non corresponderet alia pars in formica, etiam post quascumque assignatas: ergo tot partes, quot equus haberet formica. Prob. antec. non potest, per vos, assignari in continuo pars aliqua, adhuc quibuscûque acceptis, quæ adhuc non sit divisibilis in alias usque in infinitum, alias iam perveniretur ad aliquam indivisibilem, quod intendimus: ergo non posset assignari in equo pars aliqua, post quascumque acceptas, cui non corresponderet alia in formica, atiam post quascumque sumptas.

Alteri respondent, conc. quod formica habet tot partes, quot equus, quod non iudicant inconveniens; & tamen foret inconveniens, asserunt, formicam esse tam magnam, ac est equus; sed tamen (sustinent) hoc non sequi, etiam si primum sequatur; sequeretur verò, si partes formicæ essent tam magne, ac partes equi.

Sed contra hoc stat in primis, falsum esse, quod formica habeat tot partes proportionales, ac equus, & pars ac totum, ut evidenter manet probatum lib. 3. disp. 2. sect. 3. Quod ultra ibi dicta, sic probò in parte respectu totius, v. g. in brachio equi respectu istius: equus continet partes sui brachij, & præter istas continet etiam alias partes, ex quibus constat: ergo totus equus plures habet

habet partes, quàm ipsius brachium; atqui formica non habet plures partes, quàm brachium equi, vt ex se patet: ergo equus plures habet partes, quàm formica: (hoc namque luce est clarior) ergo partes formicæ nõ sunt infinitæ: ergo deveniendum est ad partes, quæ indivisibiles sint in alias.

Deindè, contra datam solutionem stat, quod si formica haberet tot partes proportionales, quot equus, sequeretur, quod esset tam magna, ac equus, quod merito negant, & probò sic: magnitudo resultat ex partibus: ergo maior multitudo ex maiori multitudine partium; sed nulla daretur pars formicæ, quæ non haberet tot partes, quot quævis pars equi, quantumvis magna: ergo partes formicæ æquales essent in magnitudine partibus equi: ergo & formica equo.

Respondent huic instatiæ, quod maior magnitudo non resultat ex maiori multitudine partium, nisi ex eo quod partes sint maiores.

Contra: in nullo alio stare potest, quasdam partes alijs esse maiores, nisi in hoc quod habeant plures partes, in quas divisibiles sint: ergo nulla pars potest esse maior alia, nisi habeat plures partes illa: ergo maior magnitudo ex maiori multitudine partium provenit, servatis servandis.

Vtteriùs probò, quod si continuũ esset divisibile in partes sem-

per divisibiles vsque in infinitũ physicè, & realiter, quodlibet continuum haberet extensionem infinitam, & arguo sic: eo quod partes continui sint divisibiles in semper divisibilia, necessario debent habere aliquam extensionem, vt ex se patet: ergo in quolibet continuo esset extensio infinita. Conseq. sequi, satis ex se constat.

Respondent tamen, non sequi conseq. quia licet partes habeant aliquam extensionem se communicant in tali extensione, & sic nequeunt constituere, sive componere infinitam extensionem.

Contra, quia licet se communicent in extensione, non tollit, quod si sint infinitæ, compositum ex illis, sit infinitè extensum: ergo nulla est solutio. Prob. antec. partes se communicare in extensione, nihil aliud est, quàm duas medietates vnae v. g. cuius sunt partes, non habere maiorem extensionem, quàm vna, & quamlibet seorsim sumptam non habere tantam extensionem, nisi partem extensionis vnae: nec duos palmos partes medietatis vnae, habere maiorem extensionem illa, neque quemlibet seorsim tantam, & sic de alijs vsque in infinitum; sed hoc non obest, vt si partes sint infinitæ, totum, quod in illas sit divisibile, necessario debeat esse infinitè extensum: ergo &c. Mai. est certa; quia partes se comunicare in extensione, nõ est aliquam partem esse penetratam

cum alia, siquidem omnes supponuntur habere quantitatem. Min. prob. quod semipalmus v. g. se communicet in extensione cum palmo, cuius est pars, & palmus cum semiulna, & ista cum vna, non tollit, imò necessariò concludit, vnam debere habere tantam extensionem, quantam habent octo semipalmi collectivè sumpti: ergo si quilibet semipalmus esset ultra divisibilis in infinitas partes, eadem proportione in divisibilitate servata, sequitur evidenter, quod vna haberet tantam extensionem, quantam habet infinitæ partes collectivè sumptæ; sed istæ necessariò deberent habere infinitam: ergo & vna.

Cõfirmatur ex iam dictis; quia eo ipso quod vna sit divisibilis physicè, & realiter in infinitas partes proportionales, servata proportione dicta, v. g. in duas medietates, & qualibet istarum in duos palmos, & quilibet istorum in duos semipalmos, & quilibet semipalmus in duas medietates, & sic in infinitam, necessariò debent contineri in vna infinitæ partes, quæ non se communicent in extensione inter se, licèt se communicent cum illis, quarum sunt partes, vt satis ex se constat; atqui ex eo, quod vna contineret infinitas partes, in quas esset divisibilis physicè, & realiter, quarum quilibet haberet suam distinctam extensionem æqualem cuilibet alia-

rum seorsim sumptarum, deberet esse infinitè extensa: ergo. Prob. hæc min. ex eo quod vna contineat quatuor palmos v. g. in quos est divisibilis physicè, & realiter, quorum quilibet habet suam distinctam extensionem, æqualem cuilibet aliorum seorsim sumptorum, debet esse extensa quatripalmariter: ergo. Min. probata, quæ est consequentia huius enthymematis, est identica cum antecedenti, servatis servandis, quod quidem evidentissimum est.

Aliter respondent dicendo, non sequi consequentiam instantiæ; quia præfata infinitæ partes haberent aliquam extensionem versus parvitatem; non autem versus magnitudinem: vndè nunquam compositum ex illis potest esse infinitè extensum. Contra quod militant instantiæ prædictæ probantes debere componere infinitè extensum versus magnitudinem.

Quod patet; quia eo quod vna sit divisibilis physicè, & realiter in octo semipalmos v. g. qui revera habent suam extensionem versus parvitatem, & non versus magnitudinem, necessariò vna debet habere extensionem octosemipalmarem: ergo similiter si esset divisibilis physicè, & realiter in infinitas partes, licèt istæ haberent suam extensionem versus parvitatem, & non versus magnitudinem, necessariò vna deberet habere extensionem infinitam.

Prob.

Prob. tertio prima conclusio-
nis pars: vel Deus potest dividere
continuum secundum omnes ip-
sius partes, vel non. Si primum,
supponamus Deum dividere illud
secundum omnes ipsius partes: &
tunc iste partes, in quas supponi-
tur divisum, vel sunt divisibiles,
& si hoc, est contra suppositum:
vel sunt indivisibiles, & habeo
intentum, nempe quod continuu
componitur ex partibus indivisi-
bilibus, ac finitis actu, & cathe-
gorematicè. Si dicas, quod Deus
non potest dividere continuum
secundum omnes ipsius partes;
primò, minus potentiam Dei.
Secundò: ergo Deus potest divi-
dere continuum in partes, quas
iam non potest in alias dividere:
ergo istæ sunt indivisibiles in
alias: ergo cum ex istis compo-
natur continuum, semper sequi-
tur, componi ex partibus indivi-
sibilibus. Prima consequ. sequitur.
Secunda patet; quia quod neque
Deus dividere potest, indivisibile
est: sicuti & improducibile, quod
neque Deus producere valet.

Respondent, quod potentia cõ-
tinui, vt dividatur, non potest à
Deo simul reduci ad actum, ex
quo non sequitur, quod potentia
Dei sit diminuta, neque quod ta-
lis potentia sit frustranea; quia
non est potentia ad simul dividi,
nisi ad successivè dividi; & hæc
est differentia rerum permanen-
tium, & successivarum, quod par-
tes permanentium possunt om-

nes esse simul; successivarum ne-
quaquam, nisi successivè: unde,
quod non possit Deus simul divi-
dere omnes partes continui, non
est impotentia ipsius, sed repug-
nantia illarum ad simul esse di-
vitas: neque est frustra potentia
illarum ad dividi; quia non est
potentia ad simul dividi, nisi ad
dividi successivè. Et corroborant
solutionem istam ex Scoto in 2.
dist. 2. quæst. 9. num. 22. §. sic igitur
improbatis, vers. ad primum dicitur,
sic asserente: *Licet possibile sit con-
tinuum posse dividi secundum omne
signum: non tamen est possibile divi-
sum esse; quia ista divisio est in po-
tentia, & in fieri, & nunquam po-
test esse tota in facto esse.*

Sed contra, potentia continui
ad dividi v.g. vlnq. in duas semiul-
nas, in palmos, & in semipalmos,
& in medietates istorum, &c. est
ad simul dividi; sed istæ sunt par-
tes proportionales: ergo potentia
continui ad dividi in suas partes
proportionales est ad simul divi-
di, & non solum ad successivè: er-
go si esset divisibile in infinitas,
posset à Deo esse divisum in illas.
Mai. patet; quia non apparet re-
pugnantia, quare nõ possit Deus
simul dividere vlnam in partes
enumeratas. Min. etiam constat
ex supra tradita explicatione par-
tium proportionalium. Conseq.
prob. ideo potest vlna simul esse
divisa in partes enumeratas, quia
continet illas, & est in illas divi-
sibilis; sed si esset divisibilis in in-

finitas, etiam contineret infinitas; quia nihil est divisibile in partes, quas non continet: & esset divisibilis in illas, ut supponitur: ergo si continuum esset divisibile in infinitas partes cathegorematicè sumptas, posset à Deo esse divisum in illas.

Deindè contra, etiam dato, quod potentia continui nō esset ad simul, nisi ad successivè dividi, si esset divisibile in infinitas partes, posset dividi à Deo in illas: ergo nulla est solutio. Prob. antec. licèt vna sit divisibilis successivè in duas medietates, & postea in palmos, & in istorum medietates, &c. potest dividi à Deo, & vna esse divisa in tales partes: ergo si esset divisibilis in infinitas, licèt successivè, posset à Deo dividi; & ipsa esse divisa in dictas infinitas partes. Paritas currit quoad posse dividi successivè.

Quare solum potest esse disparitas in hoc, quod partes à me assignatæ sunt finitæ & omnes partes continui sunt infinitæ; & eo quod infinite, nunquā potest perveniri ad aliquas indivisibiles.

Sed hoc opus, hic labor, nos dicimus, quod partes continui sunt finitæ cathegorematicè, & hoc probat dictum argumentum: & respondere, quod Deus non potest illud dividere in omnes suas partes, quia istæ sunt infinitæ, manifestè est per questionem respondere. Deindè, quod non

sunt infinitæ actū, & cathegorema-

ticè, probatum manet iam vbi suprâ. Imò neque syncathegorematicè, sive in potentia, sumpto infinito in potentia pro infinito possibili. Videantur ibi dicta.

Ex quo patet ad Scotum allegatum, qui ideò ait, continuum non posse esse divisum in partes infinitas; quia istas non continet actū, & cathegorematicè, nisi syncathegorematicè, & in potentia, ob quod in infinitas non potest dividi, nisi in omnes finitas, etiā proportionales; quia finitas solummodò continet actū, & cathegorematicè,

Prob. quartò: post unionem vniem vnam partem antecedentem continui cum alia parte subsequenti immediatè, debet sequi alia vniio vniens, & continuas illam partem secundam cū alia tertia, & sic de alijs vsque ad ultimam; atqui si vniio necessariò vniret partem divisibilem in alias infinitas, cum parte etiam in alias infinitas divisibili, post vnā unionem nulla alia sequeretur immediatè: ergo vniio in continuo vnit partem indivisibilem: ergo partibus indivisibilibus constat. Prob. min. si vniio non vniret immediatè aliquam partem indivisibilem, sed divisibilem in alias infinitas, post vnā unionem nulla alia sequeretur immediatè: ergo cū sit necessarium, quod aliqua sequatur immediatè, habetur intentum. Antec. est certum; quia si quævis pars imme-

dia:

diatè vnita fit diuisibilis in alias, ante vnionem vnientem, ac continuantem talem partem, dabuntur aliæ vnientes partes illas, in quas ipsa est diuisibilis.

Respondent contrarij, quod nulla vnio sequitur immediatè post aliam, neque vna pars post aliam; sed quantumvis immediatis assignatis duabus vnionibus, adhuc inter illas mediant aliæ, & aliæ vsque in infinitum, vnientes partes infinitas, quæ mediant etiam inter quaslibet partes assignatas, vel assignandas, quantumvis immediatè assignentur.

Sed hæc solutio inintelligibilis videtur, cuius obiectum solum potest esse obiectivè in intellectu creato, alligatoque sensibus, qui cum non possit designare partem indivisibilem, sed qualibet assignata, quantumvis parva, videtur illi adhuc diuisibilis, idè confunditur, & concipit nullam vnionè, neque partem esse alteri immediatam; at impossibile certè est, & inintelligibile, quod vna vnio non sit immediata alicui alteri vnioni, quam cognoscere, saltem Deum, quis poterit dubitare?

Prob. 5. in continuo successivo: partes repositis, & cuiuslibet motus, essentialiter sunt successivæ: ergo nequeant plures, imò nec duæ simul existere: ergo quæ actu existit, indivisibilis est in alias actu existentes cum illa; sed omnes suo ordine existunt successivè vna post aliam; ergo sunt indi-

visibiles: ergo continuum successivum partibus indivisibilibus constat. Antec. apud omnes est certum, & ex illo deducitur evidenter prima conseq. quia talis est natura entis successivi. Ita evidenter sequitur secunda, & similiter patet min. subsumpta, & duæ vltimæ consequentiæ. Si enim duæ partes entis successivi nequeunt simul existere, pars existens, vt existens, quomodo poterit dividi, neque constare alijs partibus, nisi dicant, constare partibus non existentibus; & sic iam non est loqui de illa, vt existenti, quomodo dicimus esse indivisibilem?

Confirmatur: si aliqua temporis pars componeretur, sive constaret ex alijs, in quas esset diuisibilis, dum illa existeret, etiam, existerent illæ aliæ, ex quibus constaret, & in quas esset diuisibilis: ergo si nunquam possunt existere (quia repugnat naturæ entis successivi) plures partes temporis nulla datur actu existens, quæ sit diuisibilis. Antec. patet: quia implicat, existere aliquod compositum, quin existant partes, ex quibus constat, & in quas est diuisibile: ergo si aliqua pars temporis, vt existens est, esset diuisibilis, non posset existere, quin etiam existerent omnes illæ partes, ex quibus constaret, & in quas esset diuisibilis: ergo cum repugnet, simul existere duas, sequitur necessariò, constare partibus indivisibilibus.

Ref.

Respondent contrarij huic efficacissimo argumento, partes temporis existere succelsivè, & secundum aliquid sui; non verò existere simul secundum se totam.

Sed hæc solutio nequit intelligi de partibus temporis physicis, & realibus, & ut existunt à parte rei; sed de partibus syncategorematicè sumptis, & in potentia intellectiva obiectivè tantum, ut dicimus in secunda parte conclusionis, quàm infra explicabimus. Quare pro prima parte conclusionis sic arguo contra datam solutionem: partem existere succelsivè (loquimur de partibus physicis, & realibus, ac categorematicè sumptis) secundum aliquid sui, est simul totam non existere, sed existere aliquid eius: ergo vel illud aliquid, quod existit, & cum quo non existit illud aliud aliquid, est divisibile, vel indivisibile? Si indivisibile: ergo etiam erit indivisibile illud aliud aliquid, quod existet postea ob eandem rationem, & sic de alijs, quæ existent postea: ergo tempus constat instantibus, sive partibus indivisibilibus sibi immediatè succedentibus. Si autem dicant, quod illud aliquid, quod existit, & cum quo non existit illud aliud aliquid, est divisibile: ergo iam existunt simul illæ plures partes, ex quibus constat, & componitur, ac in quas est divisibile, quod repugnare merito fatemini naturæ successivorum: ergo tempus ex partibus indivisi-

bilibus constat.

Respondent alij, partes temporis, quæ sunt præteritum, & futurum, solum existere ratione instantis, quod mediat inter ipsas, nempe inter partem præteritam, & partem futuram.

Contra: partes præteritam, & futuram existere ratione instantis, quod mediat inter ipsas, vel est solum existere instans, vel est simul etiam existere partes per instantis existentiam? Si primum dicant: ergo solum instans existit: ergo nunquam datur pars divisibilis, quæ existat. Si secundum asserant: ergo iam existunt simul pars præterita, & pars futura, licet non ratione ipsarum, nisi ratione instantis intermedij; sed hoc repugnat, primò, ex natura partium successivarum: secundò, quia pars præterita, dum est præterita non existit, neque futura, dum est futura, imò neque possunt existere simul pars præterita, & pars futura: ergo iuxta datam solutionem nunquam existit pars divisibilis temporis: ergo istud ex partibus indivisibilibus physicè, & realiter componitur.

Hinc confirmatur sic: quod actum existit, dum existit, non est præteritum, neque futurum: ergo si præteritum, & futurum existerent, licet ratione instantis intermedij, non essent præteritum, & futurum, sed ambo essent præsentia.

Et si respondeant, quod non existunt simul, licet existant per
in-

instans intermedium, sive ratione illius.

Contra 1. quia instans non habet prius, & posterius, aliàs neque ipsum esset totum simul, & si hoc idem argumentum fieret de primo, & posteriori instantis: ergo si præteritum, & futurum non existunt, quando existit instans, postea non poterunt existere.

Contra 2. ergo si non existunt simul saltem duæ partes, quod in hoc nunc existit, est indivisibile; sed tempus constat partibus, quæ existunt, non duæ, vel plures simul, sed vna post aliam: ergo constat partibus indivisibilibus physice, & realiter.

Alij respondent, partes temporis proportionales, & indeterminatas existere simul, non verò determinatas, & aliquotas: vnde contra istas cõcludunt instantiæ prædictæ, quas concedimus (asserunt) finitas; non autem contra illas, quas dicimus infinitas esse.

Si enim per partes proportionales, & indeterminatas intelligant partes, non physicas, & reales, sed partes in potentia, sive per intellectum infinitas, & categorematicæ, vt explicabimus infra, & dicimus in secunda parte conclusionis, nulla est quæstio; si verò intelligant partes physicas, & reales.

Contra 1. quia, vt probatum manet in continuo permanenti, admissis infinitis partibus proportionalibus, debent dari infi-

nitæ etiam aliquotæ; nam si hora v. g. dividatur in duas medietates, & quælibet istarum in alias duas, & quælibet istarum aliarum in alias duas, & sic in infinitum, necessariò concluduntur infinitæ, quæ licet comparatæ ad illas, quæ in ipsas sunt divisibiles, fiat proportionales, & inæquales; tamen inter se comparatæ sunt æquales, & aliquotæ.

Contra 2. illæ partes proportionales, & indeterminatæ, quæ, per vos, simul existunt, vel habent ordinem prioris, & posterioris, vel non? Si primum: ergo non existunt simul, vt dicitis, nisi successivè vna post aliam, & sic reddunt instantiæ suprapositæ. Si secundum: ergo non sunt partes temporis; quia istæ debent successivè vna post aliam existere.

Ex omnibus argumentis, quæ contra partes continui divisibiles in infinitum physice, & realiter possunt efformari, hæc duntaxat adducimus, & gratia brevitatis, & quia clariora, & non minùs evidentia sunt, omnibus alijs, quæ possunt afferri.

Et noto ex dictis, quod continuum permanens constat partibus integralibus, & unionibus dictas partes integrales inter se unientibus, & cõtinuantibus: vnde puncta terminativa in linea non sunt uniones aliqua, sed prima, & vltima, sive partes extremæ continui; & puncta continuativa sunt omnes partes, quæ unitæ in-

ter se mediant inter puncta extrema, sive terminativa: quæ puncta continuativa non dicuntur talia, quia sint vniones vnientes, & cōtinuantes partes; sed quia in nulla illorum terminatur continuū, sed ultra continuatur vsque ad puncta terminativa.

In continuo verò successivo non dantur vniones; quia cum sit tale, quod nequeant existere simul omnes suæ partes, imò neque duæ; sed dum existit vna iam perijt alia, & altera nondum existit, hinc est, quod nequeunt esse vnite inter se; quia quod non existit, dum non existit, nequit esse vnitum. Partes namque continui successivi sunt instantia temporis v.g. quæ sibi quoad existere succedunt.

Secunda pars conclusionis solum indiget explicatione. Dicimus igitur in conclusione, quod continuum permanens componitur ex partibus divisibilibus in infinitū syncathegorematicè, sive in potentia. Quod ita debet intelligi, nempe quod in continuo, licet non dentur actū, & cathegorematicè partes infinitæ vnite inter se, in quas possit dividi, neque partes possibiles infinitæ cathegorematicè, quæ producibiles sint à Deo, & in quas productas sit divisibile continuum, quod quidem est prima pars conclusionis, & manet probatū iam, constatque ex lib. 3. disp. 2. sect. 3. dantur tamen partes infinitæ syn-

cathegorematicè, sive in potentia; in quas dicitur continuum divisibile, non physicè, & realiter, cum physicè, & realiter non dentur tales partes, nisi solum in potentia, eo modo quo dantur partes infinitæ: cum ergo partes infinitæ à parte rei non dentur, neque existentes, neque possibiles, vt manet probatum hic, & lib. 3. allegato, nisi solum per intellectum, sive tantū obiectivè in illo, & hoc fortè solum naturaliter, & vt alligato sensibus, solum erit per intellectum, sive tantū obiectivè in illo, divisibile in partes semper divisibiles in infinitum.

Fundamentum enim, vt intellectus concipiat continuum, eiusque partes sic in infinitum divisibiles, est; quia cum non possit naturaliter, & vt alligatus sensibus percipere numerum determinatum partium continui, neque parvitatem illam partis, qua minor possibilis non sit: imò cum qualibet pars sit quanta, (loquimur de continuo quanto, vt melius hoc declaretur) siquidem continuum quantum, vt tale, nequit componi ex partibus non quantis, vt satis ex se patet: videtur enim ipsi intellectui convinci, imò pluribus rationibus sophisticis, quasi convincitur, ad concipiendum, quod qualibet pars continui, quantumvis parva assignetur, & assignabilis sit, adhuc est divisibilis, eo quod quanta, ac

per consequens impenetrabilis sit.

Hoc modo, & non aliter docent Arist. & Scotus, continuum esse divisibile in partes infinitas, ut patet ex locis pro nostra conclus. allegatis, & etiam ex his, quos afferimus lib. 3. disp. 2. sect. 3. & 4. Constat etiam nostra conclus. quoad utramque partem ex ibi dictis; ubi probatum manet, repugnare quodlibet infinitum creatum in actu, consequenterque, & possibile: ac perinde infinitum syncategorematicum, sive in potentia non esse revera infinitum, nec actuale, nec possibile, nisi solum per intellectum, sive tantum obiectivè in illo: cum ergo partes continui ita etiam sint infinitæ, & nihil sit divisibile in suas partes, nisi eo modo, quo partes sunt, & continentur in illo, dicendum est à fortiori, quod continuum est divisibile in partes usque in infinitum divisibiles, non actu, & categorematicè, sive verè, & realiter, nisi syncategorematicè, & in potentia, hoc est, in intellectu obiectivè tantum.

Cum enim quælibet quæst. de infinito superet vires intellectus nostri, per discursum colligimus, repugnare infinitum actuale, & existens, præter Deum, ac per consequens non esse possibile, imò impossibile, ut vidimus lib. 3. disp. 2. Sed tamen cum intellectus noster non cognoscat, nec cognoscere possit naturaliter, quid

sit ultimum in rebus, & quare non valeant dari plures, & plures res usque in infinitum: v. g. in continuo quot sint partes, & ad quam parvitatem pervenienda est pars, ut ultra in alias indivisibilis sit: & deindè quælibet pars videatur illi divisibilis, quantumvis parva, ut manet dictum, confunditur, & concipit partem, quæ indivisibilis est verè, & realiter, ut divisibilem in alias. Ideò dixit Arist. & cum eo Scotus, continuu actu dividi, seu divisum in infinitas partes, hoc est verè, & realiter, repugnat, quod idem est, ac esse indivisibile in infinitas partes actuales, nec posibles: ac per consequens, dum dicit, esse divisibile in infinitas partes syncategorematicè, seu in potentia, loquitur de divisibilitate, & partibus per intellectum, sive obiectivè tantum in illo.

Zenon autem non solum divisibilitatè in partes infinitas actu, & categorematicè negabat, verum etiam syncategorematicè, & in potentia, quam divisibilitatem concedit Arist. contra Zenonem. Sequaces autem utriusque Scholæ pugnant super divisibilitatem veram, & realem, & non faciunt mentionem, nec disputant de divisibilitate per intellectum, ob quod argumenta pro utraque parte apparent insolubilia. Ad pleniorè intelligentiam huius difficultatis videantur quæ in lib. 3. dicta manent de infinito. Quæ

omnia clariùs patebunt ex solutione argumentorum.

*SOLVUNTUR ARGUMENTA
contraria.*

SIT primum argumentum ex Philof. & Scoto pluribus in locis afferentibus, continuum nõ componi ex partibus indivisibilibus, nisi ex divisibilibus in alias, & alias vsque in infinitum.

Resp. loqui syncategorematicè, & in potentia, sive per intellectum, vt manet probatum, & explicatum; non verò loquuntur de divisibilitate vera, & reali, in partes actù, & categorematicè existentes in continuo, imò nec possibiles.

Sed contra istam solutionem instabis, quod Philof. & Scotus cum eo, non loquuntur de divisibilitate solùm per intellectum, sed de divisibilitate vera, & reali possibili in partes infinitas, licet non actù existentes in continuo, possibiles verè, & realiter. Quod (dices) patet; quia, tam Aristot. quàm Scotus probant divisibilitatem continui in partes vsque in infinitum divisibiles rationibus, quæ non divisibilitatem solùm per intellectum, sed veram, & realem divisibilitatem in partes semper divisibiles concludunt, & probant sequenti ratione.

Sit igitur 2. argum. & est ratio Arist. desumpta 6. Phys. ab initio fundata in illo principio, quod

indivisibile additum indivisibili non potest facere maius extensivè, & quoad molem, nec consequenter constituere continuum. Et efformatur sic argumentum: si vnum indivisibile additum alteri indivisibili faceret maius, deberet in indivisibili assignari pars tacta, ratione cuius esset vnitum alteri indivisibili, & pars non tacta, ratione cuius esset extra illud; nam vt fiat aliquod maius ex duobus vnitis, quàm ex vno solo, debent ita inter se vniri, vt secundùm aliquid sui sint extra se invicem; atqui in indivisibili non sunt partes, vt possit secundùm vnam tangere aliud indivisibile, cum quo vnitur, & secundum aliam esse extra illud: ergo continuum non componitur ex partibus indivisibilibus, nisi ex divisibilibus in infinitum.

Confirmatur dicta ratio: partes indivisibiles, sive indivisibilia immediate vnita debent se tangere; sed non possunt se tangere, quin penetrarentur: ergo penetrantur, dum vniuntur: ergo non occupant spatium divisibile, & extensum, ac per consequens, nec faciunt maius duo indivisibilia, ac perinde, nec tria, nec quatuor, &c. quàm vnum: ergo cum continuum occupet spatium divisibile, & extensum, sitque vnum maius alio, nequit componi ex partibus indivisibilibus in alias partes. Prob. min. vnum indivisibile, si tangit aliud, debet illud tangere secundùm

dum se totum; sed nequit illud tangere secundum se totum, & occupare diversum spatium; ergo occupant idem spatium: ergo penetrantur. Patet min. si adveniret tertium indivisibile, & uniretur cum secundo, tangeret etiam illud secundum se totum: ergo etiam tangeret primum; quia implicat, quod primum, & tertium tangant secundam, secundum se totum, quin se tangant etiam primum, & tertium secundum se tota: ergo si continuum constaret ex partibus indivisibilibus, non esset extensum: ergo ne hoc dicatur, dicendum est componi ex partibus infinitum divisibilibus.

Resp. ad instantiam negando, quod Arist. & Scotus non loquantur de divisibilitate solum per intellectum, dum asserunt, continuum esse divisibile in partes infinitas, sive in infinitum divisibiles, ut constat ex dictis per totam sect. & lib. 3. ubi supra. Similiter nego, rationes, quibus probant divisibilitatem continui in infinitum concludere de divisibilitate, & de partibus veris, & realibus, & non de divisibilitate, & partibus tantum obiectivè in intellectu. Quod ut pateat.

Resp. ad primam rationem, quæ est secundum argumentum, quod dum Philos. dicit, indivisibile aditum indivisibili non posse facere maius extensivè, & quoad molem, loquitur de indivisibili, non physicè solum, sed de indivisibili

tam physicè, quàm solum per intellectam, qualia sunt uniones necedentes partes continui, & quævis res spiritualis; non verò loquitur de partibus quantitativis indivisibilibus physicè, & realiter; quia istæ, cum sint quantæ, adhuc sunt divisibiles, non acti, sive physicè, & realiter in partes, quas ipsæ contineant; nisi in potentia, & syncategorematicè in partes, quæ revera non sunt, & concipit intellectus, ac si essent, eo quod tales partes, utpotè quantæ, habeant aliqualem extensionem; ex quo fit, quod quælibet illarum constet diversis lateribus, propter quæ potest tangere, & non tangere aliam compartem, scilicet secundum unum latus tangere, & secundum aliud non, quæ latera, licet sint indivisibilia ab invicem, concipit intellectus, ut ab invicem divisibilia, ac per consequens ut partes, & cum revera partes distinctæ non sint, vocat illas Philos. partes in potentia, sive syncategorematicè, quas nec Deus potest dividere; & sic sunt partes solum per intellectam, sive tantum obiectivè in illo. Et quod hæc sit mens Philos. & Scoti, patet; quia frequenter dicunt, continuum non posse dividi, adhuc à Deo in omnes suas partes: ergo quia intendunt dari aliquas partes, in quas non potest dividi; sed istæ nequeunt esse aliquæ partes, quæ verè, & realiter sint tales: ergo debent esse partes, quæ tantum

per intellectum sunt partes.

Nunc autem resp. ad formam argumenti dist. mai. si vnum indivisibile additum alteri indivisibili faceret maius, deberet in indivisibili assignari pars tacta, ratione cuius esset vnitum alteri indivisibili, & pars non tacta ratione cuius esset extra illud, pars, quæ physicè, & realiter sit pars, neg. quæ tantum obiectivè in intellectu sit pars, conc. Et etiam conc. quod debet esse extra illud, cui vnitur. Et dist. min. atqui in indivisibili non sunt partes, in indivisibili non quanto, vt est vno, & quævis alia relatio, & quævis res spiritualis, conc. in indivisibili quanto, vt sunt partes indivisibiles verè, & realiter entis quanti, subdist. non sunt partes verè, & realiter à parte rei, conc. non sunt partes per intellectum, sive tantum obiectivè in illo, neg. & similiter dist. consequens. Continuum enim, vt manet dictum supra, non est à parte rei verè, & realiter divisibile in partes infinitas; quia non dantur infinitæ partes à parte rei; sed est divisibile per intellectum in infinitas partes, quæ partes solum sunt obiectivè in intellectu.

Ad confirmationem resp. conc. mai. & neg. min. ad cuius probationem neg. maior. Indivisibilia namque quanta, licèt se tangant, non se tangunt secundum se tota, nisi secundum aliquid sui, quare se tangunt, quin penetrentur, & faciunt maius, & extensum: vnde

maius, & magis extensum est continuum constans duabus partibus physicè, & realiter indivisibilibus, quàm vnica pars indivisibilis: & maius, ac magis extensum est, quod constat tribus, quàm quod duobus solummodò constat, & sic de alijs: ac per consequens illud est maius, & magis extensum, quod pluribus partibus indivisibilibus constat.

Et si instes, quod continuum, cera v.g. dum est rarum, est maius, ac magis extensum se ipso, dum est densum; sed non habet plures partes indivisibiles vno modo, quàm alio: ergo falsum est, quod illud continuum est maius, ac magis extensum, quod pluribus partibus indivisibilibus constat.

Resp. ad instantiam istam conc. mai. & dist. min. sed non habet plures partes indivisibiles vno modo, quàm alio eiusdem rationis, sive homogeneæ, conc. diversæ rationis, sive atherogeneæ, neg. & etiam consequens. Dum corpus aliud quod rarefit, licèt non augeantur partes indivisibiles illius, inter istas introducuntur aliæ partes indivisibiles aeris, & cum istæ etiã sint quantæ, faciunt quod continuum illud sit maius, ac magis extensum.

Deindè retorqueo in adversarios instantiam, qua confirmant argumentum, & arguo sic: partes continui vnitæ, estò sint divisibiles debent se tangere, licèt non secundum se totas, saltem secundum

dum aliquid sui. Rogo nunc, vel penetrantur secundum omne illud, secundum quod se tangunt, vel non? Si non: ergo etiam poterunt se tangere indivisibilia, etiam se se tangerent secundum se tota, quin penetrarent. Si dicas, quod penetrantur, omnia, quæ contra nos arguebas, æqualiter contra te militant. Tangi namque non est penetrari, nisi esse taliter approximata, quod nihil mediet, neque adhuc spatium imaginarium inter illa, quæ se tangi dicuntur.

Instabis adhuc: indivisibilia, eo quod indivisibilia sint, nequeunt se tangere, quin se tangant secundum se tota: ergo solutio supra data est nulla. Prob. antec. si non se tangerent secundum se tota, se tangerent secundum unam partem, & secundum aliam partem non se tangerent; sed indivisibilia, eo quod talia sint, non habent partes: ergo nequeunt se tangere, quin se tangant secundum se tota.

Resp. ex doctrina tradita dist. antec. indivisibilia quanta, neg. non quanta, conc. & neg. conseq. Ad probationem antecedentis dist. mai. si non se tangerent secundum se tota, se tangerent secundum unam partem, quæ verè, & realiter sit pars à parte rei divisibilis ab alia, secundum quam non se tangerent, neg. se tangerent secundum unam partem, quæ solum per intellectum, sive secundum nostrum modum concipiendi sit pars divisibilis ab alia, secundum quam

non se tangunt, conc. Etiam dist. min. vt supra, verè nunc autem resp. ad formam, & neg. conseq. De quo sufficienter est dictum. Et addo, quod licet indivisibile quantum non habeat partes physicas, & reales, tamen eo ipso quod est quantum debet habere aliquid, & aliquid, quæ concipit intellectus vt partes: & sic potest tangi secundum aliquid, & secundum aliquid non tangi: v. g. consideretur superficies auri, vel alterius corporis, tam tenuis, quod non possit dividi in alias superficies, neque amplius attenuari, si isti approximaretur aliquod corpus quantum nequaquam tangeret illam per duo latera, nisi per unum latus tantum: ergo iam ista superficies, quam supponimus indivisibilem physicè, & realiter, iam poterit tangi secundum aliquid, & secundum aliquid non tangi, quæ quidem aliquid, & aliquid non sunt partes in quas dicta superficies sit verè, & realiter divisibilis, nisi tantum obiectivè in intellectu.

Virges: ergo illud aliquid partis indivisibilis secundum quod se tangit cum alia parte, & illud aliud aliquid, secundum quod non se tangit, distinguuntur: ergo possunt ab invicem separari, & dividi: ergo iam pars, quam dicimus indivisibilem, est divisibilis, quod est contradictio.

Resp. dist. primum consequens: distinguuntur realiter strictè, neg. formaliter ex natura rei, conc. ne-

go secundam consequentiam, & dist. tertium consequens: ergo iam pars, quam dicimus indivisibilem, est divisibilis, ea divisibilitate, qua dicimus indivisibilem, esse, neg. distincta divisibilitate, & qua dicimus in conclus. divisibilem esse, conc. in quo nulla datur cōtradictio. Dicimus igitur, continuum componi ex partibus indivisibilibus physicè, & realiter; & divisibilibus per intellectum, modo quo manet explicatum supra, in quo nulla implicatur contradictio.

Instabis iterum: indivisibile non est divisibile extensum: ergo nequit constituere, sive componere divisibile extensum.

Resp. conc. antec. & neg. consequ. Licet palmus sit extensum indivisibile in palmos, constituit, & componit extensum divisibile in palmos: & quamvis materia prima, sit indivisibilis in materiam, & formam, constituit, ac componit divisibile in materiam, & formam, quale est totum physicam substantiale. Imò necessarium est, quod pars quælibet constituat, seu componat divisibile ea divisibilitate, qua ipsa pars est indivisibilis, vt satis ex se patet: sic igitur vnum indivisibile, sive vna pars indivisibilis physicè, & realiter vnita cum alia pariter indivisibili constituit, seu componit divisibile physicè, & realiter in ipsam, & aliam, cum qua vnitur.

Instabis amplius: pars indivisi-

bilis physicè, & realiter vnita cum alia sic indivisibili, potest dividi physicè, & realiter ab illa, & è cōtra: ergo sunt divisibiles physicè, & realiter ab invicem: ergo simul sunt divisibiles, vt probatur, & indivisibiles, vt supponitur.

Resp. conc. antec. & primam consequ. & dist. secundum consequ. ergo simul sunt divisibiles activè (quod probatur) & indivisibiles passivè (quod supponitur in instantia) conc. simul sunt indivisibiles, & divisibiles passivè (de qua divisibilitate est quest.) neg. consequentiam. Quævis namque pars est divisibilis, & separabilis ab alia comparte, in quo stat divisibilitas activa; non verò quælibet pars est divisibilis in alias partes physicas, & reales, in quo stat divisibilitas passiva, vt diximus supra vers. *ad quod noto, quod sicuti.*

Plura alia argumenta mathematica solent construi contra primam partem conclusionis nostræ, quæ relinquimus; quia non possunt sine magna diffusionem, & absque claritate proponi, ac solvi: & quia præterquam quod habent eandem vim contra adversarios, licet difficillima appareant, facillimè solvi possunt, si attentè considerentur; quia ex indivisibilibus quantis, cum habeant, vt diximus, aliquam extensionem, quælibet figura pyramidalis, quadrata, orbicularis, &c. potest intelligi sine contradictione aliqua, & absque

que inconvenienti quolibet.

Sit 3. arg. in continuo successivo: si continuum successivum constaret partibus indivisibilibus physicè, & realiter, sequeretur, quod testudo v. g. moveretur tam velociter, ac aquila, quod falsum esse, satis ex se constat: ergo &c. Prob. antec. sequela: moveantur aquila, & testudo per vnam horam v. g. nunc arguo sic: in qualibet parte indivisibili temporis, sive in quolibet indivisibili instanti distinctam partem indivisibilem spatij acquireret testudo; sed aquila non potest in vnico indivisibili instanti temporis acquirere plus, quam vnicum indivisibile spatij: ergo tot indivisibilia spatij acquireret testudo deambulans per horam, quot aquila per eandem horam volans: ergo tantum spatium percurreret testudo, quantum aquila volaret, æquali tempore: ergo ista non se moveret velocius, dum volat, ac illa, dum ambulat.

Resp. neg. sequelam antecentis, ad cuius probationem neg. mai. Ratio est; quia testudo, dum ambulat, in pluribus instantibus temporis quiescit, in quibus nullum indivisibile spatij acquirit. Aquila verò, licet in aliquibus instantibus quiescat (supposito, vt censemus, & negari valet, quod potest dari motus velocior) in minus instantibus horam quiescit, quare plura indivisibilia spatij acquirit in hora, quam testudo, ob

quod velocius movetur. In quo enim potest stare, quod vnum moveatur velocius alio, nisi in eo, quod in motu vnus, tempore æquali, dantur minus morulae, sive minus instantia, in quibus non movetur, seu quiescit, quam in motu alterius?

Instabis contra præfatam solutionem: motus aquilæ, quantumvis velox, est valdè tardior, motu Solis v. g. ergo si vnum motum esse tardiozem alio, staret in eo, quod darentur in illo plures morulae, quam in alio, in motu aquilæ essent plures morulae; atqui hoc est falsum: ergo tarditas motus non fiat in morulis, quas assignamus. Prob. min. subsumpta: aquila volans nunquam immorari, sive quiescere agnoscitur: ergo in motu aquilæ non dantur morulae dictæ.

Resp. conc. antec. & conseq. & neg. min. subsumptam, ad cuius probationem dist. antec. à nobis, conc. à Deo, & fortè ab Angelo, anima que separata, neg. & etiam consequentiam. Licet enim in motu aquilæ plurimæ dentur morulae, cum minutissimæ sint, & intermixtæ cum partibus motus, nostraque potentia visiva sit tam materialis, non possumus nos illas notare, ac percipere, quare videtur nobis, aquilam, nec adhuc per indivisibile instans quiescere; at verò quiescere in pluribus instantibus ratio convincit. Quod similiter patet, & convincitur è con-

trario in motu indicis horologii, qui eo quod tardissimus, non percipimus motum illius, & videtur nobis semper quiescere; & tamen experimur moveri, quod similiter provenit ex eo, quod in pluribus valde instantibus horæ quiescit, & paucis valde movetur.

Replicabis: quando rota movetur circulariter, velocius movetur superficies remotior à centro rotæ, quam propinquior illo: ergo si maior tarditas motus proveniret ex eo quod in tardiori essent plures morulæ, quam in velociori, sequeretur evidenter, quod superficies rotæ propinquiores centro ipsius quiescerent in aliquibus instantibus, in quibus non quiescerent superficies remotiores à centro rotæ; atqui hoc nequit esse: ergo solutio data est nulla. Prob. min. subsumpta: quia ex hoc sequeretur, superficies, sive partes rotæ discontinuatas, & separatas esse; sed sunt unitæ, & continuatæ: ergo. Sequela prob. ex partibus unitis repugnat, moveri unam, immota alia: ergo &c.

Resp. conc. primum antec. & conseq. & neg. min. subsumtam, ad cuius probationem neg. mai. & antec. probationem eius. Imò superficies, sive partes rotæ propinquiores centro non quiescerent in aliquibus instantibus, in quibus superficies, & partes remotiores à centro moventur, necesse discontinuarentur, quod ratio evidenter convincit; quia par-

tes propinquiores centro non percurrunt in æquali tempore tantum spatium, imò minus, & minus, quantum propinquiores sunt centro, ut patet experientia, neque potest aliter esse: ergo ut pars propinquior percurreret æquale spatium, ac remotior, deberet poni in æquali distantia à centro: ergo & discontinuari à parte, cum qua est unita. Unde eo quod partes sunt taliter inter se unitæ, quod componunt continuum sphericum, ut motus sit circularis, requiritur necessarîo, ut partes sic unitæ, & continuatæ consistant, quod una, nempe propinquiores centro, non percurrant in æquali tempore æquale spatium, ac remotiores: ac per consequens, quod partes propinquiores centro quiescant in aliquibus instantibus, in quibus remotiores moventur. Et quod una pars unita alteri possit moveri, altera immota, patet in virga flexibili, dum flectitur dimidia pars virgæ superior, alia dimidia inferiori recta manente.

Sic 4. arg. in Concil. Constantiense sess. 15. inter propositiones Vviclephi fuit damnata ista Zenonis sententia de partibus indivisibilibus continui: ergo nequit sustineri.

Resp. primò: dato, quod in Concilio sententia Zenonis fuisset damnata, nihil facit contra nos; quia Zenon non solum docuit, continuum componi ex partibus finitis cathogorematicè, & indi-

visibilibus physicè, & realiter in infinitum; verum & non componi ex partibus infinitis syncathegorematicè, & in potentia, quomodo tantum illas admittit Arist. & nos cum illo, & Scoto, ut vidimus: quasi defendens per hoc, licet implicite, quod intellectus noster, ut sensibus alligatus potest numerare partes continui, cognoscere parvitatem illarum, quæ minor esse non possit, & alia huiusmodi, quæ naturaliter nos cognoscere non possumus: ex quo oritur, quod noster intellectus cognoscat continuum, ut divisibile in partes infinitas.

Resp. secundò cum gravissimis Doctoribus, nallatenus in corpore allegati Concilij, has, aut similes propositiones contineri; sed desumptas esse ex codice cuiusdam Canonici Colonienfis, quem codicem mendosum esse, docet Typographus.

Resp. tertio cum alijs, prædictam censuram lectam fuisse in Concilio, & non approbaram à Patribus Concilij; quia erat extra illorum institutam de rebus purè philosophicis disputare, illasque determinare.

DISPUTATIO II.

DE INCEPTIONE, ET DESITIONE

rerum.

TAM corpori naturali, quam continuo cuilibet conve-

SECTIO

ninat, proportionata distributione, inceptio, desitio, magnitudo, & parvitas, quapropter in isto lib. de his omnibus, postquàm de natura, & compositione continui, in præsentia Disp. breviter disputavimus.

SECTIO II.

QUOMODO RES, INCIPIANT, & DESINANT ESSE.

IN intrinsecam, & extrinsecam dividitur communiter inceptio, & desitio rerum. Inceptio intrinseca rei dicitur primam sui esse, taliter quod sit verum dicere: *in hoc indivisibili instanti existit res, & in instanti indivisibili immediato non existit.* Inceptio extrinseca est ultimum non esse rei, taliter quod sit verum dicere: *in hoc indivisibili instanti non existit res, & in instanti indivisibili immediatè sequenti existit.* Desitio intrinseca rei dicitur ultimum esse sui, ita ut sit verum dicere: *in hoc indivisibili instanti existit res, & in indivisibili instanti immediatè sequenti non existit.* Desitio extrinseca est primum non esse rei, ita ut sit verum dicere: *in hoc indivisibili instanti non existit res, & in instanti indivisibili immediatè precedente, sive transactò existit.*

EX HIS ERGO primum esse rei est rigorosior inceptio ipsius, & primum non esse rigorosior desitio. Prob. prima pars: tunc inci-

Ecc

pit

pit res rigorosè loquendo, quando incipit habere esse, quod immediate antea non habebat; sed solum per primum sui esse hoc habet, ut ex se constat, & non per ultimum non esse: ergo Pater min. quia ultimum non esse rei datur in instanti, in quo nondum est res. Similiter prob. secunda pars: quia tunc res desinit esse proprie, quando est verum dicere, quod perijt; sed solum per primum non esse est verum dicere, quod perijt, & non per ultimum esse: ergo rigorosior desitio rei est primum non esse illius. Prob. min. in ultimo esse rei est verum dicere, quod est res; sed quando est res, nondum perijt: ergo solum per primum non esse rei est verum dicere, quod perijt res, & non per ultimum esse.

Quod hic solet inquiri est, an res incipiant in instanti, vel successive? Circa successiva est notanda, quod nulla res successiva existit tota simul, imò neque duæ saltem partes illius, sed necessariò una post aliam: quare cum dixerimus disp. antecedenti sect. 2. contrarium constare ex partibus physicè, & realiter indivisibilibus, certum est, quod res successiva incipit in instanti, seu per partem indivisibilem. Idem est dicendum de desitione, proportionè servata. Circa permanentia

SIT CONCLUSIO: res indivisibilis, ut Angelus, & anima ra-

tionalis incipit esse in instanti, quoad totum suum esse. Prob. ut aliqua res incipiat esse quoad totum suum esse in pluribus instantibus, debet habere plures partes físicas realiter inter se distinctas, quarum quælibet incipiat esse in diverso instanti: ergo res permanentes indivisibiles necessariò incipiunt esse in instanti quoad totum suum esse.

Ex quo constat, quod quælibet res permanens divisibilis physicè, & realiter in partes realiter inter se distinctas, potest incipere esse successive quoad totum suum esse inclusivè, siquidè potest in hoc instanti esse una pars, & non alia, postea alia, & sic de alijs, usque dum sint omnes: ergo cum talis res incipiat esse ex prima parte, & non incipiat esse inclusivè, usque dum sunt omnes, potest incipere esse successive quoad totum suum esse inclusivè. Quod frequenter sic fit ab agente naturali. At verò Deus in instanti potest illas producere quoad totum suum esse inclusivè, & sic ipsæ possunt incipere esse. Idem dicendum est quoad desitionem, servatis servandis. Omnia apposta in præfati sect. sunt conformia Scotto, ut constat ex dictis ubi supra.

DE INCEPTIONE ET DESITIONE



SECTIO II.

UTRUM RES HABEANT TER-
minos magnitudinis, & par-

vitatis.

Duplex est terminus magni-
tudinis, & parvitatis, scilicet
intrinsecus, & extrinsecus.
Terminus intrinsecus magnitu-
dinis est illa quantitas, sive illa
magnitudo, sub qua ita res esse
potest, ut non possit esse sub ma-
iori, ut si homo vig. posset esse sex-
cubitorum, & non maiori, tunc
ista quantitas esset terminus in-
trinsecus magnitudinis hominis.
Hanc terminum vocat Philol. *ma-
ximum quod sit*; quia est maxima
quantitas, quam res potest habere.
Terminus extrinsecus magni-
tudinis est illa quantitas, sive
magnitudo, quam res habere non
potest, cum possit maiorem infra
ipsam habere, ut si homo non pos-
set habere magnitudinem septem
cubitorum, sed tamen infra istam
posset habere maiorem: in hoc
casu magnitudo septem cubito-
rum esset terminus extrinsecus
magnitudinis hominis, qui ter-
minus dicitur, *minimum quod non*;
quia ex omnibus quantitatibus,
quas res nequit habere, quia mag-
nas, ista est minor, sive minima.

Terminus intrinsecus parvita-
tis est illa quantitas, quam res ha-
bere potest, & qua minorem non
potest habere, ut si homo posset

conservari sub magnitudine unius
palmi, & non sub alia minori,
quantitas, sive magnitudo unius
palmi esset terminus intrinsecus
parvitatis hominis, & appellatur
iste terminus, *minimum quod sit*;
quia est minima quantitas, quam
res potest habere. Terminus ex-
trinsecus parvitatis est illa quan-
titas, sub qua res esse non potest,
& valet esse sub minori supra il-
lam, ut si homo non posset esse
unius palmi, & posset esse sub
qualibet parva quantitate maiori
palmo, qui terminus dicitur, *ma-
ximum quod non*; quia ex omnibus
quantitatibus, quas, quia parvas,
non potest habere, ista est maior,
sive maxima.

Quæritur igitur nunc an utrum
entia naturalia, tam vi vegeta, quam
non viventia, habeant terminos
magnitudinis, & parvitatis? Et in
primis certum est iuxta nostra
Scolica principia ex lib. 3. quod
omnia entia naturalia habent
terminum magnitudinis physicè,
& realiter, sive categorematicè
loquendo; & quod loquendo syn-
categorematicè, & in potentia,
modo quo hoc habet explicatum
lib. 3. agendo de infinito, & disp.
antecedenti de continuo, non ha-
bent terminum magnitudinis.
Quod patet; quia in prima accep-
tione repugnat quantitas infinita,
& in secunda de continuo, sed quan-
titas finita necessarium debet habere
terminum magnitudinis, qui
terminus repugnat infinito, ergo

Casu ergo, quod aliqua creatura esset tam magna, quod haberet omnem quantitatem possibilem, ista non haberet terminum magnitudinis extrinsecum, nisi intrinsecum; quia non daretur quantitas maior sua, quam ipsa habere non posset, quod debet intelligi physicè, & realiter; nam in potentia, & syncategorematicè semper datur alia, & alia maior in infinitum: vnde sic, nec terminum magnitudinis intrinsecum potest habere creatura.

Deinde, certum est etiam, loquendo physicè, & realiter, quod omnia entia naturalia habent terminum intrinsecum parvitatatis; quia cum continuum constet ex partibus physicè, & realiter indivisibilibus, nullum potest esse sub minori quantitate, quam sub indivisibili: & si aliquid posset esse sub tam parva, nempe sub indivisibili, non haberet terminum extrinsecum parvitatatis; quia non est possibilis alia minor, sub qua esse non posset. Loquendo autem syncategorematicè, & in potentia, sive per intellectum, ut manet dictum de Infinito, & de continuo, cum huiusmodi datur infinitum, tam versus magnitudinem, quam versus parvitatem, nulla creatura potest habere terminum magnitudinis, nec parvitatatis.

De viventibus dicendum est; loquendo etiam physicè, & realiter, naturaliter non posse habere maiorem, sive maximam quanti-

tatem possibilem; sed habere terminum determinatum magnitudinis sub illa: neque posse habere quantitatem indivisibilem, sed habere terminum determinatum parvitatatis supra indivisibilem quantitatem. Experientia constat satis utraque pars. Ratio prima est; quia calor naturalis deserviens ad augmentum deficit paulatim, sitque ita remissus, ut non possit tantum substantiæ producere, quantum posset sufficere ad augmentum. Etiam potest esse hæc ratio; quia ossa, & nervi successu temporis ita indurantur, ut non sint apti ad recipiendum plus alimenti per intusumptionem.

Et confirmatur: quia nimia magnitudo impediret operationes vitæ, ipsæ connaturales, cum ad istas requirantur organa, & partes determinata quantitate, & determinato ordine disposita: ergo habent terminum magnitudinis, tam intrinsecum, quam extrinsecum.

Secunda pars patet etiam: quia viventia debent constare corpore organico habente partes diversæ rationis; sed ad hoc requiritur quantitas divisibilis: ergo viventia non possunt existere sub quantitate indivisibili.

Confirmatur utraque pars: quia nulla est ratio, ex qua colligi valeat, cur formica v. g. tam magnam quantitatem, ac homo, nec contra: cur homo non habeat tantam parvam, ac formica.

LIBER VII. ET VIII.

PHYSICORVM.



DE eisdem, de quibus per tractat Philof. in 7. lib. Phys. agit etiam in 8. Vnde existimantur aliqui, & non esse Arist. At cum ipsi adseribant illum cuncti Phil. Commentatores, & certe stylus, ac methodus ster pro Philof. nec sit infuctum, ipsum de eadem re in diuersis locis pertractare, debemus pro Aristotele iudicare. Quia materia septimi, & octavi lib. eadem est, placuit eos cunctos proponere, & vnica disp. comprehendere, quia plura de quibus hic agit Philof. vt de mundi origine, & de primo motu, solent iam in Theolog. examinari.

DISPUTATIO VNICA.

DE PRINCIPIIS MOTVM.

CVM Philof. disputet in hoc 7. lib. de eisdem, que in dubium vertit in 8. lib. non diffonum videtur rationi, imò valde consonum differendi methodo, que in illis pertractari solent, vt in hac vnica disp. tractare.

SECTIO I.

A QVO MOVEANTVR CORPORA naturalia?

PLura sunt, de quibus procedit difficultas, & ideo de his omnibus opus est per aliquas conclusiones, que expediunt resolvere. Ad quod noto, quod illud dicitur mouere aliud, quod producit, tanquam causa principalis, vt ista instrumentali contraponitur formam, ad quam mobile mouetur, que quidem est forma, que in ipso mobili recipitur.

SIT IN CONCLUSIO: corpora viuentia se ipsa mouentur localiter. Ita Subtilis Doctor in 2. dist. 2. quest. 10. a num. 2. §. concedo, quod potest. Et patet, quia viuentia habent principium activum motus localis, & etiam passivum, vnde quer experientia: ergo sunt cause principales suorum motuum localium: ergo se ipsa mouentur localiter.

Confirmatur: quia si ab aliquo extrinseco mouerentur localiter, siue proveniret motus localis ipsum, adhuc renuentibus ipsis

de

de ambulant, quod est falsum: ergo &c. Non loquimur in casibus, in quibus vi trahuntur; quia tunc a trahente moventur. Ex his constat etiam ob eandem rationem, quod ipsa se movent etiam ad suas operationes connaturales, ut ad sensationes, quod docet etiam Scotus allegatus.

SIT 2. CONCLUSIO: gravia, & levia se ipsa moventur ad cœtrum, & cœtera corpora ad formas sibi connaturales. Etiam est Scoti citati. Prob. quia omnia hæc habent principia intrinseca activa ad prædictos motus, & formas: ergo à se ipsis moventur. Patet antec. in singularis; quia gravitas est principium motus deorsum, & levitas sursum. Deinde aqua v. g. se sola reducitur ad frigiditatem connaturalem. Nec valet, quod moventur à generante; quia hoc solum est mediatur, quatenus scilicet generans ea producit in illis tales virtutes, quod patet; quia destructo generante, adhuc moventur ad tales formas: nec à medio; quia istud non habet talem virtutem, ut facile constare poterit.

Obijcies I. Philof. asserentem: omne, quod movetur ab alio movetur: ergo nihil movetur à se ipso. Resp. conc. antec. & dist. conseq. ergo nihil movetur à se, hoc est independenter, conc. nihil movetur à se, hoc est, nihil movetur se ipsum dependenter à primo motore, qui movet omnia, neg. Et hoc

est, quod vult Philof. non verò, quod nihil moveatur à se, licet dependenter à Deo moveatur prius, & sine cuius motione nihil moveretur, quod liquet; quia prius dixerat Philof. viventia à se moveri.

Obijcies 2. Arist. etiam 2. de Generatione. tex. 8. ubi ait, gravitatem, & levitatem non esse principia agentis: ergo sentit, quod neque à se ipsis causatur motus.

Resp. Philof. ibi solum negare, gravitatem, & levitatem esse principia actionis tendentis in generationem substantialem; quia non sunt principia productiva substantialis formæ, quod non obest conclusioni nostræ.

SECTIO II.
DVO EXAMINANTVR DVBLIA
circa corpora gravia, & levia.

SIT 1. DVBLIUM, an corpora gravia in centro sint gravitantia, & levia sint levitantia? Resp. affirmativè. Prob. tunc gravitatio grave (idem dicendum est de levi, proportione servata) quando quiescit iuxta suam naturalem exigentiam; sed hoc habet in centro ergo. Prob. mai. quando grave movetur contra cœtrum, & etiam quando ad cœtrum, gravitat, aliàs nec motus contra cœtrum esset violentus, nec ad cœtrum connaturalis; sed idèò quando movetur contra cœtrum gravitat, quia ta-

lis motus est contra ipsius exigentiam, & quando ad centrum, quia est iuxta ipsius naturalem exigentiam: ergo cum dum est in centro, quiescat iuxta suam naturalem exigentiam, dicendum est, gravitare.

Vndè dicendum est, solùm per motum neutrum, vt est circularis, non gravitare; quia nec est contra, nec iuxta suam connaturalem exigentiam. Sed tamè etiam tunc gravitat, licèt non in ipso motu ob rationem dictam; quia vel est in centro, vel extra, si primum, quia quiescit in centro, ad quod non obest motus circularis; quia, vt potè neuter, non opponitur quieti: si secundum, quia est violentus.

His non obstantibus, ne circa hoc de nomine disputemus, dicimus, quod si pro gravitare in gravibus, & levitare in levibus intelligatur moveri ad cètram, certum est, nec illa gravitare, nec levitare ista in centro, siquidem non moventur. At si intelligatur, quod inclinantur ad centrum, adhuc in centro gravitant, vt maner probatum; quia retinent principia, per quæ innatè inclinantur ad centrum.

Circa quod noto, quod, vt corpus grave dicatur esse in centro, & quiescere in illo (idem dicimus de gravi, servatis servandis) non requiritur, quod sit in ipso puncto centri, sed sufficit, quod quiescat supra alia gravia continuata,

vel contiguata cum centro, alias omnia gravia præter punctum immediatum puncto centri, essent continuè violenta, quod dici nequit.

SIT 2. DVBIVM, quare corpus grave descendens ad centrum velocius movetur in fine, quam in principio? Relinquo varios dicendi modos, & assero, quod illa maior velocitas provenit ab ipsa met gravitate, tanquam à principio, & à motu transacto, tanquam à dispositione, taliter quod quanto à maiori distantia descendat, tanto velocior sit motus: dummodò corpus medians in spatio, per quod descendit, non fortiter resistat: vndè oritur, quod si lapis descendat per aquam, non movetur velocius in fine, quam in principio. Et patet 1. quia non reperitur alia causa, à qua possit provenire. Secundo, quia ille motus etiam in fine est naturalis, non solum vt motus, sed vt velocior: ergo à nullo extrinseco provenit: ergo ab ipsius gravitate.

SECTIO III.

DE QUO MOVENTUR PROIECTA?

PROIECTA dicuntur illa corpora, quæ moventur localiter, non à sua virtute loco motiva, sed ab aliqua causa extrinseca, quatenus non solum tollit impedimentum motus localis ipsius, sed

sed illa quoddam impetu, sive impulsu impellit: unde cum huiusmodi motus sit violentus, vel saltem præter naturalis, idè quærimus in præsentî sect. à qua virtute proveniat?

ALIQUI DOCENT, quod talis motus provenit ab aere medio. Contra 1. aer non sufficit ad elevandum lapidem magnum v. g. fursùm, aliàs sine proiiciente lapidem, lapis elevaretur, quod esse falsum, docet experientia. Deinde, quia etiam si debiliter proiiceretur, ita elevaretur, ac si magna vi (cuius contrarium experimur) quia æqualis est aer in medio.

Contra 2. quia semper datur aer medius: ergo lapis semel proiectus fursùm continuò moveretur vsque ad supremã regionem; sed hoc est falsum, teste experientia: ergo &c.

ALTERI DICUNT, quod proiecta gravia moventur à sua gravitate, & levia à sua levitate, prout determinata à proiiciente. Contra: motus gravis fursùm, & levis deorsùm, sunt ipsis violenti; sed motus violentus nullatenus potest provenire à principio intrinseco exigente contrarium: ergo cum talia sint gravitas, & levitas in prædictis corporibus, nequeunt ab illis provenire tales motus.

SIT CONCLUSIO: causa proxima, & immediata motus proiectorum, est quædam virtus locomotiva producta à proiiciente in ipso proiecto, quæ virtus commu-

niter dicitur impulsus, eo quod causatur à proiiciente medio impulsu, quo ipsum proiectum localiter à se expellit. Hæc conclusio est sententia communis contra nonnullos. Prob. quia licet verum sit, proiicientem esse causam principalem huius motus, tamen cum proiectum moveatur, dum iam nihil causat proiiciens, imò quando adhuc proiectum movetur, contingere potest, quod proiiciens iam non existat, necessario debet assignari alia causa proxima, & immediata talis motus; sed nequit esse alia aptior, quàm supradicta virtus motiva, quæ impulsus dicitur, impressa à proiiciente in proiecto: ergo &c.

Pro argumentis contrarijs solvendis noto 1. quod impulsus supradictus non est gravitas, nec levitas, sed est quædam qualitas pertinens ad tertiam speciem qualitatis, quæ passio dicitur. Patet prima pars; quia gravitas est determinata ad motum deorsùm, & levitas ad motum fursùm; sed prædictus impulsus est indifferens ad utrumque motum, vt ex se patet: ergo &c. secunda pars, scilicet quod sit qualitas, etiam constat; quia impulsus est accidens activum; sed nullum accidens est activum, nisi qualitas: ergo. Quod sit passibilis, etiam est certum; quia est primo sensibilis, & citò transiens, quod requiritur ad possibilem qualitatem, vt diximus in Met. tractatu 4. disput. 5. sect. 2. veris.

Verf. tertia qualitatum classis.

Noto 2. quod dictus impulsus producitur instataneè, vt asserunt plurimi; quia nullam qualitatem habet sibi divisibiliter oppositam; sed qualitates non habentes alias contrarias, & sibi divisibiliter oppositas, producantur in instanti; ergo. Circa quod est advertendum, nos loqui de eo, quod ex se petit impulsus; nam per accidens fortè poterit successivè produci.

Noto 3. quod præfatus impulsus, cum non conservetur à proijciente, nisi à solo Deo, corrumpitur per meram suspensionem concursus conservativi Dei, qui suspendit illum iuxta exigentiam naturæ; quæ hoc petit, eo quod impulsus sit qualitas passiva; & quia non habet causam secundam conservantem, neque sit connaturalis subiecto proiecto: quod patet in nimio calore recepto in ferro v.g. ab igne, qui ablato igne, paulatim corrumpitur, quia non habet causam secundam conservantem, neque est connaturalis ferro; & aliundè est consumptibilis ex se, si non habeat causam foventem, & conservantem. Quod etiam liquet in sonu, qui ex natura sua exigit parum durare.

Noto 4. quod dictus impulsus ex natura sua exigit desinere esse successivè. Quod patet experientia, quia videmus motum projectorum, cuius est principium im-

pulsus desinere esse successivè: ergo idem dicendum est de impulsu talem motum causante. Per accidens tamen potest desinere esse in instanti, vt si violenter in instanti impediatur motus proiecti.

Noto 5. quod maior velocitas lapidis proiecti in medio, quam in principio, dum magno impetu proijcitur, provenit ab ipso impulsu, qui successivè intenditur vsque ad gradum correspondentem vi, qua proijciens mittit, sive proijcit lapidem, qui nequit in instanti producere impulsus in tanta intensione.

Et si interrogas? Quænam causa producit illos gradus, quos acquirit lapis in medio, cum proijciens possit tunc iam perijisse? Dicendum est, quod ipsa qualitas ex se augetur, & intenditur, iuxta vim, qua à proijciente producit, & gravitatem lapidis, vt dispositionem ad tales gradus acquirendos.

SECTIO IV.

DE QUO MOVEANTUR resilientia.

Quotidiè experimur, quod si corporibus proiectis occurrat aliud impediens, & non cedens motui recto, resiliunt retrò, vt si pila ad parietem proijciatur. Quod igitur in presenti sect. inquirimus, est, à quo causetur ille

motus reflexus, nēpē an ab impulsu causato à proijciente, an verò ab alio impulsu à resistente producto, & impresso ipsi proiecto?

SIT CONCLUSIO: motus resistentiæ projectorum causatur per se, & immediatè ab impulsu causato à proijciēte in ipso proiecto. Est expressa Aristotelis 8. Phyl. cap. 4. tex. 32. his verbis: *Sicut reflexa sphaera, non à pariete reflexa est, sed à proijciente.*

Ratione prob. quia impulsus impressus proiecto à proijciente poterat longiori motu recto deferre proiectum, nisi à pariete impediretur; sed per resistentiam parietis non corrumpitur totaliter dictus impulsus, licet aliquantum remittatur: ergo cum impulsus ex se non sit determinatus ad motum rectum, sed ad quemlibet motum indifferens, iuxta impedimenta, quæ ad motum rectum opponuntur, impulsui à proijciente producto debet tribui motus reflexus.

Confirmatur experientia, quæ constat, corpus proiectum, v. g. pila ad parietem, intensiori motu resiliere, quo intensiori impulsu proiectum est: ergo ideò est, quia talis motus provenit principaliter, & immediatè ab impulsu producto à proijciente.

Deindè probatur: si motus reflexus causaretur à resistente, istud deberet producere impulsum in resiliēte, à quo impulsu proveniret immediatè motus reflexus,

ob eandem rationem, quæ probavimus, motum projectorum causari immediatè ab impulsu à proijciente impresso proiecto; sed corpus resistentis, paries v. g. resistentis motui recto pilæ projectæ, non causat impulsum aliquem in pilæ: ergo motus reflexus illius causatur ab impulsu producto à proijciente. Prob. min. quia impulsus causatur medio motu locali, & vi causantis illum, ut patet in impulsu causato à proijciente; sed paries, nec movetur, nec movet aliquam partem, quæ aliqua vi talem impulsum producat: ergo paries nullum producit impulsum.

RESPONDETUR ARGUMENTIS.

SIT primum argumentum: motus oppositi nō possunt provenire ab eodē impulsu: ergo motus reflexus nequit provenire ab impulsu, à quo provenit motus rectus; sed motus rectus provenit ab impulsu causato à proijciente: ergo ab isto nequit provenire motus reflexus.

Resp. neg. antec. quia si motus rectus impeditur, ne sit iuxta virtutem impulsus, quin impulsus corrumpatur, producit impulsus motum ad alium terminum, ad quem produceret, si non impediretur. Ab eadem namque virtute, Solis scilicet, producit lux directa, & reflexa, dum corpus resiliens, est talis, vel talis dispositio:

tionis: cur igitur idem impulsus non poterit causare motum directum, & reflexum, si corpus resistens, & projectum sint talium, & talium dispositionum?

Instabis: saltem virtus taliter determinata ad vnum motum, quòd contrarius sit ipsi violentus, nequit producere motum contrarium: ergo quando pila descendit à sua gravitate, & à terra resistit motu sursum, iste motus sursum debet provenire ab aliquo impulsu causato à terra, & impresso pilæ. Ista consequenter patet, quia, ut dicimus supra, dum corpus grave movetur ad centrum, non ab aliquo impulsu, sed ab ipsiusmet gravitate movetur, à qua nequit provenire motus sursum, cum sit illi violentus: ergo in tali casu impulsus movens pilam sursum causatur ab ipso corpore resistente motui directo, qui est deorsum: ergo motus reflexus semper causatur ab impulsu producto à corpore resistente.

Resp. dist. antec. si non detur obex ad motum, ad quem est determinata talis virtus, conc. si aliquod obex detur, neg. & etiam consequentiam, ad cuius probationem conc. primam partem antecedentis, & secundam dist. sicuti distinximus antec. & neg. primam, & secundam consequenter. Licet gravitas pilæ sit taliter determinata ad motum deorsum, quod motus sursum sit illi violentus, taliter potest impediri ab aliquo extrinse-

co, quando impetu, & vi movetur deorsum à sua gravitate, & quia ipsa est tali, & tali dispositione, quod licet violenter moveatur sursum ab ipsiusmet gravitate, qui motus est monstruosus, quia à virtute gravitatis est contra ipsam gravitatem. Quod evenit semper, quando monstrum producit, quod revera provenit à virtute naturali generantis, quæ impeditur in suo motu naturali, contra ipsius exigentiam, & vim patiendi producit talem effectum.

Deinde, quando in vna parte statere est maius pondus, quam in alia, ista maior gravitas se movendo deorsum, movet minorem sursum: ergo sicuti contra innatam virtutem ipsius, & determinatam ad producendum motum deorsum, producit in alio corpore motum sursum, ne impediat producere in se motum deorsum, etiam poterit in se producere motum sursum; quia impeditur motus deorsum, ad quem erat iam taliter determinatum, quod si non impediretur, non poterat iam non producere illud: & insuper sunt tales dispositiones in resistente, & in se ipso, quod nequit naturaliter cessare absolute motus, sed debet dari motus sursum.

Sit 2. argum. si motus corporis projecti resistentis causaretur ab impulsu ipsi à projiciente impresso, eodem modo, quo resistit pila projecta ad parietem, resilliret la-

pis: & eodem modo resiliret pila proiecta ad lanam, quam proiecta ad parietem; sed omnia hæc sunt contra experientiam: ergo non impulsu impresso à proiiciente, sed impulsu impresso à corpore interposito, vel ab alia causa, causatur ille motus reflexus.

Resp. neg. mai. quia licet dictus motus causetur ab impulsu impresso projecto à proiiciente; tamen tam ex parte projecti, quam ex parte corporis, ad quod proiicitur, requiritur aliqua dispositio, propterquam, tam projectum, quam corpus, ad quod proiicitur, possunt dici causæ per accidens talis motus; non verò causæ per se, qualis est dictus impulsus impressus projecto à proiiciente. Lapis enim non resilit, sicut pila, licet utraq; ad parietem proiciatur æquali impulsu, eo quod in pila reperitur lenitas lanæ, qua est impleta, & aer intra eandem lanam inclusus, & figura eius orbicularis, quæ omnia valdè conducunt ad exercitium motus reflexi, quæ quidem non inveniuntur in lapide. Similiter pila proiecta ad parietem resilit, non verò projecta ad lanam; quia corpus durū, ut est paries, non cedit motui directo pilæ, imò illi resistit, quod quidem est conditio necessaria ad resiliendam; at verò corpus molle, ut est lana, cedit motui directo pilæ, & sic non est dispositum, ut resiliant projecta ad illud.

Sit 3. argum. in ludo pilæ qui

secundò proiicit pilam, causat in pila impulsu, quò reddit pilam; sed ille motus est resiliendi: ergo talis motus non à proiiciente, sed à resistente producitur.

Resp. dist. mai. semper, neg. aliquando, subdist. totaliter, neg. partialiter, conc. Etiam dist. min. sed ille motus est resiliendi totaliter semper, neg. aliquando, conc. & dist. etiam consequens: ergo talis motus, non à proiiciente, sed à resistente producitur, aliquando conc. semper neg. Quando enim ludens reddit pilam resistendo solum, quin aliquam aliam vim faciat ad mittendum pilam, ille motus est puræ resiliendi, & sic causatur ab impulsu pilæ impresso à resistente; quando autem ludens mittit pilam à termino, ultra quem non moveretur iam, tunc ille motus causatur à secundo mittente pilam; sed ille motus propriè loquendo, licet videatur reflexus, non est resiliendi, sed projecti à secundo proiiciente, sicuti primus à primo proiiciente. Quando denique vim facit resistens admittendam pilam, in medio motus directi v. g. tunc ille motus partim causatur ab impulsu causato à primo proiiciente, & partim à secundo, & partim à corpore resistente, & sic est partim proiicientis, & partim resiliendi.

SECTIO V.

AN DETUR QUIES IN PUNCTO
reflexionis?

SIT 1. CONCLUSIO: non est necessaria quies in puncto reflexionis. Prob. quod non arguit contradictionem, potest esse; sed non dari quietem in puncto reflexionis, non arguit contradictionem: ergo non implicat, quod non detur quies in puncto reflexionis: ergo non est necessaria. Prob. min. Accedere ad corpus obstitens v. g. in aliquo instanti, & recedere ab illo in instanti immediate sequenti, non dicit contradictionem; sed hoc esset reflectere sine quiete in puncto reflexionis: ergo. Mai. patet; quia contradictio solum esset accedere, & recedere in eodem instanti. Min. prob. in instanti, in quo proiectam accedit ad corpus obstitens, non quiescit; deinde neque in instanti in quo ab illo recedit: ergo cum possit recedere in instanti immediato post instans, in quo accessit, poterit accedere, & recedere, quin mediet instans in quo quiescat: ergo in tali casu sine contradictione accederet, & recederet, quin quiesceret in puncto reflexionis.

Circa quod notari debet, quod, vt proiectum recederet sine quiete in puncto reflexionis, deberet moveri tota velocitate possibili,

nempè tanta, quod in quolibet instanti indivisibili temporis acquireret novum indivisibile spatij; quia si huiusmodi velocitate non moveatur, etiam in motu directo quiescit per aliqua instantia, quippè in illis, in quibus aliqua morula dantur, vt vidimus loquendo de continuo, siquidem, vt diximus, non potest consistere in alio, quod aliquis motus sit tardior alio, nisi quia in illo dantur plures morulae, quae revera sunt aliqua quietes per aliqua instantia, quae, quia minutissimae sunt, sensu non percipimus.

Quare adhuc potest esse difficultas: vtrum in puncto reflexionis, dato, quod ipsius motus non sit ita velox, vt non dentur aliqua morulae in ipso, detur longior morula, quam quae dantur in motu recto, & reflexo? Sed ex prima conclusioe constat, posse reflectere, quin detur maior morula, siquidem potest, quin detur vlla. Et prob. quia si dum ascendit parvus lapis v. g. descenderet supra illum alius valde magnus, non daretur maior morula in puncto reflexionis lapidis parvi, quam morulae, quae dantur in motu sursum, alias lapis parvus ascendens aliquantulum detineret lapidem valde magnam descendentem, quod est falsum.

SIT 2. CONCLUSIO: regulariter loquendo, in puncto reflexionis datur aliqua maior morula, quam quae dantur in ipso motu recto.

recto. Patet experientia; quia non tam velociter reflectit corpus, ac movetur per motum rectum: ergo quia in puncto reflexionis amittit aliquid velocitatis; sed hoc est dari aliquam maiorem morulam: ergo. Ratio est: quia cum motus directus sit oppositus motui reflexo, ad amittendum directam, & reflexum acquirendum, aliquantulum detinetur. Distans in presentifect. sunt conformia Scoto lib. 8. Phys. quæst. 8. per totam. Argumentis contrarijs facile satisfiet ex dictis supra. In lib. 8. Phys. frequenter pertractatur de primo Motore, de quo, quæ disputari solent, iam in 2. Phys. & etiam in Theolog. varijs in locis manent apposita. Primus namque Motor, idem sonat, ac causa prima, & ista est Deus.

SECTIO VI.

*VTRUM AGENS NATURALE
possit agere in distans?*

Quod inquirimus est: vtrum agens naturale possit agere in distans, quin aliquid agat in medium. Quam difficultatē breviter cum Scoto per varias conclusiones resolvemus.

SIT 1. CONCLUSIO: quando passum distat ab agente, & medium est capax eiusdem effectus, nequit agens naturale agere in distans, quin agat eundem ef-

fectum in medium. Prob. nequit causa naturalis (Deo non suspendente concursum) non agere in passio proportionato, & sufficienter approximato; sed si distans est sufficienter approximatum, potiori iure erit medium, vt ex se patet: ergo si medium est proportionatum, scilicet si est receptivum effectus, non poterit causa naturalis agere in distans, quin agat in medium.

SIT 2. CONCLUSIO: potest agens naturale agere in distans, quin similem effectum agat in medium, scilicet quando medium est incapax talis effectus. Quod patet in Sole producente metalla in visceribus terræ, quin illa producat in medio. Deinde, non producit calorem in corporibus cælestibus vicinioribus, & producit illum in sublunaribus magis distantibus. Constat etiam in quodam pisce dicto *Torpedo*, qui mortificat manum piscatoris distantem.

SIT 3. CONCLUSIO: nequit agens naturale agere indistans, quin aliquomodo agat in medium. Ratio est; quia vt agens naturale producat formam in passio, debet esse approximata illi virtus producentis, vel saltem dispositiones ab ipso agente productæ; aliàs in quatumque distantia, & quibuscumque corporibus interpositis, posset agere, & producere formam in passio, quod experientia con-

stat, esse falsum; atqui neque virtus, neque dispositiones possunt venire ab agente ad passum, quin transeant per medium: ergo &c.

Liquet magis conclusi. exemplis, quibus nos impugnare intendunt contrarij. Dicunt enim, quod Torpedo mortificat manum piscatoris distantem: & Basiliscus etiam hominem distantem interficit, si ab illo prius videatur, de quibus asserunt, nihil in medio producere. Sic arguo ex istis adversariorum fundamentis: si manus piscatoris non tangeret virgam piscatoriam, etiam si esset in eadem, & adhuc in minori distantia, & si Torpedo non tangeret filum virgæ apprehensæ, non mortificaret piscatoris manum: neque Basiliscus interficeret hominem, si mediaret inter utrumque aliquod corpus opacum; sed huius nequit esse alia causa, nisi quod agens naturale est ita limi-

tatum, quod non possit agere in distans, quin agat in medium, ut facile suaderi potest: ergo &c. An verò possit supernaturaliter? Non est nostri instituti resolvere: videbitur in Theolog. Omnes prædictæ conclusiones sunt consonæ Subtilis Doctoris menti lib. 7. Phys. quæst. 3. per totam. Hic solet inquiri utr. mundus potuit esse ab Æterno? Sed partem negativam defendimus in Theolog. tract. de Creatione, disp. 3. sect. 2. Quibus Tertium, Deo favente, perficimus Philosophiæ Tomum, iuxta nostræ Subtilissimæ Scholæ, nostrique Doctoris principia. Utinam cuncta dicta, & deinceps dicenda cedant in laudem D. O. M. necnon Beatissimæ Virginis Mariæ in candoribus gratiæ Conceptæ, totius Seraphici sodalitiij Protectricis, & huius elaborationis primarij, ac auspiciatissimi scopi.



419

INDEX

DISPVT. ET SECT QVÆ IN HOC TOMO

CONTINENTVR.

TRACTATVS SVPER OCTO LIBROS PHYSICORVM.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM:

DISPVTATIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS NATVRALIS IN COMMVNI.

Sect. 1. <i>An rectè ab Arist. describantur principia entis naturalis?</i>	Pag. 3
<i>Solvuntur argumenta contraria.</i>	
Sect. 2. <i>Quot sint principia entis naturalis?</i>	5.
<i>Argumenta contra prædictas conclusiones enervantur.</i>	7.
	9.

DISPVTATIO II.

DE MATERIA PRIMA.

Sect. 1. <i>An detur materia prima?</i>	14.
Sect. 2. <i>Quid sit materia prima?</i>	16.
Sect. 3. <i>Vtrum materia prima habeat propriam existentiam?</i>	18.
<i>Satisfit argumentis.</i>	
Sect. 4. <i>An, quomodo, & quas formas substantiales appetat materia i.</i>	33.
<i>Diluantur argumenta.</i>	
Sect. 5. <i>In quo stet formaliter appetitus materia ad formas: & utr. unico appetitu appetat, aut tot sint, quot forme dantur?</i>	39.
Sect. 6. <i>Vtrum materia prima equaliter appetat formas?</i>	41.
<i>Argumenta solvuntur.</i>	
Sect. 7. <i>Vtr. forma substantialis appetat etiã innatè materiã primam?</i>	49.
Sect. 8. <i>Vtr. materia prima recipiat substantiales formas mediã aliqua po-</i>	57.

<i>tentia, quæ sit accidens prædicamentale, vel utr. illas immediatè recipiat?</i>	50.
<i>Diluuntur argumenta contraria.</i>	52.
<i>Seç. 9. Utr. materia prima possit existere sine vlla substantiali forma?</i>	53.
<i>Respondetur argumentis contrariorum.</i>	59.
<i>Seç. 10. An sit vna specie, & numero omnium rerum materia?</i>	65.
<i>Respondetur argumentis contra prædictas conclusiones.</i>	70.

DISPVTATIO III.

DE FORMA SVBSTANTIALI.

<i>Seç. 1. An detur, & quid sit substantialis forma?</i>	74.
<i>Seç. 2. Quomodo formæ edugibiles præxistant in materia?</i>	76.
<i>Satisfit argumentis.</i>	80.
<i>Seç. 3. Utr. forma substantialis possit existere sine materia?</i>	81.
<i>Seç. 4. Utr. duæ formæ substantiales possint esse simul in eadem numero materia?</i>	82.
<i>Solvuntur argumenta contra prædictas conclusiones.</i>	88.
<i>Seç. 5. Utr. eadem forma possit esse diuinitus in duabus materijs?</i>	96.

DISPVTATIO IV.

DE PRIVATIONE.

<i>Seç. 1. Quid sit, & an detur à parte rei privatio?</i>	104.
<i>Seç. 2. Quomodo distinguatur privatio à subiecto?</i>	105.

DISPVTATIO V.

DE VNIONE PARTIVM.

<i>Seç. 1. Quid sit unio compositi physici naturalis?</i>	106.
<i>Argumenta diluuntur.</i>	111.
<i>Seç. 2. Quotuplex sit unio inter materiam, & formam?</i>	118.
<i>Solvuntur argumenta contraria.</i>	124.

DISPVTATIO VI.

DE TOTO PER SE SVBSTANTIALI.

<i>Seç. 1. Quotuplex sit? Et aliqua prænotantur de toto.</i>	132.
<i>Seç. 2. Utr. partes essentielles physica coexistant toti substantiali secundum suum proprium esse?</i>	134.
<i>Seç. 3. An totum per se substantiale distinguatur realiter à suis partibus physicis, simul sumptis, & unitis?</i>	139.
<i>Solvuntur argumenta contraria.</i>	152.

LIBER II. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE NATVRA, ET ARTE.

Seçt. 1. Quid sit natura?	169.
Seçt. 2. Vtr. tam principio activo, quàm passivo ratio natura cõueniat?	171.
Satisfit argumentis.	174.
Seçt. 3. De motu naturali, violento, & neutro.	178.
Solvuntur argumenta contra aliquas ex prædictis conclusionibus.	180.
Seçt. 4. Quomodo inter se distinguantur ars, & natura?	181.

DISPVATIO II.

DE CAVSIS IN COMMUNI.

Seçt. 1. Quid sit causa?	184.
Seçt. 2. Quotuplex sit causa?	186.
Seçt. 3. Per quid constituatur causa in actu primo?	188.
Diluuntur argumenta.	190.
Seçt. 4. Vtr. causa in actu primo dicat necessariam cõexionem cum effectu possibili.	191.
Seçt. 5. An causa necessariò requirant existentiam ad causandum?	194.
Solvuntur argumenta contraria.	196.
Seçt. 6. Vtr. causa debeant esse priores suis effectibus?	198.
Expenduntur argumenta contra aliquas ex præfatis conclusionibus.	202.
Seçt. 7. Vtr. causa sit perfectior suo effectu?	206.
Solvuntur argumenta contra dictas conclusiones.	210.
Seçt. 8. Vtr. idem numero effectus possit divisim provenire à duplici causa totali eiusdem ordinis, & speciei?	213.
Satisfit argumentis.	216.
Seçt. 9. An idem numero effectus possit simul provenire à duabus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis, & à qualibet totaliter?	219.
Respondetur argumentis.	221.
Seçt. 10. Vtr. idem possit se ipsum producere?	226.
Seçt. 11. An causa possint se mutuò causare?	227.

DISPVATIO III.

DE CAVSIS MATERIALI, ET FORMALI.

Seçt. 1. Quid sit utraque causa?	229.
Seçt. 2. Quid sit utriusque causa causalitas?	230.
Ggg 2	Satisf-

Satisfit argumentis.

233

DISPVTATIO IV.

DE CAUSA EFFICIENTE.

- Sect. 1. Quid sit causa efficiens? 236.
- Sect. 2. Quotuplex sit causa efficiens? 238.
- Sect. 3. An substantia creata sit immediatè productiva alicuius effectus? 240.
- Solvuntur argumenta contra præfatas conclusiones. 245.
- Sect. 4. Quid sit, & in quo subiectionetur actio causa efficientis? 248.
- Solvuntur argumenta. 252.
- Sect. 5. An causa prima concurrat immediatè cum causis secundis ad effectus earum producendos? 258.
- Respondetur argumentis. 260.
- Sect. 6. Vtr. Deus concurrat ad effectus causarum secundarum immediate Virtutis, & suppositi? 262.
- Sect. 7. An, vt causa secunda operentur requiratur prædeterminatio physica? 263.
- Sect. 8. A qua causa proveniat determinatio effectus quo ad speciem, & individuum? 266.
- Sect. 9. An quævis causa secunda possit assumi à Deo ad quemlibet effectum producendum? 268.
- Solvuntur argumenta. 270.
- Sect. 10. Quotuplex sit causa instrumentalis, & an propria virtute ad effectum cause principalis concurrat? 272.
- Sect. 11. Quid, & quotuplex sit exemplar, & ad quod genus cause pertineat? 274.

DISPVTATIO V.

DE CAUSA FINALI.

- Sect. 1. Quid, & quotuplex sit finis? 276.
- Sect. 2. Aliquæ conclusiones circa prædictam divisionem propugnatur. 277.
- Diluuntur argumenta contra præfatas conclusiones. 278.
- Sect. 3. Quenam sit causalitas finis? 280.
- Sect. 4. Quisnam sit effectus finis? 282.
- Solvuntur argumenta contra primam, & tertiam conclusionem. 284.
- Sect. 5. Quæ agentia operentur propter finem? 285.

DISPVTATIO VI.

DE CAUSIS PER ACCIDENS.

- Sect. 1. Quid sint fortuna, & casus? 287.

Sect. 2.

Sect. 2. Quid sint fatum, & monstrum?

LIBER III. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE MOTV.

Sect. 1. Quid sit motus?

290.

Sect. 2. In ordine ad quam potentiam dicatur motus?

292.

DISPVATIO II.

DE INFINITO.

Sect. 1. Quid sit infinitum?

294.

Sect. 2. Quotuplex sit infinitum?

296.

Sect. 3. An supernaturaliter possit dari infinitum in actu?

299.

Solvuntur argumenta contra dicta in presenti sectione.

309.

Sect. 4. Quid sit infinitum in potentia declaratur.

316.

LIBER IV. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE LOCO.

Sect. 1. Quid sit locus?

320.

Sect. 2. Quibus rebus conveniat esse in loco?

325.

Respondetur argumentis.

326.

Sect. 3. An duo corpora quanta possint esse simul in eodem loco?

328.

Sect. 4. An idem corpus quantum possit esse simul in pluribus locis?

329.

Solvuntur argumenta contra predictas conclusiones.

334.

DISPVATIO II.

DE VACVO.

Sect. 1. Quid, & quotuplex sit vacuum?

345.

Sect. 2. An detur, vel possit dari vacuum in rerum natura?

347.

Argumenta contra predictas conclusiones solvuntur.

348.

Sect. 3. An, si vacuum daretur, possent corpora in illo moveri?

350.

Satisfit argumentis.

352.

Sect. 4. Vtr. motus in vacuo esset instantaneus, vel successivus?

353.

Respondetur argumentis.

354.

DIS-

DISPVATIO III.

DE TEMPORE.

Sect. vnic. *Quid sit tempus?*

357.

LIBER V. PHYSICORVM.

DISPVATIO VNICA.

DE SPECIEBVS MOTVS.

Sect. 1. *Species motus assignantur.*

362.

Sect. 2. *Expenditur divisio motus in instantaneum, & successivum.*

363.

Sect. 3. *Quæ motus divisio sit essentialis, & quæ accidentalis?*

365.

Sect. 4. *Ad quæ prædicamenta detur motus?*

368.

Sect. 5. *Quæ sint condiciones motus propriè sumpti?*

370.

Sect. 6. *A quo specificentur motus?*

371.

LIBER VI. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE CONTINVO.

Sect. 1. *Quid, & quotuplex sit continuum?*

373.

Sect. 2. *Utr. continuum componatur ex partibus indivisibilibus, vel ex
divisibilibus in infinitum?*

377.

Solvuntur argumenta contraria.

396.

DISPVATIO II.

DE INCEPTIONE, ET DESITIONE RERVM.

Sect. 1. *Quomodo res incipiant, & desinant esse?*

403.

Sect. 2. *Utr. res habeant terminos magnitudinis, & parvitatís?*

405.

LIBER VII. ET VIII. PHYSICORVM.

DISPVATIO VNICA.

DE PRINCIPIIS MOTIVVM.

Sect. 1. *A quo moveantur corpora naturalia?*

407.

Sect. 2. *Duo examinantur dubia circa corpora gravia, & levia.*

408.

Sect. 3. *A quo moveantur projecta?*

409.

Sect. 4. *A quo moveantur resiliencia?*

411.

Respondetur Argumentis.

412.

Sect. 5. *An detur quies in puncto reflexionis?*

415.

Sect. 6. *Utr. agens naturale possit agere in distans?*

416.

INDEX

INDEX

CONCLUSIONVM,
ET DEFINITIONVM.

Primus numerus paginam. secundus columnam designat.

TRACTATVS SVPER OCTO LIBROS
PHYSICORVM.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS NATVRALIS IN COMMVNI.

Ita definit philof. & cunſi cum eo, principia entis naturalis: *Quæ neque ex ſe, neque ex alijs, ſed omnia ex iſiſ ſiunt.* Pag. 4. 2.

Principia entis naturalis in ſalto eſſe ſunt duo, nec plura, nec pauciora, ſcilicet materia, & forma. 7. 1.

Principia entis naturalis in fieri, ſive tranſmutationis naturalis ſunt duo poſitiva ſolummodo, & vnum negatiuum, & ſic tam negatiua, quam poſitiua numerata, ſolũ ſunt tria, & non plura, nec pauciora, nempe materia, forma, & iſius privatio. 9. 1.

DISPVATIO II.

DE MATERIA PRIMÆ.

Datur materia prima. 14. 2.

Hanc deſcriptionem materiæ primæ tradit Scotus ex Philoſ. *Primũ ſubiectum, ex quo fit aliquid, cum inſit, non ſecundũ accidens, & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibi vltimum.* 16. 1.

Conſtitutiuum formale materiæ primæ non eſt aptitudo, vt ex illa educantur formæ ſubſtantiales, ſed aptitudo ad componenda diuerſa compoſita ſubſtantialia. 18. 1.

Materia prima non exiſtit exiſtentia formæ, ſed propriam habet exiſtentiam, qua exiſtit. 20. 2.

Mate-

- Materia prima appetit innatè omnem substantialè formam præsentem, & absentem, perfectiorem, & minus perfectam, imò & corruptam, non solum sub ratione formæ in communi, verum etiam sub ratione speciali talis formæ; quas non appetit determinatè omnes simul habendas, sed vagè unam, vel aliam.* 34. 1.
- Appetitus innatus naturalis, qui quidam impetus, & inclinatio natura appellatur à Scoto, est quidam transcendentalis respectus materiæ primæ, identificatus realiter cum illa, & ab ea formaliter ex natura rei distinctus, ad formamque terminatus.* 39. 1.
- Tot sunt appetitus innati in materia ad formas inter se, & cum materia identificari realiter, & ab invicem, & à materia ex natura rei distincti, quot sunt formæ.* 40. 1.
- Potentia materiæ primæ ad recipiendas formas non est neutra, nec violenta, sed naturalis.* 41. 1.
- Potentia materiæ est ad omnes formas recipiendas, non solum sub gradu communi formæ, sed etiã sub gradibus specialibus earum, & etiam ad formas præsentem, absentes, & corruptas.* 41. 2.
- Materia prima plus appetit formas magis perfectas, quam minus perfectas.* Ibid.
- Forma substantialis appetit innatè materiam primam.* 49. 2.
- Materia prima non recipit substantiales formas, media aliqua potentia ipsi superaddita, sed immediatè in se ipsa recipit illas.* 51. 1.
- Materia prima potest supernaturaliter existere sine ulla substantiali forma.* 54. 1.
- Materia prima omnium corporum cælestium, & sublunarium sunt eiusdem speciei aethera.* 67. 1.
- Repugnat materia prima alterius speciei ab ista, qua de facto datur.* 69. 2.
- Materia prima cuiuslibet compositi substantialis est una numericè unitate numerali integrali, sive divisibili, & distincta a numero à materijs aliorum.* 70. 1.

DISPUTATIO III.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

- Datur substantialis forma.* 74. 1.
- Sic describit Phil. formam substantialem: forma est quod quid erat esse rei.* 75. 1.
- Sic Ego illam expendo: substantia incompleta formaliter determinans materiam ad constituendum potius in hac specie, quam in alia, compositum substantiale.* 75. 2.

INDEX CONCLUS. ET DEFINIT.

427

- Forma educibiles non sunt in materia actualiter, neque secundum se totas, neque secundum partem.* 77. 1.
- Forma educibiles continentur virtualiter in materia.* 80. 2.
- Supernaturaliter potest forma substantialis materialis produci, & conservari separata à materia.* 81. 2.
- Non repugnat naturaliter, quod duae formae substantiales non subordinatae ex ratione praecisa ipsarum formarum sint, & informant eandem numero materiam.* 83. 1.
- Non repugnat supernaturaliter, duas formas substantiales esse simul in eadem materia, non solum quatenus est ex ratione formarum, ut in prima conclusione, sed etiam absolute quatenus est ex ratione cuiuscumque extrinsecè impediens.* 85. 1.
- Aliqua forma dantur, quae naturaliter possunt existere simul, & informare eandem numero materiam.* 86. 1.
- Eadem numero substantialis forma nequit, adhuc divinitus, simul plures numero materias informare.* 97. 1.

DISPUTATIO IV.

DE PRIVATIONE.

- Privatio datur à parte rei: & est carentia formae in subiecto, cui debetur.* 104. 1.
- Privatio distinguitur à subiecto realiter negativè.* 105. 1.

DISPUTATIO V.

DE UNIONE PARTIUM.

- Unio non est ipsamet partes, quae uniuntur, sed aliquid realiter distinctum ab illis.* 106. 2.
- Unio physica, quae partes essentialis totius uniuntur, est relatio praedicamentalis extrinsecus adveniens.* 109. 2.
- Duplex datur unio inter materiam, & formam, una fundata in materia, & terminata ad formam, & alia fundata in forma, & terminata ad materiam.* 118. 1.

DISPUTATIO VI.

DE TOTO PER SE SUBSTANTIALE

- Materia, & forma unita manent secundum suum esse.* 135. 1.
- Totum per se substantiale distinguitur realiter à suis partibus physicis simul sumptis, & unitis.* 139. 2.

LIBER II. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE NATVRA, ET ARTE.

- sic definit naturam Arist. & cum eo Scotus: principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est, primò, & per se, & non per accidens.* 169.1.
- Principium activum, vt tale, non est natura, prout definitur hic ab Arist. sed solum principium passivum.* 171.2.
- Materia prima est natura.* 176.2.
- Forma substantialis est natura.* 177.2.
- Compositum non est natura.* Ibid.
- Materia prima, & forma, vt separatæ, si sic existerent, non essent natura.* 178.1.
- Angelus non est natura.* Ibid.
- Ad motum naturalem non requiritur, quod proveniat activè ab ipsa re, cui est naturalis.* 178.2.
- Datur motus violentus positivus contra principium passivum.* 179.1.
- Contra principium activum, vt activum, non datur motus violentus positivè.* Ibid.
- Contra principium activum datur motus violentus negativè.* 179.2.
- Contra primum principium passivum nudè, sive secundum se sumptum, scilicèt contra materiam primam, non datur motus violentus positivè, sed potest dari negativè de potentia Dei absoluta.* Ibid.
- Ars, & natura discriminantur in hoc, quod ars supponit deliberationem, vt sic, vel sic fiant, quæ fiunt ab arte; minime autem natura.* 181.2.
- Discriminantur etiam in hoc, quod ars nullam potest facere formam substantialem; benè verò natura.* 182.1.
- Discriminantur etiam in hoc, quod ars nullam potest facere qualitatem consequentem formam substantialem; benè verò natura.* Ibid.
- Aliud discrimen est, quod nullus motus corporeus alius à motu locali potest fieri ab arte; sed à natura.* 182.2.
- Etiàm distinguuntur in eo, quod agentia naturalia habent in se principium passivum inclinatum naturaliter ad formam productam; & artificialia non.* Ibid.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

- Sic describit Arist. causam: causa est, ad cuius esse sequitur aliud.* 184.1.
- Istam aliam descriptionem tradit Scotus: causa est, propter quod alterum est, scilicet secundum esse, vel secundum fieri, aut conservari, aut secundum aliquam aliam dispositionem.* Ibid.
- Hec est exacta causa descriptio: causa est principium per se influens esse in aliud.* 184.2.
- Divisio causa in materialem, formalem, efficientem, & finalem non est univoca, sed est adequata.* 186.1.
- Prædicta causa divisio non est immediata.* 186.2.
- Causa in actu primo non constituitur per possibilitatem effectus, neque causalitatis, sive per effectum, aut causalitatem possibilem, sed per ipsius virtutem productivam secum realiter identificate atam, connotantem carentiam existentia effectus possibilis.* 188.2.
- Causa in actu secundo, posito effectu iam in facto esse, constituitur formaliter per causalitatem actualem.* 191.2.
- Causa creata in actu primo dicit necessariam, & infallibilem connectionem cum suis effectibus possibilibus.* 192.1.
- Ita est necessaria existentia causa in primo instanti temporis, in quo existit effectus, ut neque naturaliter, neque supernaturaliter possit causare effectum, ut non existens in tali instanti.* 194.1.
- Causæ in intrinsecâ totius, nempe materia, & forma specificativè sumptæ, & ad invicem comparatæ, ex se neutra est prior natura, alia.* 199.1.
- Causæ materialis, & formalis eductæ ex materiali specificativè sumptæ possunt esse simul tempore, nõ verò simul natura, sed causa materialis debet esse prior natura, formali.* 199.2.
- Causa formalis specificativè sumpta non est prior natura, causa materiali, quàm informat, etiam specificativè accepta.* 200.1.
- Causæ materialis, & formalis sumptæ specificativè, ut inter se unitæ præcisè, necessariò sunt simul tempore cum toto, & natura priores.* 200.2.
- Non requiritur, quod causa efficiens sit prior tempore, seu duratione, suo effectu.* Ibid.
- Causa efficiens specificativè sumpta essentialiter est prior natura suo effectu.* 201.2.
- Qualibet causa, respectu cuiuslibet effectus, sumpta causa reduplicati-*

- causæ, ut causa, & sumpto effectu reduplicativè, ut effectu, est simul natura cum suo effectu.* 202.1.
- Causa materialis respectu effectus ab ipsa educibilis, sive educti, potest esse magis, & potest esse minus perfecta suo effectu: ac per consequens huiusmodi causalitas, sive continentia virtualis effectus in causa, non arguit minorem perfectionem in effectu, neque maiorem in causa.* 207.2.
- Causa partialis intrinseca, scilicet materialis, est minus perfecta, causato, nempe toto per se substantiali.* Ibid.
- Causa partialis intrinseca, nempe formalis, est perfectior suo causato, scilicet toto per se substantiali.* Ibid.
- Causa adequata intrinseca perfectior est suo causato.* 209.2.
- Causa efficiens univoca est æqualis perfectionis cum suo effectu.* Ibid.
- Causa æquivoca totalis, & adequata semper est maioris perfectionis, ac effectus.* Ibid.
- Causa æquivoca partialis multoties est perfectior suo effectu, & multoties minus perfecta.* 210.1.
- Nullus datur effectus in individuo, qui ex suis intrinsecis prædicationibus postulet hanc numero causam, ita quod non potuerit provenire ab alia causa habente virtutem ad effectus eiusdem speciei cum illo.* 213.2.
- Nequit, adhuc supernaturaliter, idem numero effectus provenire à duplici causa totali, ut totali, simul eiusdem generis, & ordinis.* 219.2.
- Nequit idem, adhuc divinitus, se ipsum producere.* 226.1.
- Causa finalis, & efficiens possunt se mutuo causare qualibet in suo genere.* 227.1.
- Si hoc, quod est, materiam recipere formam sit, materiam esse causam formæ, illemque aliquomodo causare: & similiter si hoc, quod est, formam informare materiam, sit, formam esse causam materiæ, illemque aliquomodo causare, certum est, quod possunt in hoc sensu se mutuo causare, imò repugnat in hoc sensu, materiam causare formam, & formam non causare materiam.* 227.2.
- Totum, cuius causæ intrinseca sunt materia, & forma, non potest illas aliquomodo causare.* 227.2.
- Causa, & effectus nequeunt, adhuc divinitus, ad invicem simul se mutuo causare, vel producere.* 228.1.

DISPVATIO III.

DE CAUSIS MATERIALI, ET FORMALI.

Describitur causa intrinseca, vt sic: principium influens esse in aliud, in quo inexistit. 229.2.

Describitur causa materialis: principium influens in aliud intrinsecè, vt per se potentia. 230.1.

Describitur causa formalis: principium influens in aliud, vt per se actus. *Ibi d.*

Causalitas materiae, vt est causa formae, est vnio fundata in ipsa materia, & terminata ad formam, per quam materia vnitur intrinsecè formae, istamque recipit: & causalitas formae, vt est causa materiae, sive vt materia tribuit suum effectum formalem, est vnio fundata in ipsa forma, & terminata ad materiam, per quam forma vnitur intrinsecè materiae, istamque informat. 230.2.

Causalitas materiae, vt est causa totius, est relatio dependentiae activae, & coexistentiae, quam, vt pars materialis, fundat materia, terminata ad totum: & forma etiam est relatio dependentiae activae, & coexistentiae etiam terminata ad totum, quam, vt pars formalis, fundat forma. 231.2.

DISPVATIO IV.

DE CAUSA EFFICIENTE.

Sic causa extrinseca definitur: principium influens in aliud, extra quod potest existere. 236.1.

Sic describit Philof. causam efficientem; vndè est primum principium motus, aut quietis. *Ibid.*

Et sic Scotus: causa efficiens est illud, propter quod alterum est, tanquam ab illo. *Ibid.*

Sic Ego causam efficientem definitio: causa extrinseca verè, & realiter dans esse alteri. 237.2.

Causa efficiens primò dividitur in primam, & secundam. 238.1.

Causa prima efficiens est illa, à qua omnis alia causa efficiens dependet in essendo, & operando, & ipsa à nulla alia. *Ibid.*

Causa secunda efficiens est illa, quae in essendo, & operando dependet à prima. *Ibid.*

Secundo dividitur causa efficiens in moralem, & physicam, sive realem. *Ibid.*

Causa physica realis est, quae verè, & realiter dat esse effectui. *Ibid.*

Causa moralis est illa, quae physicè, & realiter non influit, nisi moraliter, p. g. suadendo, praeicipiendo, &c.

- Tercio dividitur causa efficiens in causam per se, & per accidens. Ibid.
- Causa physica per se est illa, cui per se, in quantum talis, correspondet effectus. Ibid.
- Causa per accidens est illa, cui, in quantum talis, non correspondet effectus, nisi sub alia ratione. Ibid.
- Quarto dividitur causa efficiens in proximam, & remotam. Ibid.
- Causa proxima est, quæ immediatè attingit, seu producit effectum. Ibid.
- Causa remota est, quæ non immediatè, sed mediatè producit effectum. 139.1. Ibid.
- Causa immediata dividitur in principalem, & instrumentalem. Ibid.
- Causa principalis est, quæ in se habet virtutem ad effectum. Ibid.
- Causa instrumentalis est, quæ in se non habet virtutem ad effectum, sed est instrumentum, medio quo agens operatur. Ibid.
- Quinto dividitur causa efficiens in univocam, & equivocam. Ibid.
- Causa univoca est, quæ producit effectum eiusdem speciei cum ipsa. Ibid.
- Causa equivoca est, quæ producit effectum distinctæ speciei ab ipsa. Ibid.
- Sexto dividitur causa in totalem, & partialem. Ibid.
- Causa totalis est, quæ se sola producit totum effectum. Ibid.
- Causa partialis est, quæ partialiter concurrat ad effectum. Ibid.
- Causa totalis dividitur in totalem ex omni genere, & in totalem in aliquo genere. 239.2. Ibid.
- Causa totalis ex omni genere est, quæ se sola, & independenter ab omni alia eiusdem, & alterius generis valet producere effectum. Ibid.
- Causa totalis in determinato genere est illa, quæ, licet in illo genere, in quo est causa, non indigeat alterius adiuvamine, tamen nequit causare, nisi coadiuvetur à concausis alterius generis. Ibid.
- Septimo dividitur causa efficiens in productivam, & conservativam. Ibid.
- Causa productiva est, quæ dat esse effectui, qui immediatè ante non habebat tale esse. Ibid.
- Causa conservativa est, quæ esse præhabitum conservat, sive dat. Ibid.
- Octavo dividitur causa in liberam, & naturalem. Ibid.
- Causa libera est, quæ, positis omnibus requisitis, potest pro suo libito operari, vel non operari. Ibid.
- Causa naturalis est, quæ, omnibus requisitis positis, non potest non operari. 204.1. Ibid.
- Datur substantia creata immediatè productiva alterius substantiæ. Ibid.
- Accidens non est causa adæquatè productiva substantiæ. 241.2.
- Neque partialiter concurrat accidens immediatè ad producendum substantiam. 243.1.
- Accidens potest producere aliud accidens. 243.2.
- Substantia est immediatè productiva accidentis in se recepti. Ibid.
- Sub-

INDEX CONCLUS. ET DEFINIT.

433

- Substantia est ex se productiva immediate accidentis in extraneo subiecto.*
- Accidentia producta in extraneo subiecto, dum subiectum producens habet similia accidentia, & tam substantia subiecti, quam illius accidentia, sunt ex se productiva dictorum accidentium, ista, non ab accidentibus, sed ab ipsa subiecti substantia producuntur.*
- Nulla actio, seu influxus datur medians inter absolutum causam, & absolutum effectum, procedens natura entitatem absolutam effectus, neque aliquid aliud, neque absolutum, neque respectivum, per quod absolutum causa producat entitatem absolutam effectus; sed absolutum effectus sequitur, & originatur immediate ab absoluto causa.*
- Deus concurrit immediate ad effectus causarum secundarum.*
- Deus concurrit ad effectus causarum secundarum immediatione virtutis, & suppositi.*
- In nulla causa secunda requiritur physica preterminatio ad operandum.*
- Quod effectus productus a causa prima, & secunda sit istius speciei, & non alterius, provenit a causa secunda, & non a prima.*
- Quod effectus productus a causa prima, & secunda sit hic numero, & non alius, provenit a causa prima, & non a secunda.*
- Non datur potentia obediencialis in qualibet creatura ad quemlibet effectum producendum.*
- Instrumentum artificiale, sive causa instrumentalis, de qua loquimur, non attingit effectivè effectum causa principalis.*
- Sic describitur causa instrumentalis: quæ non attingit effectivè effectum, sed tantum inservit, seu famulatur causa principali pro fine, & effectu assequendo.*
- Causa instrumentalis ad nullum genus causa reducitur propriè; impropriè, & analogicè ad causam efficientem.*
- Sic causam exemplarem describo: est res in esse diminuto, & cognito in mente artificis, secundum quam aliquid est formabile ad extra ex intentione agentis determinantis sibi finem.*
- Causa exemplaris reducitur ad genus causa efficientis.*

244.2.

245.1.

249.2.

259.1.

262.2.

263.2.

266.2.

267.1.

269.1.

273.1.

273.2.

Ibid.

274.1.

275.1.

DISPUTATIO V.

DE CAUSA FINALI.

- Sic expenditur ex Arist. finis: id cuius gratia aliquid fit.*
- Finis dividitur primo in finem cuius, & in finem cui.*
- Finis cuius est id, propter cuius consecutionem aliquis operatur.*
- Finis cui est illa persona, cui aliquod bonum desideratur.*

276.1.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Secum.

- Secundo dividitur finis in obiectivum, & formalem, vel aliter, in finem quo, & finem qui. Ibid.
- Finis obiectivus, sive qui dicitur illud bonum, quod consequi desideratur. 276.2.
- Finis quo, sive formalis dicitur illa operatio, qua finis obiectivus consequitur. Ibid.
- Tercio dividitur finis in finem operis, & in finem operantis. Ibid.
- Finis operis appellatur illud, ad quod ordinatur operatio ex natura sua. Ibid.
- Finis operantis dicitur illud, quod agens pro libito suo determinat. Ibid.
- Quarto dividitur finis in ultimum, & non ultimum, sive intermedium, aut (quod idem est) in proximum, & remotum. Ibid.
- Finis proximus, sive non ultimus, aut immediatus est ille, qui, licet propter se appetatur, adhuc ordinatur ad alium. Ibid.
- Finis remotus, sive ultimus est ille, qui taliter propter se appetitur, ut non ordinetur ad alium. 277.1.
- Divisio finis in finem cuius, & in finem cui non est propria. 277.2.
- Non est propria divisio finis in finem quo, & in finem qui, sive in obiectivum, & formalem. Ibid.
- Finis proximus, sive intermedius habet veram rationem finis. 278.1.
- Finis habet rationem causa. 280.2.
- Cognitio non est ratio formalis finis in actu primo proximo, sed bonitas ipsius in esse cognito, num sit apparens, num vera sit in entitate ipsius finis. Ibid.
- Causalitas finis est respectus dependentiæ activæ terminatus ad ipsius effectum. 281.2.
- Influxus, seu causalitas finis, non est relatio realis, sed rationis. 282.1.
- Actus voluntatis, qui immediate versantur circa finem non obtentum non sunt effectus causa finalis. 282.2.
- Actus voluntatis, qui versantur circa media, nempe electio, imperium, & usus, & actus aliarum potentiarum, qui imperantur à voluntate ad exequenda media, sunt proprie effectus finis, ut causa finalis, & similiter actus intellectus, qui ad supra dictos requiruntur, ut sunt inquisitio mediolorum, consultatio, & iudicium de illis. 283.2.
- Actus voluntatis circa finem iam obtentum, ut sunt fructio, & delectatio (num ista sit actus, num verò passio, à qua difficultate modò præscindimus) non sunt proprie effectus finis, ut causa finalis. Ibid.
- Operari propter finem, tripliciter potest esse. 285.2.
- Primo modo potest operari propter finem perfectè per discursum, & libertatem in operando, & applicando media. 286.1.

INDEX CONCLUS. ET DEFINIT.

435

- Secundo modo imperfectè sine discursu per solam materiam apprehensionem, & sine libertate in medijs applicandis, sed solo natura instinctu necessariò, & naturaliter ductis.* Ibid.
- Tertio modo potest agens agere propter finem, ita ut ipsum agens nõ cognoscat finem, sed ita ut finem cognoscat auctor natura, & ipse ordinat operationes agentis ad suum finem.* Ibid.
- Deus operatur ad extra propter finem primo modo.* Ibid.
- Angelus, & homo operantur propter finem primo modo.* 286.2.
- Bruta operantur propter finem, non primo, nisi secundo modo.* Ibid.
- Inanimata operantur propter finem, non primo, nec secundo, sed tertio modo.* 287.1.

DISPUTATIO VI.

DE CAUSIS PER ACCIDENS.

- Causa per accidens, prout ad presens attinet, sunt fortuna, casus, fatum, & monstrum.* Ibid.
- Sic definitur fortuna: est causa per accidens alicuius præter intentionem agentis.* 287.2.
- Sic declaratur casus: est causa per accidens eorum, quæ eveniunt præter intentionem agentis non operantis propter finem.* 288.1.
- Sic fatum definitur à Boetio: fatum est rebus mobilibus immobilis inherens dispositio, iuxta quam divina Providentia suis quæque necit ordinibus.* 288.2.
- Sic communiter exponitur monstrum: est effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundum speciem notabiliter degenerans ob aliquod impedimentum.* Ibid.
- Monstrum frequenter non intenditur primariò à natura, sed secundariò.* 289.2.

LIBER III. PHYSICORVM.

DISPUTATIO I.

DE MOTV.

- Ita definit Arist. motum: actus entis in potentia secundum quod in potentia.* 291.1.
- Motus propriè dicitur in ordine ad potentiam passivam, seu subiectivam.* 292.2.
- Predicta definitio convenit motui instantaneo.* 293.2.

DISPVATIO II.

DE INFINITO.

- Sic expendunt infinitum Philosophi antiqui: cuius nihil est extra.* 294.2.
Arist. sic: infinitum est, cuius semper est aliquid extra. 295.1.
Iuxta quam definitur communiter ita: infinitum est, cuius partibus quibuscumque acceptis, semper restant alia, & alia vsque in infinitum accipiendae. Ibid.
Infinitum dividitur in infinitum per essentiam, & infinitum per participationem. 296.2.
Infinitum per essentiam est illud, cuius perfectio est talis, vt nulla possit excogitari maior, nec dari equalis. Ibid.
Infinitum per participationem dicitur infinitum secundum quid, & dependens. Ibid.
Infinitum secundum quid subdividitur in categorematicum, sive in actu, & in syncategorematicum, sive in potentia. 297.1.
Infinitum categorematicum, sive in actu dicitur illud, cuius partes secundum quas est infinitum, actu existunt. Ibid.
Infinitum syncategorematicum, sive in potentia ita explicatur frequenter, quod constat partibus actu existentibus, secundum quas est finitum, & partibus in potentia, secundum quas non habet finem. Ibid.
Nec datur, nec potest dari naturaliter in actu infinitum secundum quid. 297.2.
Nullum datur infinitum in potentia, hoc est, possibile, neque quod constet partibus possibilibus infinitis, consequenterque repugnat, adhuc supernaturaliter, infinitum in actu. 299.1.
Datur multitudo finita finitarum maxima, qua per vnus unitatis tantam additionem fieret infinita, casu quo multitudo infinita possibilis foret. 303.2.
Repugnat adhuc supernaturaliter, infinitum in actu. 307.2.
Infinitum in potentia, vt sumitur ab Arist. & Scoto, non est infinitum possibile, sed est infinitum improprie, & in esse cognito solum. 316.2.

LIBER IV. PHYSICORVM.

DISPVATIO I.

DE LOCO.

- Sic definit Arist. locum: est terminus continentis immobilis primo.* 320.2.
Sic definitur ab omnibus: est vltima superficies corporis continen-
 tis

INDEX CONCLVS. ET DEFINIT.

tis immobilis primò.	437
Corpora omnia, excepto ultimo Cælo, sunt in loco.	321.1.
Repugnat naturaliter, duo corpora quanta esse simul com- penetrata in eodem loco.	325.2.
De potentia absoluta Dei possunt duo corpora quanta penetrari, & esse in eodem loco.	328.1.
Nulla res corporea, & quanta potest naturaliter esse simul in duo- bus locis adequatis.	328.2.
Supernaturaliter potest idem corpus esse in pluribus locis adequa- tis incircumscriptivè, seu definitivè.	330.1.
Potest supernaturaliter idem corpus simul esse circumscriptivè in pluribus locis.	Ibid.

DISPUTATIO II.

DE VACUO.

Sic definit vacuum Arist. est locus non repletus corpore, aptus ta- men repleti.	345.2.
Repugnat vacuum naturaliter.	347.1.
Non repugnat supernaturaliter, dari vacuum in rerum natura.	348.1.
Corpora gravia, & levia in vacuo derelicta moverentur ex se, vs- que dum quodlibet perveniret ad suum centrum, vel ad aliud corpus impediens.	350.2.
Si animal poneretur super terram, casu quo esset vacuum spatium medians inter Cælum, & ipsam terram, posset movere se motu progressivo.	351.1.
Si in vacuo indeterminato poneretur aliquod corpus grave, vel le- ve extra mundum, moveretur sua natura vi ad proprium cen- trum, vsque dum perveniret ad aliquod corpus impediens.	351.2.
Si vacuum indeterminatum tale esset, quod nullum daretur centrū, nec levium, nec gravium, scilicet ut erat ante mundi creationē, & sicuti foret, si totus mundus annihilaretur, corpus in illo po- situm non se moveret.	352.1.
Motus in vacuo non esset instantaneus, sed successivus.	353.2.

DISPUTATIO III.

DE TEMPORE.

Verè datur tempus.	357.1.
Sic definit tempus Philos. numerus motus, secundum prius, & poste- rius.	357.2.
Tempus non distinguitur à motu.	358.1.

Non quilibet motus successivus est tempus, sed solum motus Cæli,
& præcipue Solis.

358.24

Potest dari quies in omnibus mobilibus, vel potest Deus annihilare omnia mobilia, in quo casu non esset tempus reale, nisi imaginarium, quod sanè erat ante rerum creationem, quod tēpus imaginarium est quadam non repugnantia temporis realis, quam ad modum durationis successivæ concipimus.

359.14

LIBER V. PHYSICORVM.

DISPVATIO VNICA.

DE SPECIEBVS MOTVS.

Primò dividitur motus in instantaneum, & successivum.

362.1.

Motus instantaneus est, qui in instanti absolvitur.

Ibid.

Motus successivus est, qui in pluribus instantibus fit.

Ibid.

Secundò dividitur motus in motum de termino à quo positivo ad terminum ad quem positivum, & in motum de termino à quo positivo ad terminum ad quem negativum, & in motum de termino à quo negativo ad terminum ad quem positivum.

Ibid.

Tertiò dividitur motus, in illum qui terminatur ad ens simpliciter, sive formam substantialem, & illum, qui terminatur ad ens secundum quid, sive formam accidentalem.

362.2.

Quarta divisio motus est in naturalem, violentum, & neutrum.

Ibid.

Successio non stat formaliter in quantitate, neque in negatione simultatis partium, nisi in relatione rationis, seu ordine partium secundum prius, & posterius.

364.1.

Divisio motus in instantaneum per se, ita ut repugnet illi esse successivum, & in successivum, quomodolibet fit successivum, scilicet nūm per se, nūm verò per accidens, est essentialis.

365.2.

Divisio motus in successivum per se, & in instantaneum, nūm sit per se instantaneum, nūm verò per accidens, etiam est essentialis.

366.2.

Divisio motus in motum à subiecto in subiectum, & in motum à subiecto in non subiectum, non solum non est essentialis, verum nec est propria divisio, ac per consequens nec est divisio propria accidentalis.

Ibid.

Divisio motus in motum de subiecto in subiectum, & in motum de non subiecto in subiectum, etiam est impropria.

367.1.

Divisio motus in motum de non subiecto in subiectum, & in motum de subiecto in non subiectum est essentialis.

Ibid.

Divi

INDEX CONCLUS. ET DEFINIT.

439

- Divisio motus in substantialem, & accidentalem est essentialis. Ibid.
- Divisio motus in naturalem, violentum, & neutrum est accidentalis. 367.2.
- Sumpto motu pro omni mutatione, sive instantanea, sive successiva, modo sit in subiecto in actu substantiali, quale est totum physicum completum, modo sit in subiecto in potentia, qualis est materia prima, datur motus per se ad substantiam. 368.1.
- Si ad motum per se non requiratur, quod forma, ad quam transit subiectum (idem dicimus de deperditivo, proportionem servata) intendatur per se ab agente, nisi requiratur solum, quod subiectum aliter se habeat, ad omnia predicamenta erit motus, & sic ad relationem intrinsecus advenientem. 368.2.
- Si ad motum requiratur, quod agens intendat formam, per quam subiectum aliter se habet, ad relationem intrinsecus advenientem non datur motus. Ibid.
- Ad relationes extrinsecus advenientes iam potest esse motus in dicta acceptione. Ibid.
- Si sumatur motus pro omni mutatione successiva, sive sit in subiecto in actu, nempe composito physico sive in potentia, scilicet materia prima, unde quaque proveniat successio, modo per se, modo per accidens, num ex parte subiecti, num ex parte virtutis agentis limitati, datur motus ad omnia predicamenta. 369.1.
- Sumpto motu propriissime pro mutatione successiva facta in subiecto in actu, de termino a quo positivo ad terminum ad quem positivum, non datur motus ad substantiam, nisi ad quantitatem, qualitatem, & ubi. 369.2.
- Motus ad formam, qua producitur, non sumit suam specificationem ab agente, neque a termino a quo positivo, neque privativo, neque a subiecto, nisi a termino ad quem; motus vero localis potest specificari, non solum a termino ad quem, & a quo positivo, verum etiam a medio. 372.1.
- Quod motus in eadem specie sit hic numero, potius quam alius, a solo Deo provenit. 373.1.

LIBER VI. PHYSICORVM.

DISPUTATIO I.

DE CONTINVO.

Continuum est, quod ex pluribus partibus integralibus inter se unitis constat.

382.2.

Conti-

- Contiguum est, quod ex pluribus partibus integralibus, non inter se vnit-
tis, sed approximatis constat. 374.1.
Continuum dividitur communiter in permanens, & successivum. Ibid.
Continuum permanens est, cuius partes simul existunt vnitæ Ibid.
Successivum est, cuius partes sibi succedunt, ita vt simul neque existunt,
neque existere possunt plures, imo neque duæ. Ibid.
Actû dantur partes actuales in continuo, licet non actû ab invicem
separatæ, sed inter se vnitæ; tamen realiter inter se distinctæ, & ab
invicem separabiles. 374.2.
Partes, quæ actû dantur in continuo, sunt in duplici differentia, nempe
aliquotæ, & proportionales. 375.2.
Partes aliquotæ sunt illæ, quæ sunt inter se æquales. Ibid.
Partes proportionales sunt illæ, quæ sunt inter se inæquales. 376.1.
In continuo dantur vniões distinctæ realiter à partibus. 376.2.
Continuum non componitur ex partibus divisibilibus vsque in infinitû
categorematicè; bene verò syncategorematicè, 378.2.

DISPUTATIO II.

DE INCEPTIONE, ET DESITIONE RERVM.

- Inceptio, & desitio rerû dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. 403.2.
Inceptio intrinseca rei est primum sui esse. Ibid.
Inceptio extrinseca est vltimum non esse rei. Ibid.
Desitio intrinseca rei est vltimum esse sui. Ibid.
Desitio extrinseca est primum non esse rei. Ibid.
Primum esse rei est rigorosior inceptio ipsius; & primum non esse rigo-
rosior desitio. Ibid.
Res successiva incipit in instanti. 404.1.
Res indivisibilis incipit esse in instanti. Ibid.
Res permanens divisibilis physice potest incipere esse successivè quoad
totum suum esse inclusivè, & sic fiunt ab agente naturali; at verò
Deus in instanti potest illas producere quoad totum suum esse inclu-
sivè. Et idem dicendum est quoad desitionem, servatis servandis. 404.2.
Terminus magnitudinis, & parvitatis dividitur in intrinsecum, & ex-
trinsecum. 405.1.
Terminus intrinsecus magnitudinis est illa quantitas, sub qua ita res
esse potest, vt non possit esse sub maiori. Ibid.
Terminus extrinsecus magnitudinis est illa quantitas, quam res habere
non potest, cum possit maiorem infra ipsam habere. Ibid.
Terminus intrinsecus parvitatis est illa quantitas, quam res habere po-
test, & qua maiorem non potest habere. Ibid.

INDEX CONCLVS. ET DEFINIT.

441

- Terminus extrinsecus parvitatis est illa quantitas, sub qua res esse non potest, & valet esse sub maiori supra illam.* 405.2.
- Omnia entia naturalia habent terminum magnitudinis physicè, & realiter, sive cathegorematicè loquendo; sicut cathegorematicè verò, & in potentia illum non habent.* Ibid.
- Idem dicendum est de termino intrinseco parvitatis.* 406.1.
- Et idem de viventibus iuxta suam proportionem.* Ibid.

LIBER VII. ET VIII. PHYSICORVM.

DISPVATIO VNICA.
DE PRINCIPIIS MOTVVM.

- Corpora viventia se ipsa moventur localiter.* 407.2.
- Gravia, & levia se ipsa moventur ad centrum.* 408.1.
- Gravia in centro sunt gravitantia, & levia levitantia.* 408.2.
- Quod grave descendens ad centrum moveatur velociùs in fine, quàm in principio, provenit ab ipsamet gravitate, tanquam à principio, & à motu transecto, tanquam à dispositione.* 409.2.
- Proiecta non moventur ab aere medio.* 410.1.
- Proiecta gravia non moventur à sua gravitate, neque levia à sua levitate, prout determinata à projiciente.* Ibid.
- Causa proxima, & immediata motus projectorù est quedam virtus loco motiva producta à projiciente in ipso projecto qua dicitur impulsus.* Ibid.
- Motus resiliencia projectorum causatur per se, & immediatè ab impulsu causato à projiciente in ipso projecto.* 412.1.
- Non est necessaria quies in puncto reflexionis.* 415.1.
- Regulariter loquendo, in puncto reflexionis datur aliqua maior motus, quam que dantur in ipso motu recto.* 415.2.
- Quando passum distat ab agente, & medium est capax eiusdem effectus, nequit agens naturale agere in distans, quin producat eundem effectum in medio.* 416.1.
- Potest agens naturale agere in distans, quin similem effectum agat in medium, scilicet quando medium est incapax talis effectus.* 416.2.
- Nequit agens naturale agere in distans, quin aliquomodo agat in medium.* Ibid.

FINIS.

INDEX CONCISE ET DEFINIT
 Terminis extrinsecis partibus illi quibus...
 407.2
 407.1
 407.0
 406.9
 406.8
 406.7
 406.6
 406.5
 406.4
 406.3
 406.2
 406.1
 406.0

LIBER VII. ET VIII. PHYSICORVM.

DISPUTATIO VINCIA

DE PRINCIPALIS MORBIS

407.2
 407.1
 407.0
 406.9
 406.8
 406.7
 406.6
 406.5
 406.4
 406.3
 406.2
 406.1
 406.0



FINIS.

Aliter seruetur est Xpius et hoc dialectice sumptus est natus filius dei
per participationem: et in hoc sensu propositione verum esse quidem
ex scholasticis affirmant, plures negant, ac proinde pars affirmati
non est extra controversiam: utrum autem vera tamen deprehenditur.

CAP. II.

An Xpius et homo dialectice sumptus sit natus filius dei
per participationem, seu per gratiam unionis.

Partem expresse affirmantem 1^o concilium videntur. Suaner. Diss. 949.
lib. 1. et 2. per adjectionem § Quod autem spectat. et Vanguer Diss. 89.
cap. 14. Subscripsissent Cabreos huius art. 1. Diss. 1. § 3. Bezany cap.
18. p. 5. et alii doctissimi. Probant 1^o 2^o concilium Francofordiense,
et Adrianus Popes in epist. ad Episcopos Hispanias definiunt Xpius non
solum esse deum, sed etiam et hominem esse matrem filium dei. Debit tamen
Pontificum et concilium solum velle Xpius non modo ut deus, sed etiam
et hominem specificatiue, et in tali sensu acceptum esse matrem dei filium.
Secundum enim Concilium definiunt quando aliam filiationem Xpius matrem reputat
dei, quae nec est necesse ad destruendum haereticum tum a concilio emanatum,
nec a SS. PP. aut conciliis praecedentibus, multo minus a scripturis
sacris traditus est: nec facile perceptibile et infens videbitur.

Probant 2^o ex S. Tho. huius art. 4. ad 2. dicente Xpius per gratiam
unionis esse matrem filium dei. Sed Xpius et hoc specificatiue sumptus, non
necesse quidem de verbis non est filius natus dei per gratiam unionis: tum
quod est natus filius dei per essentiam. Tum quod nulla potest accipere gen-
tium, aut deum. 3^o iuxta S. Thomam Xpius est filius dei natus est homo dia-
lectice sumptus. Debit S. Thomam agere de gratia unionis non negatiue
sive ut gratia, vel deo, sed specificatiue de illa quae est gratia unionis,
id est principaliter, et ut modus est suppositi diuini. Quare sicut optime
dicitur potest Xpius et hoc per gratiam unionis est deus, quia illa forma quae natu-
ritas habet partem gratiae unionis constituit deum; sic potest dici per gratiam unionis
est filius natus dei. Et quidem credibile est S. Thomam agere de Xpo et hoc
secundum idem sensum sequendi.

Antiquo et vniuerso respondeo, et solum nota prosequuntur huius opi-
nionis esse diuisas. Nam Suaner, et Vanguer aiunt Xpius et homo
esse filium natum non solum Patri, sed deo Spiritu S. imo et Verbi (sicut in-
ter et causae existimant non esse vocandum filium Verbi, aut totius Trinitatis)
quod modis unione hypostaticis sanctificat humanitatem per diuinitatem.

Unde addunt si solum Spiritus Sanctus humanitatem assument, istud illud thomam
et thomam fore matrem filii dei, quo pariter in humanitas dicitur sanctificari.

Horum autem 1^o ad est, quod Spiritus Sanctus ut homo per gratiam unio est factus
sanctus, et gratia, deo, et tunc non proprie ad deum hereditate, in quo humanitas
participando; et non est extranea deo in humanitas, sit deo substantiali coniuncta.
2^o Spiritus Sanctus ut homo reduplicative sumptus est mater filii dei. Nego consequentiam
quod non quolibet sanctitatis etiam inmatris, nec quolibet substantiali coniunctio,
nec ambae simul sufficiunt ad constituendum filium dei matrem. Alioquin
Spiritus Sanctus qui est factus sanctus, et tunc est Pater, et filius substantiali coniunctio
in eadem natura, esset mater filii utriusque, quod est haereticum. Nec debet in ad
hereditatem requirit matrem filiationem, in qua ad hereditatem fundari potest
sit etiam in matris, in plerisque aliis rebus a filiatione distinctis.

2^o ad est, quod productio uniois hypostaticae est per se facta in
eodem generatione quae productio gratiae habitualis, sed haec facit filium dei adop-
tivum, quod est mater. Nego maiorem quod facta hypostatis eam productionem
esse generationem Spiritus Sancti est tunc reduplicative sumpti. Verget: quod habi-
tuali constituit filium quo sanctificat, quod divinitus communicat humanitati.
Sed habitualis gratia constituit adoptivum, quod divinitus naturam. De gratia habi-
tudinis non constituit filium quo gratia sanctificat, sed constituit filium
adoptivum quo talitudo sanctificat: nam tunc in sententia adversariis chari-
tas sanctificat, et non constituit filium. Filii autem matris non constituit nisi ac-
cipiendo esse similem producenti.

Alii volent Spiritum Sanctum et thomam non esse filium dei matrem eo proinde
quod in humanitas mediante unione hypostaticae per divinitate sanctificat
sed quod sanctificat divinitate, et communicat per se per actum verbi genera-
tionis: ac proinde docent si solum Spiritus Sanctus humanitatem assument, cum homine et
thomam non fore filium dei matrem, sed deo singulariter coniunctio, et charitas.
Fundamentum quo quo stabiliunt filiationem dei matrem in christo ut hoc est, quod non
hypostaticae humanitatis ad verbum non est communicatio dicitur et actus, sed communi-
catio dicitur et communicatae per actum generalitatis, quod habet speciale funda-
mentum, et sufficiens ad constituendum Spiritum Sanctum et thomam filium matrem dei. Nego
consequenter, quod humanitatem sanctificari per naturam divinitatis et communicat
per actum generationis, non est Spiritum Sanctum et thomam proinde ad deum, uniois et vi-
vunt coniunctio in similitudinem naturae.

Opino quo in Dugues bon. 2. de Trinitate cap. 28. § 1. Locus de 24.
Memb. 3. Basilio Pons. Varii de p. 1. Delet. 4. De aliis antiquioribus
quos hic auctor magno numero congerit: non ulla in christo unio filiationis. De
arg.

Opponyt idcirco Xpi adorari potest praeiudicium ut hoc habens ten-
 tem, gratiam habituales sicut habet substantiales, q^o licet habeat ha-
 bituales infinita, potest adorari ut praeiudicium habens primum
 gradus, aut numerum partem gratiae habituales. 2^o me in
 hoc non videre, clarum, in decentior, ut ex dictis constare potest. At-
 tendenda sunt tamen similitudines supra p^o p^otae, nam ut id per se
 licet, et saltem interioris.

CAP. III.

An, et quo adorationis genere Xpi humanitas, praeiudicium, et
 praeiudicium sumpta, possit adorari.

Primum, inquit, non debet esse certum, quod nullus esse obligationem ado-
 randi humanitatem abstracte sumpta, nisi per se, impletur prae-
 ceptum adorationis, si in eodem verbo simul adoratur, modo dicto: Solusque de-
 us, potest obligatio colendi esse adorationis genere, ex suppositione,
 quod sic abstracta adoranda sit: ad hoc autem, decidendum, quaevis prae-
 ceptum, an sic sumpta, humanitas, colitur adorari, possit.

Notat Durandus d^o p. 46. d. cap. 4. fas esse, Xpi humanita-
 tem abstracte sumpta, adorare. 1^o q^o in antiquissimo, et apud
 S. Cyrillum dicit: anethemon, sive emanuel, seu deus hominem
 non una adoratione honorat. At si humanitas abstracte sumpta, colatur,
 non honorabitur emanuel una adoratione, sed duabus, altera attingente
 humanitatem, altera verbum.

2^o q^o Damascenus 4. de fide cap. 2. deus humanitatem
 si subtili cogitatione, separatur a verbo, esse inadorabilem. ¶ 3^o
 q^o Xpi humanitas non potest sic praeiudicium orari, q^o non adorari. ¶
 4^o Non potest adorari humanitas, si praeiudicium dignitatem gratiae unio-
 nis, quae simul adoratur, verbo. q^o nunquam adorabitur humanitas, praeiudicium.
 5^o Etiam nunquam exercuit talem adorationem, q^o non debet exerceri. ¶
 6^o Si quis est simul rex, et comes, non recte adoratur, praeiudicium, ut comes
 ab eo, quaevis q^o rex, q^o in Xpi humanitas, quaevis q^o hoc habeat dignitate-
 rem, ob quam, praeiudicium adorari adoratione, supremae latrae, sicut non
 verbo, seu in Xpi, ut in 1^o cap. declaratum est, a nemine, recte adorabitur
 ut praeiudicium, sicut adoratione, latrae, inferioris.

Affirmat Suarez d^o p. 34. tit. 3. et recentior, quae plures,
 quibus subscribo. Aduergetur sententia ista diversis rationibus, explicem
 nota 1^o esse in rebus, physice potestate, praeiudicium, mente Xpi huma-

